

Heber with  
1848  
Bridgton

2565

Table.  
vnd.  
LXXXVIII

Johannes Peter  
Belling

18  
Rarissima est hac Mantiana collectio  
ipsi Sauberto, cum Librum W. Epitholar  
Melaechth. ederet - nondum usque; alij  
etiam invisa - teste ipso in Medical. p. 2  
fine. et Voigtio p. 454. seq. Hae Salther  
in Catal. Bibl. p. 489. ad n. 2460.

2XIV. 2. 50.



# EPISTO- LARVM D. PHI- LIPPI MELANCHTHONIS

Farrago, in Partes tres distribu-  
ta: Quarum

*Prima, varias materias Theologicas continet.*

*Secunda, familiares Epistolas habet, quib. plures cum  
domestice, tum publice res exponuntur.*

*Tertia, ex diuersis doctorem ac prestantium uirorum  
Epistolis constat, quib. non solum priuata, sed etiam Ec-  
clesiastica & Politica negotia tractantur:*

A IOANNE MANLIO passim collecta,  
& in comunem studioforum atq; piorum usum  
nunc primum publicata.



BASILEAE, PER PAVLVM  
Queckum: M. D. LXV.

J. G. Seidler.  
Vinaris. C17 17CC LXXV.



231458 I

MAGNIFICIS ET AMPLISSI

mis uiris, eruditione et ~~omni~~ uirtutum choro præ-  
stantib. D. CHRISTOPHORO IONAE,  
Iuris utriusq; doctori, D. THOMAE MATA-  
THIAE, D. CHRISTOPHORO ME-  
IENBURGERO, consiliarijs illustrissimorū  
Principum, Electoris Brandenburgensis, & Du-  
cum Borussiae, Marchionū Brandenburgensium,  
&c. fidelissimis, fautoribus  
& patronis suis perpetuò  
colendis, S. D.



¶ Si de multis circum-  
stantijs, magnifici & do-  
ctissimi uiri, quas breui-  
tatis causa hoc in loco  
omittimus, lectorē hu-  
ius sequentis nostri instituti com-  
monefaciēdum putamus: tamen ne  
illud à quibusdā aliter atq; uolumus  
accipiatur, pauca quædā de his præ-  
mittenda censemus. Si qui uerò plu-  
ra cognoscere desiderāt, remittimus  
eos ad posteriorem partem, in qua  
reliqua satis abundè & copiosè de-  
clarabuntur.

# PRAEFATIO.

Sciat igitur Lector, nos quasdam Epistolas à diuersis manibus, interdum quoq; ex autographis subito scriptas mutilatè & mendosè inuenisse, quæ propter eruditæ ac utiles iunioribus adhortationes, aut alias insignes doctrinas in illis comprehensas, non omnino abijciendæ fuerunt. Huic etiam nostro iudicio adstipulantur plurimi honesti & docti uiri, quibus idem consultum uidetur, ne mutilata uel uitiosa loca, ubi ambiguitas maius tædium quàm utilitatem aliquam legentib. adferret, hîc infereremus. Idq; in paucis à nobis obseruatum esse, ipsi autographorû possessores testabuntur. Si qui uerò hac in parte, alijsq; sequentibus, plura uidebunt & intelligent quàm nos: hos amanter rogatos uolumus, ne nobis suo fidelissimo consilio deesse uelint. Sed hoc tempore, prohdolor, multo plures reprehensores, quàm fideles adiutores aut fautores

cùm



# PRAEFATIO.

cū publicorum, tum priuatorum laborum inueniri & existere experimur, qui meliorem partem semper uincere student, sibiq; tantū prodesse uolunt. Deinde huic libello adiecimus multas epistolas clarorum & doctorum uirorum, ubi certa eorundem nomina curiosē inquirere non licuit. At si quidam se offerrent, qui hæc aliaq; similia à nobis bono animo & studio collecta, & ab honestissimis ac optimis uiris recepta improbarent, ac uarijs artib. nos oppugnare pergerent (quā nullus est cauillationum finis) horum consilijs (si nos prius docuerint, quid correctione in his materijs indigeat, idq; qua ratione commodissimē corrigendum sit, ne ipsorum consilium à quoquā euertatur & reijciatur) obtemperare decreuimus: non aliter quā ut milites tubā & consilia ducū, iuxta quæ acies oppugnationesq; instruuntur atq; diriguntur, sequi consueuerunt.

## P R A E F A T I O.

De meis autē studijs in hoc Opusculo susceptis, nihil aliud dicere uolo, quàm quòd mihi à multis praeclaris uiris persuasum sit, qui hactenus gustum harum materiarum percepserunt, & nunc propter iuuentutis commodum & utilitatem euulgari exoptarunt, meam operam non inutiliter collocatum iri.

In corū numero, magnifici & doctissimi uiri, uos quoq; esse, & mirū in modum uobis priores meos labores placuisse, & hunc non minus placitum, à quibusdam honestis & eruditis uiris mihi significatur.

Quapropter, magnifici patroni, fretus uestra beneuolentia, & singulari erga me adfectu, has sequentes materias sub uestro nomine publicare constitui, cū maximis & ferē innumerabilib. beneficijs à uobis sim adfectus, postquam in harum materiarum collectione apud uos uersarer. Hinc enim si qui emolumēta aut fructus

# PRAEFATIO.

fructus perceperint, meritò uobis gratias dignas absque dubio agent, summisq; laudibus piam, Deoq; & Ecclesiæ gratam uoluntatem uestrā in promouēdis studijs extollent, ne illa quæ hætenus à multis desiderata sunt interirent, aut unus atq; alter tantū neglecto Ecclesiæ & Reipublicæ commodo uteretur. Postremo, ut M. V. hūc libellum eo animo, quo priorem solet, amplecti non de dignetur, suaq; autoritate aduersus maleuolorum morsus defendere & tueri uelit, & me meosq; commendatum habeat, maximopere precor. Bene & foeliciter ualete. Datae Lypsię, anno Salutis humane 1564. quarto nonis Augusti: quo die, ante annos triginta septem, ferenissimus & potentissimus princeps ac dominus D. Maximilianus secundus, Romanorum, Hungarorum & Bohemorum Rex, &c. Viennæ nascitur. Eodem etiam die, ante annos quadraginta

P R A E F A T I O.

quatuor, natus est serenissimus &  
potentissimus Princeps ac dominus  
D. Sigismundus Augustus, Rex  
Poloniæ, &c. Quorum, ut & aliorū  
bonorum magistratuum guberna-  
tio, felix sit, tranquilla & salutaris; id  
quod omnes pīj mecum preca-  
ri uelint ex animo, De-  
um precor,

HENRICVS CLAVIGER OBER-  
gebricensis, Ioanni Manlio

S. D. P.

**L**iteras tuas, humanissime Manli, tā-  
quā frater honorandissime, ad me  
missas, suauitatis & officij plenas, acce-  
pi, easq; summa cum uoluptate perlegi:  
quibus me de tuo ad exterarum nationes  
itinere & labore suscepto in colligendis  
doctorum, praesertim D. Philippi episto-  
lis, reddis certiores. Quodd mihi uehe-  
menter fuit gratum. Et Deum assiduīs  
meis uotis & ardentibus gemitibus pre-  
cor, non desistam, ut te praesidio & excu-  
bijs caelorum Angelorum septū & mu-  
nitum, in tam difficili, longa, aestuosa &  
puluerulenta uia clementer protegat, et  
ab omnibus malis defendat & custodi-  
at, iuxta Psalmi dictū: Angelis suis man-  
dauit de te, ut custodiant te in omnibus  
uijs tuis. Deinde à te maximopere pro  
nostra summa coniunctione, tuaq; sin-  
gulari humanitate etiam atque etiā pe-  
to & quaeso, ut tuum opus inchoatum,  
plurimis utile & necessarium profutu-  
rum, absoluas, ad optatumq; finem per-  
ducas, ac nobis animo libentiss. quam-



## EPISTOLA

primùm communices. Sunt enim non pauci præstantissimi uiri, multarum rerum usu & experientia ualentes, à quibus tua Collectanea superiori anno in lucem edita, auidè emuntur & arripiuntur: modò si plura exemplaria adueherentur. Quæ ergo promittis, eodem desiderio & cupiditate expectamus & desideramus. Nec maleuolorum sycophantijs & obtreccionibus, quibus tuam candidam famam denigrare conantur, summaq; animi uirium contentione student, moueare. Optimè enim nosti, Socratem nec Aristophanis illusione, nec Anyti proditione, nec Meliti accusatione, nec iudicum peremptione, postremò nec inuidorum omnium conflata calumnia absorptum: sed multo magis sua morte immortalè esse factum. Sic aut ait: *ἀποτίθηναι μὲ δυνάμνται, βλάψαι δὲ δυνάμνται.* Viuit igitur Socrates, & triūphat magnam cum gloria: quando aduersariorum suorum memoria uel extincta est funditus, uel scintilla in cinere cum ignominia iacet. Idem uerè de te dici posse, mihi omnino persuadeo: quia semper nomenque tuum, laudesque, etiam inuitis

# DEDICATORIA.

tis Zoilis, manebunt. Scripsissem &  
 epigramma, quod à me hætenus mul-  
 tis precibus flagitasti, nisi multis & ferè  
 innumerabilibus negocijs, quæ meum  
 animum diuersè trahûr, de quibus iam  
 non est tempus scribendi, fuisset impo-  
 ditus. Sed tamen uolui amico ueteri  
 & singulari gratificari, moremquæ gerere.  
 Composui igitur breue carmen, quod  
 ad te curo perferri. Et spero te pro tua  
 in me beneuolentia, studium meum esse  
 approbaturum, quantumuis nulla sit meorum  
 carminum uel gratia, uel elegancia. Plura li-  
 teris committenda hoc periculosissimo tem-  
 pore non putauì, præsertim cum nusquam  
 tuta fides, pietasquæ sit. Sed tu, quod de si-  
 derio & petitioni tuæ nunc quidè satisfac-  
 cere non potui, ut par erat, mihi da ue-  
 niam: ac tuum Henricum Clauigerum,  
 non alio erga te animo esse, quam sem-  
 per fuerit, tibi persuade. Bene & feli-  
 citer in Christo uale: & me, quod facis,  
 amare perge. Datæ in arce Mansfeld, se-  
 stinanter, idibus Iunij: quo die ante an-  
 nos 14 clarissimus uir, Ioannes Spange-  
 bergius, piæ & sanctæ memoriæ, Eccle-  
 siarum Dei in inclyto comitatu Mans-  
 feldensi

EPISTOLA.

feldensi fidelissimus superintendens,  
deq; alijs Ecclesijs optimè meritus, Isle  
biæ ex hac ærumnosa uita est euo-  
catus: Anno salutis nostræ

M. D. LXIIII.

HENRICI CLAVIGERI OBERGE-  
bricensis, in libellum Ioannis Manlij, ad  
Lectorem Carmen.

EXTENS scripta licet, multo congesta labore,  
Manlius ingenio quæ dedit amē suo:  
Sed tamen haud renuit reliquos uulgare libellos,  
Quos tua composuit doctæ Philippe manus.  
Huc ades ergò cohors, lepidum studiosa libellum  
Præsentem assidua & uolue reuolue manu:  
Plenius Ausoniam si mens est nosse loquelam,  
Qua sine uix fragilis uita manere potest.  
Est nec quod lingua Momï moucare dicaci,  
Quæ pudet haud summos carpere sæpe deos.  
Iam si Meonides, Vatum pater, ipse rediret,  
Tutus ab insidijs non tamen esse queat.  
Ad te sed redeo tandem doctissime Manli,  
Et moneo studium continuare uelis.  
Id bene cum præstes, merito celebraris honore,  
Et summa pietas est tua grata Deo.  
Inde tibi nomen longos durabit in annos,  
Hinc potes à sera posteritate cani.  
Quod superest, ueris precor optima numina uotis  
Ut uiuas Pylij secula longa senis.

Vale.

PAVLI CHERLERI ELSTERBVRGEN  
sis, studiosi, Carmen: in epistolas D. Philippi Me-  
lanchthonis piæ & sanctæ memorię, ab indultorio  
& diligenti uiro I O A N. Manlio, amico  
suo, collectas, & in lucem editas.

**Q**ui tibi nuper, studiosa turba,  
Vtili pulchrum studio uoluen  
Condedit, duri patiens laboris  
Sedulus auctor:

Iam nouum fautor tibi fidus idem  
Edidit librum: benè qui uocari  
Aureus possit, quia dona portat

Aurea nobis.

Namq; cùm Virtus semel incalescit,  
Quæ bonis gaudet nituisse factis:  
Non latet, pulchræ neq; conquiescit

Laudis amore.

Grata sed cùm sint docili iuuentæ,  
Et uiris doctis, tenerisq; Musis,  
Cuncta quæ magnus peperit Melanchthon,

Aurea scripta:

Quæso quis Lector dubitet benignè,  
Quin opus præsens sit & hoc futurum  
Omnibus gratum, sua qui dederunt

Nomina Musis

Cumq; per sese niteat uenustis  
Floribus, prægnetq; alijs opimis

Fruſibus,

*Præcibus, porro uaga quid iuuabit  
Fundere uerba?*

*Hûc Apis quare studiosa quæuis  
Aduola, pingues age fuge flores:  
Mellis hinc uena liquidi perenni  
Copia currit.*

*Vnde pinguesces animo beato,  
Vnde desuges bona uera sano  
Corpori: floret generosa uirtus  
Vnde triumphis.*

*Interim grates tibi docte Manli,  
Quem meos inter numeros sodales  
Intimos, debet studiosa Phœbi,  
Lætâ iuuentus.*

*In sinum cuius modò delicatum  
Munus effundis: uirides in hortos  
Cuius & nunc alueolos reponis  
Melle fluentes.*

*Fortè si crabro tibi, siue mollis  
Obstrepet fucus. quid enim? ferendum est.  
Namq; Virtutis comes est perennis,  
Pallidis osor.*

*Perge, cœpisti pede quo secundo,  
Progredi semper: modò quod negabit  
Mundus ingratus tibi, grata reddent  
Sidera cœli.*

*Basileæ, ex ædibus D.D. Simonis  
Sulceri, Anno 1565.*





PHILIPPI MELANCHTHONIS EPISTOLARUM à Ioanne Manlio collectarum Pars Prima.

REVERENDISS. ET ILLUSTRIS. Principi ac Domino, D. Georgio, Præposito Maideburgensi, &c. Philippus Melancthon S. D.



ILLVSTRISSE Princeps. In aditu Bauariæ, dextra mihi, cum cuerteretur currus, quo utebar, adeò duriter quassata est, ut ossa en nœ-  
πῆ, ut medici loquuntur, luxata sint.

Ideo ne nunc quidem sine cruciatu literas pingere possum. Sed tamē quoquo modo significandum V. C. duxi, Ratisbonæ mihi redditum esse munus uestrum argenteum, quod in mensa uos quotidie de egregijs uirtutibus uestris admonet. Mores mei uobis noti sunt, & (ut spero) etiā probati. Certè parsimoniam ita amo, ut etiam alios non libenter onerem sumptu. Filius Dei inter se deuinctos uult esse omnes qui ipsum agnoscūt, & Deum uerè colunt. Iurè igitur amo C. V. quæ toto pectore amplectitur Christi doctrinam, & amat Ecclesias suæ ditionis magna sedulitate, Sunt & cetera uirtutes; iusti-

cia in gubernatione, cōstantia animi, castitas in mō-  
ribus, eruditio eximia, digna amore & laude. Pro-  
pter has causas simplici animo colo C. V. non pro-  
pter munera: sed tamen beneuolentia uestra ualde  
delector, & pro munere gratias ago. Historiā con-  
uentus adieci in alia pagella, nec aliud adhuc actū  
est: certo consilio summam breuiter ita narramus,  
quæ inter amicos sine periculo spargi possunt. No-  
stri omnes ostendunt se mansuros esse in sententia  
confessionis: sed tamen quidam languidiores, uiden-  
tur non abhorre- re à fucosis cōciliationibus. Illos co-  
thurnos metuo, de quibus & fratres uestri scribēt.  
Electo Marchio sperat aduersarios non refragatū-  
ros doctrinæ, si nos episcopis tribuamus usitatum  
ἀξιωμα. Sed Contarenus cardinalis multò est du-  
rior: nulla in re discedi uult à consuetudine Roma-  
na. Ideo impedire has deliberationes de concordia  
sedulò conātur. Imperatoris uoluntatē iudico pro-  
pensam esse ad moderatissima consilia. Quid spei  
esse possit, cū adeò disimiles sint uoluntates, non  
difficile est iudicare. Deum patrem Domini nostri  
Iesu Christi oremus, ut Ecclesiam sanguine filij re-  
demptam & sanctificatā seruet, & nos gu-  
bernet. Bene ualete, 25. Martij, Ra-  
tisbonæ, 1541.

HISTO-

3

# HISTORIA CONVENTVS

Ratisbonensis, Anno 1541. mense  
Martio.

**I**nitio conuentus postquam Imperator Carolus exposuit, se deliberationes instituire uelle de controuersijs Ecclesiasticis dirimendis: cōiuncti Augustanæ confessioni petierunt, pertexti disputationem Vuormaciensem, ut ex ea explicatione Imperator & Principes cognoscere possent, & quæ res ueniant in controuersiam, & qui sint fontes. Quo modo enim eligi ueræ sententiæ à principibus possunt, nisi res hoc modo collatæ, & disertè explicatæ eis proponantur? Sed hoc consilio repudiato, ostendit Imperator, se paucos quosdam delecturum esse, non ut sententiæ inter se pugnâtes defenderentur, sed ut quæreretur quæ dogmata cōciliari possint. Ac ne quid periculi esset ex hac deliberatione partibus, præfatus est, uelle se, non teneri quenquā his deliberatis, nec ea uim præiudicij habere, sed omnia rursus ad consilia Principum referenda esse. Postulauit item, ut sibi permitteretur, ut suo iudicio, quos uellet, deligeret. Nihil enim mirū esse, in re tanta dissimiles esse hominum uoluntates, dissimilia studia & iudicia. Sed erant quidam, qui ab hoc toto consilio cōciliationum abhorrebant, propter magnitudinem periculi. Multa enim sunt et uetera & recentia exempla, quæ admonent, in talibus con-

4 2 ciliatio-

ciliationibus plerunq; decurri ad ambiguos, flexilō quos, fucosos & fallaces articulos, quibus ueritas obruitur, & non sanantur Ecclesiæ, sed dissipantur. Alij contrā disputabant, hanc uiam etiam profuturam esse ad declarandas sententias quas profiterentur Ecclesiæ, quæ amplexæ sunt Augustanam confessionem: præsertim si interfuturi essent boni uiri, qui Imperatori recitarent, ut res posceret, disputationū summās. Et Imperator dixerat, uelle se inquirere ueritatem. Futurum autem animum Imperatoris mitiorem, si intelligeret nō tam absurda esse dogmata nostrarum Ecclesiarum, ut à Pontificibus, monachis, & alijs sycophantis traducuntur. Addebat item, si colloquij huius deliberata referrentur ad Principes quosdam, dicturos esse liberas & honestas sententias. Tandem igitur eò decurritur: assentimur Imperatori, ut hoc loco colloquium instituatur: sed ita, ut ne condantur flexilōqui articuli, sed ut simplex ueritas patefiat. Et testatus est Imperator, uelle se inquiri ueritatem: ac in delectu usus est hac æquitate. Ex pontificijs tres delegit, Iulium, Eccium, & Gropperum. His addidit ex altera parte Philippum, Bucerum, & Nidanum pastorem. Petitum est, ut addātur principes seu gubernatores colloquij, & aliqui auditores seu testes, ut acta cū Imperatori, tum alijs principibus fidelius recitari possint. Delecti sunt gubernatores,

Dux

Dux Fridericus Palatinus, & Granuellus. Adiuncti auditores, Comes de Manderscheit, Eberhardus Ruede, consiliarius Moguntini: cancellarius Palatini Electoris, Saxonicus cancellarius, cancellarius Hassicus, Iacobus Sturmius Argentinenfis.

Initio congressus Dux Fridericus rursus adhortatur delectos, ut sedatos ac pios animos ad tantam deliberationem adferant, & dirimere controuersias studeant. Narrat, ipsi Imperatori tot iam annos eam rem maximè curæ fuisse, eoq; multorum doctorum & bonorum explorasse sententias. Cum igitur quidam exhibuerint ipsi scriptum, quod propter aliorum \* concilijs durioribus antetulerint: uelle Imperatorem, ut delectis liber ille proponatur, qui quasi uiam monstret ad dirimendas controuersias. Liber est exhibitus æquissima conditione, ut quæ non probarentur nobis, dicere liceret: & censuram adderemus. Et si autem tutius uidebatur nonnullis ex delectis, percurrere Augustanam cōfessionem: tamen cum alij librum anteferrent, & inciuile uideretur, nolle inspicere scriptum propositum ab Imperatore sine iniquis conditionibus: conuenit, ut liber legatur, & ordine dicerentur sententiæ. Initia non habebant controuersias, de conditione hominis, de lapsu, de libero arbitrio, de causa peccati, de uitio originis. De his locis tunc quidem rixæ nullæ fuerunt. Secutus est locus de reconciliatione hominis, seu iu-

a s      stificatio-



ificatione, de quo farrago illa neutri parti satisfac-  
ciebat, & quia nouas quasdā sentētiās cōtimebat,  
& pleraq; erant obscura, impropria et flexiloqua:  
ut aliās uideretur rectē dicere, Fide propter Chri-  
stum iusti sumus: aliās contrā, propter donatas uir-  
tutes sumus iusti: ut Thomas, seu ut Plato loquitur.

Seposito igitur libro, de summa rei liberē dispu-  
tatum est: & tandem ad formulā reuersum, in qua  
recepta et explicata sentētia est, Fide propter Chri-  
stum gratis iustificamur, non propter uirtutes no-  
stras. Cum de hoc loco conuenisset, redire ad li-  
brum iussi sumus. Lectus est locus sequens de Eccle-  
sia, ut facilius obtineri sequentia possent: insidiosē  
addita est hypothesis, communem consensum & sy-  
nodos legitimas non errare. Hic magnum certamē-  
tum ortum est. Cumq; per aliquot dies de hoc loco dili-  
genter disputassemus, iussi sumus reijcere hanc par-  
tem in aliud tempus. Lectus est locus de Sacramen-  
tis, in quo cum uentum esset ad Cœnam Domini, or-  
te sunt rixæ de conuersione substantiæ panis. Reie-  
cta est et hæc disputatio in aliud tempus. Postea a-  
cerima contentio de re non magna secuta est, An in  
confessione, ut uocant, sit necessaria delictorum e-  
numeratio. Defendebatur regnū cōfessionis à nō-  
nullis, uel propter autoritatē ordinis sacerdotum,  
uel propter culinas monachorum. Sed ab alijs exhi-  
bita est contraria sentētia, explicata copiose. Agi-  
tata

tata est & quæstio de Satisfactionibus, de quibus formula proposita est à pontificijs breuis: & ut moderata uideretur, ambigua. Sed cōcessum est, ut & altera pars suam exhiberet sententiã. Ventum est ad locum de gradibus & potestate Episcoporum, ubi aliquid de potestate Romani pontificis significatum fuit. Adiecta erant & alia quæ uocabantur in quæstionem. Tribuebat enim scriptum auctoritatē Episcopis, ceremonias diuinitus institutas mutandi. Id quidem interpretabantur de parte Cœnæ Domini, adempta populo. Secuta sunt certamina de inuocatione Diuorum qui ex uita discesserunt, de applicatione Missæ, de priuata Missa, de usu integræ cœnæ Domini. In his materijs cum ij qui Augustanam cōfessionem amplectuntur, dissiderent à libro illo, & à Pontificijs: concessum est ut contrariæ sententiæ exhiberentur. Reliqua erat in libro longa recitatio ueterum Canonum, de coniugio sacerdotum. Et si autem liber eam causam reijciebat ad deliberationem summorum gubernatorum: tamen significabat, cōiugium sacerdotibus concedendum esse iuxta normam ueterum Canonum. Hic adiecta est liberior sententiã à nobis. Tandem igitur percurso libro, iussi sumus acta referre Imperatori: ac reddito libro ostendere, de quibus locis conueniret, & quæ controuersię non sint diremptæ. Et si fuimus delecti ut inquisita ueritate, dissidia tollere-

mus: tamen ut studium concordie ostenderet hi qui  
Augustanam confessionem amplectuntur, de libro  
non acerbam censuram egerunt, multa improprie di-  
cta dissimularunt: quædam donarunt aduersarijs,  
quæ tamen digna erant reprehensione. Sed semper  
ita sensimus, non propter leues causas alenda esse  
dissidia: tantum de magnis et necessarijs rebus pu-  
gnandum esse duximus. Postquam Imperatori  
liber redditus est, tentatæ sunt per Marchionem Ioa-  
chimum et compositiones reliquarum controuer-  
siarum, de quibus articuli à nobis exhibiti erant.  
Cumq; cætera communia de utilitate concordie et  
pacis, de ingentibus malis quæ ciuile bellum comi-  
tarètur, longa oratione commemorata essent: illud  
tandem adiectum est, moliri Imperatorem nouam  
Ecclesiæ reformationem, et doctrinam de iusticia  
fidei propagaturum etiam esse in cæteras regiones.  
Hæc tanta bona impediri, si cæteros articulos mor-  
dicus retineremus, nec regrederemur aliquatulum  
cessuri, non hostium improbitati, sed piorum in a-  
lijs regionibus utilitati. Multi hac ratione moue-  
bantur: bellum ciuile, quo nihil iniustius in hac ui-  
ta cogitari potest, non stultè formidantes: nonnul-  
li ex altera parte orationis moueri se significa-  
bant, et censebant nostra moderatione inuitadam  
et confirmandam esse uoluntatem Imperatoris, u-  
niuerso orbi consulere cupietis, et quasi quoddam  
aureum

aureum seculum promittentis. Ac disputabant, cum  
singuli quædam dissimulemus amicorum uitia, unâ  
cum celebratis. autoribus Augustino & alijs, alio  
rum errores quos cōdonemus: posse etiam hoc tem  
pore aliqua seu remitti, seu inuolui ac tegi, cū pro  
pter nostras ciuitates & Ecclesias, in quibus uasti  
tas futura esset: tum propter gentium, quæ tanquā  
infirmæ inuitandæ essent, utilitatem. Nec leue fuit,  
cum de re tanta sententiæ decernerentur. Nam alij  
contrà: Etsi propria Ecclesiarum & scholarum ex  
cidia metuerent, ipsi tamen doctrinæ corruptelas  
fugiendas esse sentiebant. Nec hi tantum eo moue  
bantur, quòd omnibus periculis anteferenda sit ue  
ritas: sed etiam hoc considerabant. Primum modera  
tores pacem, quam ostendebant, non impetraturos  
esse, nisi totum puræ doctrinæ genus abijceremus.  
Deinde domesticum consensum tenendum esse, cum  
constet plerosq; domi pacificationē hanc, uel cum  
paucorum articulorum corruptelis cōiunctam a  
sperrimè reprehensuros & improbaturos esse. Po  
stremò, secuturas esse magnas in nostris Ecclesijs di  
scordias. Illa uerò promissa de aureo seculo, & de  
reformatione, non magnifaciebant: quòd uideretur  
esse, ut inquit Thucydides, σχῆμα \* ποίματναορ  
λόγῃ. Tandem igitur Marchioni respondetur ue  
recundè, has de reliquis controuersijs deliberatio  
nes differendas esse, donec à Principibus in utraq;

parte sententiæ de prioribus articulis dictæ essent, de quibus fortassis collocutorum iudicium neutri satisfaciât. Etsi autem tot cōtrouersiæ reliquæ non erant diremtæ, tamen Cæsar iubet in senatu Principum sententias dici de libro. Hic dux Bavarix Guilelmus, recitat de scripto longam criminationem eorum qui amplexi sunt Augustanam confessionē. Deinde & hunc librum à Cæsare oblatum prorsus reijcit. Censet nullam ullius opinionis correctionē aut moderationē, nullam legum pontificiarum mitigationem admittendam esse: nihil concedendū aduersarijs, quod discrepet ab usitatis opinionibus, aut cæremonijs cæterarum nationum. Hæc summa fuit orationis domini Guilelmi, cui assentiebantur pleriq; Episcoporum. Hos ut confirmaret Eccius, misit ad senatum Principum breuem epistolam, in qua improbat librum: ac testabatur, nunquam sibi placuisse, propterea quòd errores nō ferēdos contineret: nec in loquendo sequeretur Theologorum phrasin & consuetudinē. Dicuntur sententiæ moderatiores à legatis Colonienfis episcopi, à legatis Palatini, & à Marchione Brandenburg. Electore: ut conciliati articuli comprobentur, cæteri reijciantur ad synodum aut alium cōuentum. Hi enim disputabant, paulatim coituras in concordiam Ecclesias, si æquitas adhiberetur: & cōscientijs piorum, quæ desiderant quorundam rituum uitiosorum emendationem,

tionem, consulendum esse. Tertia fuit sententia nostrorum, Non reprehendi articulos cōciliatos, si tamen in his quædam ambigua disertè explicarētur. Addebant & de controuersijs non diremtis: se iudicare articulos à nostris in colloquio exhibitos, ueros: et ita moderatè scriptos esse, ut sperent sanis iudicijs satisfacturos esse. Et quia iusserat Imperator exhiberi deliberationem de reformatione Ecclesiæ, adiecti sunt libelli de gubernatione Ecclesiarum.

Cum uerò Principū sententiæ inter se non congruerent, Imperator, ne de summa rei ipse statuere uideretur, cardinalem Contarenum ipse adhibet. Hic ut honesto prætextu certamina finirentur, proponit scriptā sententiam, in qua iubet totam uel integram causam seruari Romano pontifici, ac uetat in conuentu de his rebus iterum disputari. Et quia fuerat contentio de cōciliatis articulis recipiendis, quos uisus est antea Contarenus nō improbare: adductus est importunitate Eccij, ut alterum scriptū proponeret, in quo disertè inquit, se de cōciliatione non pronūciare, nec probare eos, sed relinquere iudiciū Romano pontifici. Mirabātur multi Contarenum, cum et doctrinæ Christianæ peritissimus esse diceretur, et singulari grauitate et uirtute præditus, non liberè profiteri quod sentiret. Nam cum omnes Christiani & intelligere communem Evangelij doctrinam debent: tum uerò maximè illis qui  
primas



primas in Ecclesia tenent, & gubernatores doctrinae esse uolunt, conuenit aperte suam sententiam ostendere. Nec cōtinent articuli conciliati inanes argutias, sed res magnas, & Ecclesiae necessarias: ut de morbo originis, de libertate uolūtatis humanae, & fide iustificante propter Christum, de retinēdis officijs Episcoporum & aliorum graduum Ecclesiasticorum. Sed quo consilio suam sententiam Contare nus occultarit, nihil ad nos attinet: sed euētus satis ostendit, eos qui sperarunt initio aduersarios nostros aliquam moderationem aut emendationē suarum opinionū admissuros, non satis prospexisse eorum uoluntates: tentādos putarūt animos nostros, ut seu inclinatio quaedam, seu distractio fieret, posteaq; suum odium declararent: alij meliores, qui serio moderationem aliquam expetunt, cum uiderēt nec animorum concordiam uerè coitutam esse, nec semina eorum tolli, etsi receptae essent hae moderationes, minus succensebant nobis quòd repugnaueramus. Audio & \* cū uideret frustra tentatas esse has conciliationes, dixisse, Deum fortassis hos conatus impediuisse, qui arcāno & mirabili consilio regit Ecclesiam: quòd his moderationibus receptis, mala quaedam confirmata fuissent: & eorum stabilita potētia, qui errores praecipuè defendūt. Deum uerò orandum esse, ut ipse Ecclesiae opem ferat, & pios cultus ac ueram doctrinam restituat.

Oratio



Oratio Philippi Melanchthonis ad Ca-  
rolum V. Imperatorem, Anno 1541,  
menſe Martio, Ratiſ-  
bonæ.

Inuiſſime Imperator Auguſte; Domine cle-  
mentiſſime: Audiuiſus narrationem eorum qui ex  
noſtris ad colloquium delecti fuerunt, ex qua intel-  
leximus, quæ controuerſiæ agitata ſint, quæ in Li-  
bro mutata, quæ comprobata, & quæ non recepta  
ſint. Et animaduertimus, in quibuſdā articulis adi-  
tum ad concordiam factum eſſe. Quare & C. M. V.  
gratias agimus, quòd doctorum collatione, & ciui-  
li modo, qui decet Eccleſiam, dirimi controuerſias  
Eccleſiaſticas mauult: & precamur Deum, ut has  
actiones ita gubernet, ut ueritas & doctrina ſaluta-  
ris Eccleſiæ Chriſti magis illuſtretur. Dolendum  
eſt autem, tantam eſſe temporum infelicitatem, ut  
non potuerit de omnibus articulis rectè conueniri.  
Locique quidam relictique ſunt ambigui, quorum explica-  
tio tamen neceſſaria eſt Eccleſiis. Hæc fortassis eo  
acciderunt, quia difficile eſt uetustos abuſus tolle-  
re, quos alij propter diuturnitatem temporis & e-  
xempla, alij propter alias cauſas defendunt. Neque e-  
nim negari poteſt, ante aliquot ſecula irrepiſſe in  
Eccleſiam multos abuſus: ſi noſtrum teſtimonium  
opponeretur pijs rectè ſentientibus, etiam ad poſte-  
ritatem. Quale uinculum iniiceretur Eccleſiæ, ſi ſa-  
teremur

de remur prorsus nullum ullius synodi lapsum re-  
 prehendi posse? Ita & reliquæ materiæ ad uniuer-  
 sam Ecclesiam pertinent, cui omnia membra hoc de-  
 bent officium præcipuum: curam uidelicet conser-  
 uandæ ueritatis. Vt Paulus letari se dicit, quòd im-  
 moletur, hanc ob causam, ut alij Deum uera fide co-  
 lant. Quid in Ecclesijs nostrarum gentium & ur-  
 bium, inò domesticis? quàm pie mentes imbutæ pu-  
 riori doctrina sauciarentur, si nunc ad approban-  
 dos abusus retraheretur? Quàm multi pij iustè nos  
 increparent hac ipsa Pauli uoce: Cur nos à gratia  
 Christi abducitis ad aliud doctrinæ genus? Postre-  
 mò, nostrorum articuli ita moderatè scripti sunt, ut  
 cum proferentur, saniores ubique intellecturi sint,  
 nostras sententiis nec absurdas, nec immoderatas es-  
 se. Quanquã enim Liber, ut uideatur moderatior,  
 quædam nimis horridè proponit, & alicubi mani-  
 festa uitia iubet tolli: tamen interim in plerisq; arti-  
 culis abusuum semina retinet, de quibus admoneri  
 Ecclesias necesse est. Ceterum de articulis conci-  
 liatis maximè quidem optamus, ut hi propagentur  
 in omnibus Ecclesijs, modò ut rectè & uerè intelli-  
 gantur. Videmus autem collocutores nostræ par-  
 tis, sse & studio concordie quædam breuius & im-  
 propriè dicta præterijisse, quosdam etiam articulos  
 non prætexijisse, & quædam ambigua reliquijisse.  
 Iam cum constet, ambiguis & flexililoquis articulis

non sedari, sed potius accendi certamina, sicut quorundam ueterū synodorū euentus ostendunt, opus erit in his iusta, propria & perspicua explicatione. Nos enim sic intelligimus eos, ut in nostra Confessione & Apologia res eadem traduntur. Sed si aliam diuersam interpretationem adderent, reclamare necesse esset. Nec sunt obscuræ aut intricatæ, aut perplexæ, aut absurdæ nostræ sententiæ. Totum enim hoc genus doctrinæ, quod in Ecclesijs nostris proponitur, & quod extat in cōfessione nostra & Apologia, doctrina est tradita in Euāgelio, & consensus Catholicæ Ecclesiæ Christi, habetq; eruditorum patrum uera testimonia, nec ab ea cōfessione discedimus. Quare si qui astutè hos breues articulos in libro transformarēt in falsas opiniones, & à nobis taxatas, cum his non esset concordia. Denique indignissimum est Ecclesiæ, ludere ambigūe dictis, & condere articulos, qui opus habeant nouis articulis cōdientibus priores: sicut pisces sale opus habent, ut de legibus ambiguīs Aristoteles dixit. Iussimus igitur nostros concionatores, qui ad sunt, addere huic nostræ responsioni eas particulas, in cōciliatis, quæ præcipuè opus habēt explicatione. Oramus autem cum debita reuerētia C. M. V. ut hanc nostram respōsiōnē, profectam bona conscientia, & optimo studio erga Ecclesiā Christi & communem tranquillitatem, clementer accipiat. Diximus.

mus bona fide, ut in re tanta fieri decet, quod senti-  
mus. Magna res est Ecclesias gubernare, in qua cō-  
scientiarum ratio habenda est. Quæ cum autorita-  
te humana sine ueris rationibus coguntur, ijs non  
tolluntur, sed augentur certamina. Ideo Deum ora-  
mus, ut ueris modis aliquādo cōcordia perficiatur.

Serenissimo Regi Angliæ Philippus  
Melanchthon S. D.

Serenissime rex, & domine clementissime. Etsi  
me quædam grauiſſimæ causæ hortabantur, ut lite-  
ras ad R. M. T. darem, & nota mihi esset publica  
omnium doctorum opinio de tua bonitate atq; cle-  
mentia: tamē me à scribēdo pudor meus deterruiſ-  
ſet, nisi me confirmasset D. Antonius doctor, ami-  
cus meus: qui me etsi inspiciētem heroicæ uirtutes  
tuas, tamen ita nunc accendit commemoratione lau-  
dum tuarū, ut in spem uenerim, R. M. T. pro excel-  
lenti sapientia atq; humanitate tua literas boni con-  
ſulturū esse, præsertim in quibus non solum de meo  
officio, sed nonnihil de Republica scripturus essem.  
At de me quidem dicam breuius. Quid in hac mea  
& ingenij tenuitate & fortuna præstare possum,  
quo meum studium erga R. M. T. declarare queam?  
Cæterum ita semper iudicaui: Cum bono & saluta-  
ri principe nihil sit amabilius, nihil diuinius: R. M.  
T. ab omnib. bonis uiris propter excellētē in summa  
potestate moderationē ac iusticiam meritò aman-

dam

dam esse. Plurimum uerò deberi R. M. T. à nostro ordine; & à literarum studiosis, quòd in ornandis excitandisq; honestis disciplinis R. M. T. longè regum aliorum ac principū huius ætatis studium uicerit. Qua in re & facilitatem & sapientiam tuam admirari soleo. Quòd enim R. M. T. iudicauit curā literarum dignam esse magno Principē uidit profecto, quantum Reipublicæ decus sit, quantum afferant momenti ad societates religionum, studia. Felicitas uerò magna fuit, quòd eodē tempore iam multa egregia lumina ingeniorum tulit Anglia tua: ut numerare in his multos possimus, cōserendos cum summis uiris, qui unquā doctrinæ laude floruerūt.

Ac sæpe cogitanti mihi de R. M. T. uenit in mentem, tale nunc aureū seculū esse tuæ Britannię, quale fuit olim Aegypti, regnante Ptolemæo Philadelpho: qui etsi opibus antecelluit omnes nō solum suæ ætatis reges, & res gessit bello egregias, tamen omnium gentium ac posteritatis etiam amorē hoc nomine præcipuè meruit, quòd literarum studia fōuit ac prouexit. Itaq; ut Ptolemæo & cæteris regibus, quorum beneficio cōseruatae sunt honestæ artes: ita R. M. T. hoc nomine plurimum debet uniuersum genus humanum. Hæc sunt eruditorū omnium in Germania iudicia. Cū igitur erga studiosos sit tanta beneuolentia R. M. T. non dubitavi ad R. M. T. scribere, ut ostenderem, quantum cupiam tali re



gi commendatus esse. Scio R. M. T. fide ac studiis homines metiri, non fortuna. Ideo me commendo R. M. T. tanquam præcipuo ac penè unico literarum patrono: & omne meum studiū atq; operam quantum quidem in hac ingenij mediocritate præstare possum, ad R. M. T. defero. Sed non tam meam causam agere institui, quàm publicam literarum: quarum ut hoc tempore periculum R. M. T. cōsideret, uehemēter oro. Non solum enim in cæteris regnis, sed etiam in ipsa Germania literæ contemptæ sunt, iniquis hominum iudicijs: & uocantur in odium, propter religionis controuersias. Erit igitur sapientiæ tuæ, eo maiore benignitate istis recta studia excitare, & pulsīs Musis hospitium præbere. Scimus, & olim cum propter arma Gotthica penè extinctæ essent in Europa literæ, ex insula tua rursus in totum orbem propagatas esse. Hac de re, de uniuerſa posteritate, de Ecclesia mereri R. M. T. poterit. Nec uerò dubito, quin & ipsæ religionum controuersie mitigarentur, si R. M. T. auctoritatem suam conferret cum ad Reges cæteros ad moderationem flectendos, tum uerò cum doctis hominibus de genere doctrinæ deliberaret. Nam & illud minimè obscurum est, in Ecclesia abusus quosdam non dissimulandos irrepsisse: neq; tamen operam dare Reges ut extet aliqua simplex & certa doctrinæ forma. Discordia publica præbet locū interdum etiam indoctis



indoctis & malis, qui regū iracundiam accendunt. Sed tamen erat adhibenda diligentia, ne interim simul bonæ res & utiles Ecclesiæ opprimerentur: ne in bonos exerceretur crudelitas. Grauiſimè Poeta inquit, cum de sedādis populi motibus loquitur: Tum pietate grauē, ac meritis si fortè uirum quem Conſpexere, ſilent, arrectisq; auribus aſtant: Ille regit alicui animos, ac pectōra mulcet.

Virum enim pietate grauem, ac meritis, ad componendā diſſidia uult accedere: qualis eſt R. M. T. quæ cum ætate, ſapiētia, doctrina antecellat cæteris regibus: tantum adſeret ad hanc cauſam authoritatis, quantum alius nemo.

Illā autem oratione apud R. M. T. non eſt opus, quā glorioſum ſit regi, de uniuerſa Eccleſia, de toto genere humano bene mereri. Intelligit enim R. M. T. pro ſua excellenti ſapiētia, & hanc curam diuiniuſ eſſe regibus mandatam, quodq; æternam ac ueram gloriam apud omnes gentes hoc beneficium pariturū ſit. Quare R. M. T. propter Chriſtum oro, ut hanc cogitationem ſuſcipere uelit, & curam de regum uoluntatibus ſelectendis ad moderationē, ne pariter boni & mali ſine diſcrimine trucidentur: & de Dei gloria ornanda. Poſtremò oro, ut R. M. T. meas haſce literas, ſimplici animo ac bono ſtudio ſcriptas, boni conſulat. D. Antonius, ſumma fide & diligentia, de certis articulis nobiſcum diſputa

uit, de quibus meum iudicium ipsi perscriptum dedi. De quo hoc testatū uolo, me non ita amare meū iudicium, quin si quid reprehenderent aliquot boni uiri & docti, re communiter deliberata, ipsorū sententiam meae anteferre uelim. Christus seruet R. M. T. incolumem, ad salutem plurimarū gentium. Ex nostra Academia Vitebergensi, die 13 Martij, Anno 1535.

### Eidem.

Inclyte & clementissime Rex. Quod Regia Maiestas tua non solum amplissimo munere, sed etiam literis, in quibus illustre testimoniū est beneuolentie R. M. T. erga me, declarat, sibi officium meum in dedicando placuisse: multis de causis letor. Primum enim, quid mihi priuatim accidere potest honorificentius, quàm quod grauissimo iudicio sapientissimi regis ornatus sum? Deinde hoc nomine gaudeo, R. M. T. non abhorrere à meis scriptis: quod spero, postquam intellexerit, ea quæ docemus, Ecclesiæ necessaria esse, magnum momentum allatum esse ad ornandam gloriam Christi: & allectandos ad moderationem ceteros reges, quorum iracūdia sine modo aduersus studiosos puræ doctrinæ exarsit. Atq; hanc spem meam ualde confirmant literæ R. M. T., in quibus planè testatur R. M. T. se nunquā defuturam ijs cōsilijs, quæ ad gloriam Christi illustrandam suscipimus. Quæ uerba cum legeremus

legeremus ego & pleriq; alij, hunc animum R. M. T. maximis de causis gratulati sumus uniuersæ Ecclesiæ Christi. Scio R. M. T. pro sua excellētī sapientia intelligere, quā gloriosum sit, & dignum summis heroibus, ueram religionem propagare, & publicis uitij mederi. Ideo nō puto hac in re mea adhortatione opus esse. Tantum agam gratias R. M. T. & quod meum officium probat, & significationem ostendit minimè obscuram singularis beneuolentiæ erga me: quam tanti facio, ut libenter profitear me uicißim R. M. T. debere omnia studia mea, & (si quæ sunt) ingenij uires omnes. Vtinam uerò mihi tantum ingenij & doctrinæ esset, ut aliquo officio amorem erga R. M. T. & gratitudinē meam declarare possem. Illud certè efficiam, ut intelligi possit, non deesse mihi uoluntatē ac studium declarandæ gratitudinis R. M. T. tanquā optimo principi, & cupido iuuandæ uniuersæ Ecclesiæ. De cæteris rebus scripsi ad clarissimum D. secretarium supremum. Alexandrū Alesium R. M. T. propter egrēgiā ipsius fidem & doctrinam, & in omni officio diligētiam commendo. Bene & fideliter ualeat R. M. T. Ex secessu scholæ Vuitebergensis, Calend. Decembris, Anno 1535.

Eidem.

Inclyte et serenissime Rex. Clementer acceperūt aliquot Romani Imperatores, Adrianus Pius, &

b s deinde

Deinde fratres Verus & Marcus, apologias Chri-  
 stianorū: quæ quidē tantū apud illos moderatos  
 principes ualuerunt, ut eorum iracundiam aduer-  
 sus Christianos lenirent, & atrocium delictorū mi-  
 tigationem impetrarēt. Itaq; postquam est lis con-  
 tra piā doctrinā & Ecclesiæ necessariā, quam  
 profitemur, rogo ut R. M. T. benignè hanc nostrā  
 querelā & legat & consideret: præsertim cū non  
 solū nostra causa, sed multo magis propter publi-  
 cam Ecclesiæ salutem, hoc ad te scriptum institue-  
 rim. Cū enim illi Ethnici principes defensiones  
 nostrorum & admisserunt, & approbauerunt re-  
 gi Christiano & uersato in studijs sacrarum litera-  
 rum: decorum est & te audire piorum in Ecclesia  
 querelas & admonitiones. Scribo autem eo ad te li-  
 benius, quia antea cum singulari beneuolentiæ si-  
 gnificatione meas literas accepisti. Et in hac causa  
 spem aliquam mihi facit, te non grauatim hæc le-  
 cturum esse, quod phrasis ostendit, Episcopos haud  
 dubiè authores esse articulorum istic editorum, nō  
 te. Etsi, ut sæpe accidit laudatissimis principibus\*  
 ut suffragia accederent: ut Darium sapientem &  
 iustum, impulerunt tamē Satrapæ ut Daniele m leo-  
 nibus obijceret. Nunquam autem indecorū fuit bo-  
 nis principibus, corrigere iniustam asperitatem, &  
 (ut dicitur) habere *δευτέρας φροντίδας*, hoc est,  
 secundas deliberationes. Sapientissima ciuitas Atti-  
 ca

ea decretum fecerat, recuperata Mitylenda, quæ defecerat, ut ciuibus omnibus interfectis, omnis urbs deleteretur. Nauis missa est, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat. Postridie iterum relicto negotio, ab iisdem iudicibus fit cōtrarium decretum, ne poena uagaretur per omnes: sed prius authores defectionis plecterentur, & ciuitas seruaretur. Missa est igitur altera nauis, quæ properare iussa est, ut priorem anteuertaret: sicut accidit. Nec puduit ciuitatem tunc quidem latè regentem, publicè corrigere prius decretum. Multa huius generis exempla extant, quorum pleraq; nota esse tibi non dubito. Ac de Ecclesia sæpius correxerunt edicta: ut Nabuchodonosor, Darius. Assueri nomine edictum fuerat decretum de interficiendis Iudæis: id postea retractatū est. Ita sua edicta Adrianus et Antoninus correxerunt. Quanquam igitur extat edictum in Anglia factum, quod supplicium minatur alienum à consuetudine ueræ Ecclesiæ, & alienum à Canonibus: tamen existimaui adhuc licere nobis deprecari hanc asperitatem. Eaq; in re non tantum periculo eorum qui nobiscum sentiunt moueor: sed dolco, te alienæ sententiæ atq; impietatis ministrum fieri. Doleo à te Christi doctrinam arceri, stabiliri uitiosos ritus, confirmari libidines. Audio uiros excellenti doctrina & pietate præditos, Latimerum, Saxionum, Cramerū, & alios teneri

in custodijs: quibus opto animum ac robur dignum Christianis. Etsi autem ipsis quidem nihil melius accidere, aut gloriosius potest, quàm ut in manifesta ueritatis confessione mortem oppetant: tamen nollem R. M. T. sanguine talium uirorum respergi, nollem hæc Ecclesiæ uestre lumina extinguere, nollem impietati & uirulentis ac pharisaicis odijs inimicorum Christi te morem gerere. Nollem præberi uoluptatem Antichristo, qui gaudet in suum sinum, te iam aduersus nos pro ipso arma gerere: ac sperat Episcoporum opera se faciliè professionem, ex qua honestis & pijs consilijs deturbatus est, aliquando recuperaturum esse. Videt Episcopos ad tempus amorem gerere uoluntati tuæ, sed aeterno & perpetuo fœdere cum Romano pontifice coniunctos esse. Norunt hæc artes pontifices: ex multis sæuissimis tempestatibus eluctati sunt, ante hæc secula, contendo. Meminerunt uim, rem maximam, temporū: cogitant illud,

Multa dies, uanusq; labor mortalibus æni  
 Rettulit in melius. —

Multi boni & docti uiri in Germania spem conceperunt, fore ut autoritas tua etiam ceteros reges mutaret, ut tandem indignam crudelitatem principes Germaniæ deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Huius sanctissimi & pulcherri-  
 mi consilij ducem atq; authorem te fore statuebant.

Se d



Sed nunc præiudicio tuo nos non leue uulnus accipimus. Confirmatur cæterorum regum iracundia: augetur pertinacia impiorum: stabiliuntur ueteres errores ingentes. Sed illud haud dubiè contendunt Episcopi, se non errores, sed ueras sententias & ius diuinum tueri. Et quanquam non ignorant, te eo ipso cum iure diuino & Apostolica ecclesia pugnare: tamen homines astuti possunt inuenire bellas interpretationes, & ut uocat Euripides, σοφὰ φάσματα, quæ in speciem excusare errores & abusus uidentur. Hæc sophistica nūc nō tantum in Anglia habet admirationem sapientiæ, sed Romæ dominatur: ubi cardinalis Contarenus & \* Soletus N. nouis fucis tingunt abusus. In Germania etiam multorum nobilium animos hæc sophistica deprauauit. Itaq; nihil moror, his præstigijs istuc moueri plurimos. Et quanquam tibi nec eruditionis iudiciū deest: tamen & sapiētes speciosis persuasionibus à ueritate abducuntur. Laudatur illud Simonidis, qui summis uiris suæ ætatis, Themistocli et alijs, familiaris fuit: Opinio sæpe uim adfert ueritati. Sæpe magis speciosa est falsa opinio, quàm ueritas. Idq; maxime in religionis controuersijs accidit, ubi diabolus se in angelū lucis transformat: ornat quibus potest fucis falsas opiniones. Quàm concinna est Samosateni cauillatio de dicto Iohannis, In principio erat uerbum? Et tamen plena est impietatis. Sed

omitto aliena exempla. In ipso decreto, quàm multa sophisticè & insidiosè posita sunt? Confessio (inquit articulus) necessaria est, & retinenda. Cur non disertè dicit, necessaria iure diuino enumeratio delictorum? Sciebant Episcopi hanc sententiã falsam esse: ideo generaliter uerba posita sunt, ut offundatur caligo plebi. Cùm audit necessariã esse cõfessionem, intelligit enumerationẽ iure diuino necessariã esse. Similes præstigiæ sunt in articulo de priuatis missis. Et si initium planè falsum est, Necesse est retinere priuatas missas: quis sic sensit annis amplius quadringētis post Apostolos, cùm nullæ essent priuatae missæ? Sed postea sequuntur sophismata, Vt populus per eas recipiat diuinas cõsolationes & beneficia. Cur nõ addunt, quas cõsolationes, quæ beneficia? Non nomināt Episcopi applicationẽ & meritum, quia sciunt defendit nõ posse. Utiunt uerbis, ut elabi possint, si applicatio uituperaretur. Et tamẽ à populo applicationẽ intelligi uolunt. Volunt cõfirmari persuasionẽ idololatricã meriti: hoc sacrificiũ alijs remissionẽ culpæ, alijs leuationẽ omniũ calamitatũ, deniq; lucra in negocijs conferre, & quicquid adfinxit hominũ sollicitudo. Similis est sophistica, cum dicunt, coniugiũ sacerdotũ pugnare cum iure diuino. Non ignorant Pauli locum: Oportet Episcopũ esse unius uxoris uirũ. Quare sciunt, sacerdotibus cõcedi coniugiũ iure diuino. Sed quia nõ aũt accessisse

accesſiſſe ~~notum~~. Iudunt uerbis, nō dicunt uoto im-  
 pedi coniugium ſacerdotū in iure diuino. De-  
 inde quantum impudentiæ addunt, cū iubent diſ-  
 ſolui coniugia: cū tamen uotum ſacerdotum, & ſi  
 quid eſſet, aut ſi ualeret, tantum eatenus eos obliga-  
 ret, ne in miniſterio manerent, ſi ducerent uxores.  
 Hanc eſſe Synodorum & Canonum ſentētiam, ma-  
 niſteſtum eſt. O' ſcleratos Epiſcopos, ō impuden-  
 tiam Vintonienſis, qui his fucis arbitratur ſe ocu-  
 los Chriſti & omnium piorum iudicia in toto or-  
 be terrarum fallere. Hæc recitaui, ut deprehēſa  
 ſophiſtica, iudices de uoluntate & conſilio Epiſco-  
 porum. Nam ſi candidè & ex animo ueritatem  
 quærent, non his fucis & impoſturis uterentur.  
 Eſt autem cū in cæteris negocijs, illiberalis & di-  
 gna odio ſophiſtica: tum uerò maximè fugienda in  
 religionibus, in quibus impietas eſt ſumma, corrup-  
 pere & contaminare cœleſtia dicta. Itaq; ab hoc ar-  
 tiſicio diabolus nomē habet: cauillationib. & præ-  
 ſtigijs excutit hominibus uerbum Dei. Cur Epiſco-  
 pi non ingenuè fatentur, ſe doctrinæ & cultuum e-  
 mendationem nullam permiſſuros? quia ſit labefa-  
 ctura ipſorum dignitatem, opes & uoluptates. Cur  
 cæteri, qui ſunt ſuffragantes, non apertè dicunt ſe  
 retinere præſentem formam Eccleſiæ, propter uti-  
 litatem, tranquillitatē & ſplendorem? Hæc fateri,  
 eſſet ingenuitas. Nunc dum diſſimulant ſtadium ue-  
 ritatis

ritatis & pietatis, adfingunt inepta sophismata: & tamen uoluntatem produnt, nec sophismata illa tegunt errores. Sunt enim falsi & impij articuli in illo edicto, quātumuis speciose propositi. Quare optandum erat, Episcopos meminisse cœlestem comminationem apud Esaiam: Væ uobis qui leges iniquas cōditis. Quid facietis in die uisitationis & calamitatis uenturæ? &c. Væ qui dicitis malū bonū, & bonū malum. Accedo igitur ad res ipsas. Negari non potest, diuturnas et horribiles tenebras in Ecclesia fuisse. Traditiones humanæ nō tantum fuerunt carnificina piarum mentium: sed (quod est indignius) fuerunt cultus multipliciter uitiosi. Erant uota, donaria templorū, uestitus, ciborum delectus, battologie precum, indulgentiæ, honos statuarum: colebantur sancti manifesta idololatria: ignorabantur ueri cultus Dei, et uera opera. Deniq; magna similitudo erat ethnicarum religionū, & Romæ adhuc est. Erat ignota doctrina uera de pœnitētia, de remissione peccatorum, quæ fide in Christum contingit: de iusticia fidei, de discrimine legis & Euangelij, de usu sacramētorum. Clauēs translatae erant ad tyrannidem pontificum constituendā, longē anteferebantur politicis officijs ceremoniæ humanæ. Ad hos errores accedebant uitia contaminata libidinibus, propter legē de cœlibatu. Ex his tenebris Deus nonnihil euoluit Ecclesiam, repurgata doctri-

na. Fatendum est enim, non humana diligentia deprehēsos esse tam inueteratos errores: sed Dei donum est hæc Euangelij lux, quæ Ecclesiæ rursus ostensa est. Nam S. Paulus uaticinatur, postremis temporibus certamina uehementiora pijs fore cum Antichristo: & Antichristum stipatum satellitio ingenti episcoporum, hypocritarum, principum, aduersaturum esse ueritati, & interfectorum pios. Hæc fieri nunc, res loquitur ipsa. Romani episcopi tyrānis partim inuexit errores in Ecclesiam, partim cōfirmavit: & nunc tuetur uirilius, ut prædixit Daniel. Gaudebamus autem te ab illo seiunctum esse: ac sperabamus fore, ut Anglicæ ecclesiæ refloresceret. Sed Episcopi tui non sunt auulsi à Romano pontifice. illius enim idololatriæ, errores, uitia tuentur. Nam articuli editi astute delecti sunt: cōfirmāt omnes humanas traditiones, cum stabiliant præcipuē uota, cœlibatum & cōfessionem. Muniunt non solum auctoritatem, sed omnes errores, cum retinent priuatam missam. Ita arte cauerūt, nulla ut emendatio institui possit. Hoc egisse episcopos, res ostendit ipsa. Quis autem non doleat, sic opprimi gloriam Christi? Etenim, ut dixi, nō solum de his articulis, quorum ibi mentio, agitur. Opprimuntur articuli cæteri purioris doctrinæ omnes, si cultus humani necessarij & retinēdi sunt. Cur inquit Christus, Frustra colunt me mandatis hominum? Cur te

ties

ties detestatur Paulus humanas traditiones? Non enim certè peccatum est, instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc audaciam Deus horribiliter detestatur, qui uult agnoscì in uerbo suo, non uult fingi religiones humano arbitrio: alioqui omnes omnium gentium religiones essent probandæ. Non innitaris, inquit textus, prudentiæ tuæ. Sed Christum misit: hunc iubet audire, non hominum astutorum inuēta, qui religiones attemperant suis utilitatibus. Enumeratio delictorum in confessione, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim Coena Domini à Christo instituta est: tamen priuata missa est impia profanatio coenæ Domini. Nam in Canone quantum est sceleris? qui inquit, hic offerri Christum, & hoc opus sacrificium esse pro alijs: id quod nullo modo esse potest. sed idololatria manifesta est, et opprimit doctrinam de fide, de uero usu sacramenti. Fide in Christum iustificamur, non opere sacrificuli. & Coena instituta est, ut minister alijs porrigat, qui agētes poenitentiam admoneantur, ut credant uerè ad se pertinere promissiones Euangelij. cum hic proponatur testimoniū, nos fieri membra Christi, & ablutos esse sanguine Christi. Ab hoc usu, qui institutus est in Euangelio, & obseruatus in ueteri Ecclesia annis amplius trecētis, non licet discedere. Impietas enim est trāsferre ritum diuinum ad alios usus, iuxta secundum



rundum præceptū Decalogi. Quare cū missæ pri-  
 uatæ cum multis modis, oblatione, sacrificio, appli-  
 catione, denique alijs modis longissimè discesserint  
 ab instituto Christi, nō retinendæ, sed abolēdæ sunt.  
 Fugite, inquit Paulus, idololatriā. Est autem multi-  
 plex idololatria in priuatis missis, quam quidē pon-  
 tifices tueri postremis temporibus non mirū est.  
 Quia ait Scriptura, insignē idololatriā regnaturā  
 esse in loco Ecclesiæ, sicut Christus significat, in-  
 quien s: Cum uidebitis abominationē desolationis,  
 quæ dicta est à Daniele propheta, stantē in loco san-  
 cto, qui legit intelligat. Et Daniel cap. 11. Et Deum  
 in loco suo uenerabitur: & Deum, quem nesciue-  
 runt patres eius, colet auro, argēto, lapidib. precio-  
 sis. Vterq; locus de missa cōcionatur. Hunc cultum,  
 hanc tetrā prophanationē sacramenti, abominabi-  
 tur Deus. Sunt enim manifesta flagitia in hoc ritu.  
 Cōfertur ad quæstū, cogūtur indigni sumere, uel si  
 nolint. Applicant uiuis et mortuis: promittunt alijs  
 faustā nauigationē, alijs alia. Hec sunt aperta flagi-  
 tia. Sed nō minus reprehēdenda sunt, quæ imperiti  
 non cernūt. Non sunt humano arbitrio instituēdi ri-  
 tus sine mandato Dei. Quare errāt homines, cū of-  
 ferūt sine mādato Dei, cū ex hoc opere faciūt sacri-  
 ficiū: imaginātur priuatas missas faciēdas esse, quia  
 hoc ritu Deus coli uelit. Et uidemus auro et argēto,  
 apparatu, sumptu ingēti missas seruari, sacramētū  
 circum-

circumferri, adorandum in auro & argento: cum ad hunc usum non sit institutum sacramentū. Quare cum mandatum Dei iubeat fugere idololatriam, non erunt retinendæ priuatæ missæ. Ac miror cur dixerint, necessariò esse retinendas: cum constet, olim nullas fuisse. An deerat puriori Ecclesiæ annis trecētis post Apostolos, res necessaria in cultu Dei? Quid potest dici absurdius? Videmus acerrimis studiis defendi priuatas missas. Quod fit magis ab alijs, qui seruiunt uulgi adfectibus, quod egrè sibi præripi hoc præsidium, ut existimo, patitur, quàm uera aliqua ratione. Sed tamē firma ac perspicua causa est cur abrogari debeant. Primum enim applicatio haud dubiè est impia: non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed sua quisque fide iustus est. Nec uult Deus quenquam confidere suæ siue iusticiæ, siue ceremoniæ ulli. Applicatio pro mortuis est plena erroris, & frustra hîc finguntur sophismata ad excusandam applicationem. Nemo ex populo aliter sentit, quàm hoc opus prodesse uniuersæ Ecclesiæ. Ipsæ etiam missæ hoc profitentur, quòd ludunt uerbis quidam astuti, qui negant se applicare causas, cum sciant suo facto cōfirmari populi errores, etiam si ipsi aliter sentiant. Quanquam quotus quisq; aliter sentit? Absit diſsimilitudo à diuinis ritibus: utamur eis, ut docēt Sacræ literæ, & ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominum  
audacia

audacia discessit à ueteri more? Cur nunc defenditur aliorum erratum, qui mutauerūt Christi institutum? Iam etiamsi fingat aliquis se non applicare: tamen ita cærononiā seorsim facit, ut existimet hanc oblationē esse cultum, quē Deus requirat. Id quoque improbandum est: Quia non sunt instituēdi cultus humano arbitrio, sine mandato Dei. Quare obsecro per gloriam Christi, ut in Missa non defendas articulum illius decreti: sed sinas rem diligentius à pijs & doctis deliberari. Nostri habent euident & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omniū posterorum iudicijs opponere, qui ueterem doctrinā, ueteres ritus multis erroribus contaminauerunt. Reliquis articulis non opus est longa disputatione. Vota impia, ficticia, impossibilia non sunt seruanda. Non dubium est, omnium deuotis hanc esse persuasionem. Nec opera ab hominibus instituta esse cultus Dei. Sic sentiūt etiam, qui modestissimè loquuntur. Alij plus eorum addūt, hæc opera esse perfectiones, mereri uitā æternam. Porro has opiniones taxant diuinæ literæ. Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominū. Et Paulus ait, has ipsas obseruationes esse doctrinas demoniarum: quia tribuunt humanis artibus falsum honorem, quod sint cultus: obscurant fidem, & ueros cultus. Item ad Colossenses ait: Nemo uos decipiat simulata humilitate. Quare decreta facitis? Ergo

94  
hæ ipsæ humanæ traditiones sunt re ipsa impij cultus. Accedunt deinde alia multa uitia. Totum genus uitæ monasticæ, quātum habet superstitionum, profanationes missarum, inuocationes sanctorum, uestitus, ciborum delectus, supersticiosas preces sine modo. Hæ causæ singulæ sufficiunt, quare uota sint irrita. Quid quod maxima pars inuitatur ad hoc genus, propter culinas? Præterea uotum coelibatus non est omnibus possibile, ut Christus ipse inquit: Non omnes capiunt hoc. Rescindēda autem sunt uota, quæ sine peccato præstari non possunt. Sed hæc satis explicata à nobis alibi sunt. Valde autem miratus sum, uotum sacerdotū in Anglico decreto arctius etiā astringi, quàm uotū monachorū: cum Canones ipsi tantum eatenus uoluerint obligatum esse presbyterum, si sit in ministerio. Planè cohorrui legens hunc articulū. Prohibet matrimonia, & contracta dissoluit, & addit poenam capitalē. Etsi autem aliqui interfecti sunt sacerdotes pij propter cōiugium: tamen legem hanc adhuc nemo scribere ausus est. Videbant enim pleriq; omnes sanos & moderatos hanc crudelitatem detestatos esse: uerebantur etiā iudicia posteritatis. Quis credat in Ecclesia, in qua lenitas præcipua erga pios esse debet, tantam posse existere seuitiam, ut capitales poene constituentur in homines pios, propter cōiugium?

At uiolant uotum, Id enim allegaturos opinor  
episcopos

episcopos. Primum id uotum ( ut dixi ) irritum  
 est, cum sit falsus cultus, & sit impossibile. Deinde  
 etiam si ualeret, tamen non obligantur discedentes  
 à ministerio. Postremò, si hîc uellent consultum con-  
 scientijs Episcopi, deinde ordinarèt presbyteros si-  
 ne uotis. Sicut constat ex ueteribus canonibus olim  
 multos sine uotis ordinatos esse: & hos, cum postea  
 ducerent uxores, mansisse in ministerio, ut testatur  
 c. diaconi, dist. 28. Profectò, quid quærat, dubi-  
 to. Non enim articulo hoc iniusticiam accusare pos-  
 sum. Nemo ignorat mandatum Dei: Propter forni-  
 cationem habeat quisq; uxorem suam. Nemo nõ ui-  
 det qualis sit uita cœlibum. Bonorũ querelæ notæ  
 sunt: malorum turpitudine maxima est. Sed fortassis  
 Episcopi illic Epicureas opiniones habent: iudicât  
 Deum non offendi libidinibus. Quod si sentiunt,  
 difficilem nos quidem causam agimus apud tales iu-  
 dices. Scia cœlibatum aptiorem esse ad splendo-  
 rem Episcoporum & collegiorum conseruandum;  
 & ad opes tuendas. Et hanc opinionẽ quibusdam  
 esse causam, cur tantum perhorreant à coniugio sa-  
 cerdotum. Sed ô miseram Ecclesiam, si seruire le-  
 ges non ueritati, non uoluntati Dei, sed iniustis libi-  
 dinibus coguntur. Errant, qui putant sibi licere  
 leges condere, pugnâtes cum mandato Dei, cum iu-  
 re naturæ, modò sint utiles ad opes tuendas. Et  
 doleo profectò ex animo & tuam uicem, Rex inclý

te, & uicem Ecclesiæ Christi. Ostendis te Romani episcopi tyrannidem improbare, & uerè eum uocas Antichristum: interea eas leges Romani Antichristi, quæ sunt nerui potentiæ ipsius, defendis: ut sunt priuatæ missæ, cœlibatus, & cæteræ superstitiones. Minaris atrocissima supplicia uiris bonis, & membris Christi: opprimis illucescentem in Ecclesijs tuis ueritatem Euangelij. Hoc non est Antichristum tollere, sed confirmare.

Obtestor igitur te propter Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, ne conscientiam tuam horum articulorum defensione polluas, quos Episcopi de priuatis missis, de confessione, de uotis, de cœlibatu sacerdotum, de prohibitionem integri sacramenti ediderunt. Non est leue peccatum, idololatriam, errores, crudelitatem, libidines Antichristi stabilire. Si nunc haberet Romanus episcopus synodum, quos articulos præcipuè conderet, uel orbi terrarum imponeret, nisi illos ipsos quos recensent Episcopi tui? Agnosce, quæso, diaboli insidias, qui quidem in primis gubernatores adoriri ac tentare solet. Et cum sit hostis Christi ab initio mundi, præcipuè hoc molitur omni uasfricæ, ut Christum contumeliâ adficiat, sparsis impijs opinionibus, & excitata idololatria. Deinde ut iniustis cædibus & libidimbus polluatur humanum genus, & potetum uiribus: ut historia omnium temporum ostendunt,  
magna



magna imperia seuisse in Ecclesiam. Sed tamen aliquos principes ab illo gigantum exercitu adduxit ad Ecclesiam, & agnoscere ueram doctrinam: & ueros cultus uoluit. Vt Abraham erudit Abimelech, Ioseph Aegyptios reges: postea David, Iosaphat, Ezechias, Iosias excelluerunt pietate: Daniel flexit ad agnitionem Dei reges Chaldaeos & Persicos. Dedit & Britannia pium principem orbi terrarum Constantinum. In hoc te cœtu potius optarim, quàm inter hostes Christi, contaminatos idololatria, & respersos sanguine piorum: de quibus Deus poenas sumit, ut sepe cõcionantur & ostendunt multa exempla. Rursus igitur te propter Dominum nostrum IESUM CHRISTUM obtestor, ut decretum Episcoporum lenias & emendes: eaq; in re Dei gloriæ seruias: & consulas tuæ & Ecclesiarum tuarum saluti. Moueâre uotibus multorum piorum in toto orbe terrarum existentium, qui optant ut aliqui reges conferant auctoritatem suam ad ueræ Ecclesiæ emendationem, & ad tollendos impios cultus, ac propagandum Euangelium, qui sunt uera Christi membra. Et si non mutabitur decretum, sine fine grassabitur in Ecclesia seuitia Episcoporum. Hos enim habet diabolus odij sui aduersus Christum & furoris administratos, hos impellit ad Christi membra trucidanda. Horum impias & crudeles sententias & sophisticas cauillationes, miseri-

cordiæ ueræ & iustissimæ deprecationi ut non anteferas, omnes pij orant, & obtestantur. Quod si impetrabunt, Deus haud dubiè ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis & uoce uirtus tua celebrabitur. Christus enim iudicaturus est bene & malè meritos de Ecclesia. Et cum uincant literæ, extabit ad posteritatem memoria rerum tantarum: & cum Christi gloriæ seruiemus, ut Ecclesiæ nostræ sint Christi Ecclesiæ, non deerunt qui piæ causæ patrocinari, bene meritos debita laude ornare, & crudelitatem uituperare poterunt. Circumuiuit Christus esuriens, sitiens, nudus, conquerens de pontifici rabiæ, & multorum regum iniustissima seueritia, petens ne lacerentur corporis sui membra, sed ut defendantur ueræ Ecclesiæ, ornentur Euangelium. hunc agnoscere, ex corde fauere, pij regis est officiū, & cultus Deo gratissimus. Bene uale, 1. Noebris, Anno 1529.

Franciscus Dei gratia Francorum Rex, dilecto nostro Philippo Melan-  
chthoni S. D.

Singulare tuum ad sedandas eas quæ in doctrinam Christianam inuectæ sunt altercationes, studium intellexeram antea quidem ex Guiljelmo Be-laio Langio, cubiculario atque consiliario nostro, quo ego præcipue sum usus ad eam rem administratore atque interprete. Nunc uerò ex literis ad  
cum

eum tuis, & sermone redeuntis à te Barnabæ Vor-  
cumfossæ Voræi intellexi, te etiã hoc laboris per-  
libenti animo suscepturum, ut ad nos primo quoq;  
tempore te cõferas, deq; unione doctrinarum cum  
aliquot nostratibus Doctoribus hîc apud nos co-  
rãm differas: atque rationes meas, \* quò refarciri  
possit pulcherrima illa Ecclesiasticæ politię harmo-  
nia, qua una \* & cum ego mihi nihil unquam quic-  
quam maiori cura, studio & sollicitudine animi cõ-  
plectendum esse duxerim, committere nolui, quin  
hunc statim Voræum Fossam ad te dimitterem, cum  
his uelut publicæ fidei obsidibus literis: obtestarer  
etiam, abduci te ullius persuasione ut ne sinas, ab  
hoc pio sanctoq; instituto. Venies omnino mihi gra-  
tissimus, seu priuato tuo, seu publico uestrorum no-  
mine adueneris: meq; re ipsa experieris, ut priua-  
tim uestræ Germaniæ dignitatis, & publicæ in u-  
niuersum quietis, ante omnia esse, ut adhuc semper  
fui, studiosissimũ. Vale. Ex oppido Brukeo, die 23.  
Iunij, Anno 1535.

Christianissimo & potentissimo  
Regi Galliæ P. M.

Christianissime & potentissime Rex. Cum alijs  
multis ornamentis pulcherimum Franciæ regnum  
longè antecellit omnibus regnis totius orbis terra-  
rum: tum hæc laus inter præcipuas ducenda est,  
quò doctrinæ studijs cæteras nationes semper ui-

cit, & pro religionis Christianæ defensione præcipue uelut in statione perpetuò fuit. Quas ob causas meritò titulū habet auspiciatissimū Christianissimū, quo nullū in terris præconiū maius, aut acutius dici potest. Quare gratulor R. M. T. quòd etiā hoc tempore suscipit curā sanāde doctrinæ Ecclesiæ: nō tamen uiolentis remedijs, sed uera ratione, & digna Rege optimo & Christianissimo. Et in his dissensionib. utriusq; partis impetus ita moderari studet, ut explicata doctrina Christiana, & repurgata simul gloria Christi, dignitati ordinis Ecclesiastici & tranquillitati Reipub. consulatur. Profectò hac uoluntate & his consilijs nihil gloriosius, nihil hac re dignius excogitari potest. Itaq; R. M. T. oro, ut non desinat in hanc curam cogitationemq; incumbere. Etsi enim publica dissensio alibi immoderatis, uel etiam malis doctoribus locum tribuit: tamen à bonis uiris pleraq; patefacta sunt, quæ extare in Ecclesia plurimū refert. Quanquam igitur coercenda est in malis petulantia: tamen oro Deum, ne R. M. T. asperioribus iudicijs aut scriptis quorundam sinat se abduci, ut etiam res bonas & Ecclesiæ utiles deleri patiatur. Mihi quidē nulle immoderate opiniones, aut quæ labefactarunt pulcherrimum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem, unquam placuerunt. Nihil clarius, nihil antiquius esse debet. Atq; ita scio apud nos affectos omnes bonos uiros,

uiros, qui in hoc ipso doctrinae genere uersantur,  
 in quo & ego uersor. Itaq; cum accepissem literas  
 R. M. T. Deum testor, me, quantū potui, conatū es-  
 se & contendisse, ut statim ad R. M. T. accurrerem.  
 Nam mihi nihil optatius est, quā ut pro mea te-  
 nuitate aliquid opis adferre possim Ecclesiae: ac in  
 spem optimam ueni, postquam cognoui eam pieta-  
 tem ac moderationem esse R. M. T. ut in commune  
 gloriae Christi consultū cupiat. Sed quātiā me dif-  
 ficultates paulisper adhuc remorentur, intelliget  
 R. M. T. ex Voræo: quæ quidem licet moram attule-  
 rint huic itineri, tamen animum meum neq; à profe-  
 ctione, neque à consilijs aut studio tantarum con-  
 trouersiarum auerterunt. Sed hæc exponet omnia  
 copiosius Voræus. Postremò me R. M. T. com-  
 mendo: ac polliceor me iudicium meum perpetuò  
 ad doctorum & bonorum uirorum in Ecclesia sen-  
 tētiā aggregaturum esse. Christus seruet R. M. T.  
 florentem & incolumem, & gubernet ad com-  
 munem orbis terrarum salutem, & illustrādam ac  
 ornandam gloriam Dei. Data in Saxonis,

V. Calendas Septembris, anno

Domini 1535.

C s Conf.

Consilium D. Philippi Melanchthonis,  
scriptū ad Marchiacas ecclesias, in quo  
exponitur, quos ritus, salua tamen do-  
ctrina, Ecclesiæ recipere & ser-  
uare possint.

In tanta Ecclesiarū mœsticia & dissipatione o-  
ptarū, quā minimum fieri mutationum: semper  
enim tranquillis temporibus aliquid est in mutatio-  
ne incommodi. Nunc multo magis, dolore afficiun-  
tur bonæ mentes, cū uident tales mutationes insti-  
tui, quæ significant inclinationem ad inimicos no-  
stros, quos certum est defendere uitiosos cultus.  
Propter hanc inclinationis opinionem triumphant  
& confirmātur inimici, & inter nos multi pī lan-  
guescunt, & in dubitationem adducuntur. Quare  
suasores mutationum grauius accusantur, & iudi-  
cantur scandalorum insignium authores esse, uideli-  
cet languescationis in ea parte quæ rectè sentit, &  
conformationis errantium, denique & obscuratio-  
nis ueritatis & gloriæ Dei. Hæc non sunt exigua  
mala, de quibus postea rursus dicendum est, cū col-  
latio fiet scandalorum, quæ ex durioribus & mol-  
lioribus sententijs sequuntur. Prius autem discernen-  
da est confessio priuata à consilio, quòd alijs infir-  
mis & dissimilibus datur. Laurentius rectè fecit,  
quòd mortem prætulit edicto Decij de pecunia.  
Fuit enim in ea occasione confessio eius illustrior,  
& talis



et talis celsitudo animi singulari motu spiritus sancti iuuabatur. Alius timidior censuisset pecuniam potius amittendam esse, quam uitam: et fuisset huius infirmitas excusabilis. Nihil igitur hic prescribam fortibus, qui etiam leui occasione confessionem illustrem suo periculo edere uolunt. Sed uideant an ueras sententias profiteantur, et earum fontes norint, et non sint *θρασύδαλοι*, id est audaces ante pugnam, et postea in pugna dubitare, trepidare et deficere incipiant: quales uidimus multos usque ad ancillae uocem fortes, ut in Petri historia exemplum positum est.

Non autem de priuata confessione disputo: sed de consilio dando alijs \* dissimilibus et infirmis: ut hoc tempore multi gubernatores petunt, ut pastores restituant aliquos ritus adiaphoros: eamque moderationem sperant profuturam, ut plus non postuletur, ne turbentur Ecclesiae propter alias res maiores.

Hic tamen sentio, petentibus talem moderationem gratificandum esse. Nec ignoro multa horridè et Stoicè dici, \* quam hanc sententiam seu timidiorem seu equiorem, cum initia mutationis confirmant aduersarios, ne quidem parua ducenda esse adiaphora. Hanc durio rem opinionem si qui amplectuntur, suo, non alieno periculo amplectantur. Cum Petrus dicit, patiendum esse ubi opus est: praecipit, ut  
confessio

confessio sit de rebus serijs & necessarijs, et occasio sit honesta adeundi periculum: ut cum magistratus interrogarit de doctrina, uel præcipit ut factis ipso abijciamus doctrinam: sicut ethnici præcipiebant, ut milites idolis sacrificarent.

Itaq; non solum docti & fortes, sed etiam populus anteferre debet ueritatis confessionem, uitæ & paci in rebus ueris, quarum cognitio omnibus necessaria est: ut cum præcipitur de corruptelis doctrinæ recipiendis, aut de manifesto abusu missarum, aut de inuocatione mortuorum, est erudiendus populus ut discrimen intelligat inter necessaria & non necessaria. Sed cum petitur ut seruetur ordo ueterum cantionum, feriarum & uestitus, hic non iudico populum onerandum esse periculis: cum Petri regula dicat, Patientes ubi opus est. Meminimus, in loco uicino Basileæ crematum esse quendam propter esum carniū. Et si crudelitatem iudicum iustissime execramur, & constantiam boni hominis in confessione laudamus: tamē & ipse nequaquam male fecisset, si hoc periculum uitasset: & certē alios onerare nemo debet, ut tali occasione sibi periculum accersant.

Secundò, non tantum metu moueor, ut pias, elegantes & similes cærimonias optē in Ecclesijs nostris esse. Sæpe ante multos annos, non ego tantum, sed etiam alij multi gubernatores Ecclesiarum, hor-

tatores

tatores fuerunt, ut in Ecclesia pia & similis forma rituum institueretur. Nec propterea doctrinam de libertate Evangelica abolemus, quæ de rebus multo grauioribus concionatur. Sed omnes sani intelligunt, naturæ hominum conuenire ordinis elegantiam in publicis cōgressibus: sicut & Paulus dicit, Omnia fiant decorè & bono ordine. Ac dolemus, in multis locis etiam utiles cærimonias, ut absolutionis & cantionum, abolitas esse. Sed scandalum est, cōfirmare aduersarios hac spe inclinatiois.

Ad hoc respondeo, si constantia erit confessionis in rebus necessarijs, ut esse debet, non poterit defectio nobis obijci. Volo enim & deinceps semper eandem uocē doctrinæ, & nullos recipi impios abusus. In cæteris autem rebus ostendamus modestiam, & tolerantiam nostram in seruitute. Hæc ipsa submissio cum fieret retinendi Euangelij causa, honestior esset, quàm superbior in deserendis Ecclesijs pertinacia. Præterea maius est scandalū, deserere Ecclesias propter causas nō maximas, aut præbere causam iudicijs populi, qui diceret nos propter paruas res pertinacia nostra attrahere bella, quàm præbere aduersarijs qualemcunq; occasionē calumniandi nostram moderationē. Et cogita uter malè faciat: an ille durus & horridus, qui ut retineat laudem constantiæ, mauult Ecclesiā deserere, quàm uestem mutare: aut uerò hic patientior seruitutis, qui

qui ut proſit Eccleſiæ, ſuſtinet onera quamvis in-  
grata, ſed ſine impietate, ut interea maneat in prin-  
cipalibus in eodem ſtatu, & non tollatur mini-  
ſterium Euangelij, & non turbetur inuocatio in  
populo. Sæpe fit etiam, ut illi ipſi duri & ue-  
hementes negligant, imò etiam impedian, & in-  
terea de rebus minutis tumultuentur: ſicut dictum  
eſt de colantibus culicem, & deuorantibus came-  
los. Pugnant aliqui de ueſte, & interea prorſus  
tacent de diſciplina: imò magis eam laxant, de ex-  
cõmunicatione, & alijs neruis uitioſorum cultuũ.  
Sed confirmas, inquiunt, aduerſarios? Non: ſed de-  
claramus modèſtiam noſtram, & ſtudioſum iuuan-  
dæ Eccleſiæ, quòd uidelicet ſeruitutem durioſam  
toleramus: & quidem ideo toleramus, ne Eccleſiæ  
deſerantur. Item, ut omnes intelligant, nos non de  
noſtra libertate, ſed de neceſſarijs articulis dimica-  
re: ac ſeruitutem eo modèſtius feramus, quia præ-  
textu libertatis nos abuſi ſumus omnes. Faten-  
dum eſt, non uulgarem petulantiam fuiſſe multo-  
rum, in cõturbanda doctrina: nec populus tantum,  
ſed etiam gubernatores & ſeniores nimium negle-  
xerunt exercitia temperantiæ, utiliſ inuocationi.

Magna fuit in diſcendo, in inqueſtione & ex-  
plicatione ueritatis, negligētia: nemo curauit inſpi-  
ci Eccleſias, & rudiores paſtores erudiri. Multi do-  
ctores affectibus ſuis nimium indulſerunt: aliqui  
etiam

etiam intempestiue miscuerunt causam Ecclesie & alia negocia. Hec nostra peccata, & alia multa, comonefacti iam presentibus aerumnis deprecemur: & ita feramus seruitutē, ut donec possumus Ecclesie prodesse, non discedamus. Nec propterea amittitur Christiana libertas, si recte docebimus. nam cordatiores scient tales ritus non esse cultus Dei: sed alia maiora opera, fidem, ueram inuocationem, dilectionem, spem, patientiam, ueritatem, confessionem, castitatem, iusticiam erga proximos, & alias uirtutes, ueros cultus Dei esse. Sine hac doctrina, et sine his uirtutibus, doctrina externa in cibo, uestitu & similibus adiaphoris, non est Christiana libertas: sed noua politia, fortassis gratior populo, quia patientiora uincula habet.

Obijciunt autem aliqui dictum Pauli: Si quæ destruxi, ea restituo, præuicator fio. Non errauit Paulus in destruendo. At in hac nostra infirmitate, cum primum ueteres ritus aboliti sunt, magna fuit & docentium & opinionum & locorum dissimilitudo. Aliqui priuatam absolutionem prorsus aboleuerunt: quod cum non sit recte factum, etiam ante hoc tempus eam restitui optaui. Fateamur nos homines esse, & potuisse quædam temere & in-circumspecte dicere & facere: talia, si quæ sunt, non grauati emendemus. Nec restitutio aliorum rituum meliorum præuicatio est, cum doctrinae puritas

ritas retinetur. Nam qui Paulo obijciebant restitutionem illam, uolebant eum doctrinae genus mutare, & alijs præponere legem Mosaicam tanquam necessariam. Alibi in usu attemperat se ad mores eorum cum quibus conuersatur, & propter Ecclesiae utilitatem sua libertate non utitur.

Et si nunc scio multos de hac questione duriorē sententiam magis probare: tamē si profutura est seruitus ad hoc, ne amittant Ecclesiae uocem ueræ doctrinae, nec onerentur uitiosis cultibus: pia & grauis causa est, cur seruitutem quamuis duram anteferamus alijs consilijs, in qua tamen nec conscientie uulnerentur, nec inuocatio piorum turbetur. Et quia non leuiter antea disiecta nostra nobis nocuerunt, non moueamus nunc inter nos ipsos certamina nō necessaria: sed singuli in alijs quædam boni consulamus, & communi tranquillitati condonemus: & leniamus Ecclesijs molestiam nostra æquitate, quantum possumus: & filium Dei Dominū nostrum Iesum Christum oremus, ne sinat extinguī lucem ueræ doctrinae, & ueram inuocationem. Anno 1549.

Nobili, eruditione & uirtute præstanti uiro, D.N. consiliario ducis Saxoniae  
Electoris, &c. P.M.

S. D. Cum de beneficio illustrissimi principis  
Electoris, ac de tuo studio in causa Iona antè aman-  
ter



ter scripseris: & adiunxeris adhortationē, ut consilia instituta de concordia Ecclesiarū, & meo loco adiuuē: de utroq; negotio necessario respondendū esse censui. Teq; oro, ut hanc epistolam, longiorē quā quales ad occupatos scribere soleo, non grauatim legas. Totum me tibi aperio.

Primum autem hoc tibi cōfirmo, me optare, ut illustrissimus Princeps de sua & consilij sententia staret, quod uideatur maximē salutare fore & ipsi, & Reipublicæ. Ego, cū decreuerit Princeps, etiam si quid non probabo, tamē nihil seditiose faciam: sed uel tacebo, uel discedā, uel seram quicquid accidet. Tuli & antea seruitutem penē deformē, cū saepe N. magis suæ naturæ, in qua philoſophia erat non exigua, quā uel personæ, uel utilitati communi seruiret. Et scio omnibus ætatibus, ut rempestatum incommoda, ita aliqua in gubernatione uitia, modestis arte ferenda & dissimulanda esse. Sed non modò silentium à me flagitari dicas, uerū etiam suffragationem. Non dubito te uirum sapientem, & hominum naturas inspicere, et sagaciter de ingenijs & uoluntatibus iudicare. Non sum natura philoſophos: & si quis alius, consociationem hominum ualde amo: nec moui has cōtrouersias, quæ distraxerunt rempublicam, sed incidi in motas quæ cū multæ essent & inexplicatæ, quodam studio querendæ ueritatis, præsertim cū multi docti &

d      sapien-

sapientes applauderent, considerare eas coepi. Et  
 quanquam materias quasdam lucidiores autor ini-  
 tio miscuerat: tamen alia uera & necessaria nō pu-  
 tau reiiciēda esse. Hæc cū excerpta cōplecterer,  
 paulatim aliquas absurdas opiniones uel sustuli, uel  
 lenij. Cumq; multa tribunitia passim in tota Ger-  
 mania plebs in conuiujs, & indocti concionatores  
 in templis adderent, primum in inspectione Eccle-  
 siarum multa correxi: quo tempore alij accenderūt  
 aduersus me aulam, propter studium moderatio-  
 nis. Ac postea ferè annis uiginti, alij me frigus &  
 glaciem nominauerūt, alij me assentire aduersarijs  
 dixerunt. Memini quendam mihi obijcere, me am-  
 bire galerum Cardinalitium. Hac iniquitate iudi-  
 ciorū nihil motus, cū in his operis scholasticis di-  
 ei de Ecclesiæ doctrina necesse esset, res necessarias  
 quanta potui proprietate exposui, præcidi inutiles  
 quæstiones: quosdā scrupulos præterij, ne accēderē  
 tur maiora dissidia. Et profuisse hāc propriā ex-  
 plicationē ad consensum Ecclesiarū in multis regio-  
 nibus, non est obscurum. Sed quidam mihi eò ira-  
 scuntur, quòd inuitasse iuuentutis studia ad doctri-  
 næ nostræ genus existimāt, & confirmasse multo-  
 rum uoluntates. His respondeo, quod mota repu-  
 blica Attica, et translata gubernatione ad quadrin-  
 gentos, respondit Pisandro Sophocles, interrogan-  
 ti cur statum Quadringentorū admisissent? Quia,  
 inquit,

inquit, nihil uideo in Repub. melius fieri potuisse.  
 Non flectere me ad aduersarios uolui: ( & me  
 hortabantur multi potentes uiri ) quia iudicavi re  
 ctius, & his regionibus nunc quidem cōuenientius  
 esse, harum Ecclesiarū statum si quibus officijs pos  
 sem tueri, & ornare. Quanquam & hic status nō  
 meo, sed aliorū consilio constitutus erat: in quo et  
 si multis quedam displicebant, ut in omni guberna  
 tione aliqua sunt uitia: tamē in hoc agmine, in quo  
 studium erat querendæ ueritatis, esse malui, quā  
 apud hostes, qui iniustam seuitiam exercebant. &  
 deinceps tranquillitati Ecclesiarum libenter serui  
 turus sum: sed turbare eas uel mutato genere doctri  
 næ, uel pellendis honestis uiris, nequaquam uelim:  
 deq; earum noua dissipatione cū cogito, ingenti  
 dolore iam quoq; adficior. Nihil tam tenerum est,  
 nihil facilius turbatur, quā innouatio in mētibus  
 hominum: nec maius ullum malum est, nec acrior  
 ullus dolor, quā innouationis linguefactio.  
 Adsentior, inquires, nec mutabitur genus doctrinæ:  
 tanta est N.N. pietas, ut sanare & coniungere Ec  
 clesias uelit. Credo Imperatoris uoluntatem bo  
 nam esse, & uideo mediocres conditiones proponi:  
 sed tamē pauca quedā mitigari uelim. Multa spon  
 te & liberaliter largior, de quibus acerrimē pugna  
 uerunt alij. Politiam Ecclesiasticam conseruari o  
 pto. Fortassis sum ingenio seruilis: sed tamē uerē mo  
 dē  
 d 2 destiam

destiam esse conuenientem bonis mentibus, gradus gubernationis non labefactari, existimo.

Forma uetus collegiorum magno consilio constituta est ad exemplum Ecclesie, quæ in populo Israel fuerat, ut ibi doctrinæ custodes & testes essent, & sint in collegijs aliqui docti uiri. Nec existimandum est, ad diuturnitatem aulas Principum illiteratorum futuras esse in custodienda doctrina diligetiores. Libèter & cæremonias, quas Liber præcipit, accipio. Scio enim disciplinæ partem esse cæremonias. Et opinor uitam meam testari, me disciplinæ & ordinis amantem esse: & constat, meis scriptis qualibuscunq; inuitari iuuentutem ad intelligendam & amandam disciplinam. Puer etiam in tēplis singulari uoluptate ritus omnes obseruauit: & natura mea alienissima est ab illa Cyclopica uita, quæ ignorat ordinem actionū, & odit ritus communes uelut carcerem. Nec tantum amplector hæc quæ recēsui, sed etiam persuadere alijs eandem sententiam studebo.

De fide autem fuit admonitio necessaria, quam ad uos misi, & obtineri posse emendationem arbitror. In ea enim causa melior est Imperatoris uoluntas, quàm aduersariorum: qui gloriosum sibi ducunt, nos tanquam pueros præstigijs ludificari.

De inuocatione mortuorum, & in alijs mutationibus, tetra exempla uidistis: ipse talia nequaquam  
stabiliam

stabiliam mea suffragatione. De cæteris articulis nunc non pugnabo. Illud autem in hac deliberatione considerandum est, quid mediocribus pastoribus persuaderi possit. Vellem igitur vos & præcipuis ex senioribus pastoribus consilium uestrum planè exponere, & ostendere cur hanc conciliationem Ecclesijs profuturam existimetis. Harum apud uicinas gentes autoritas etiam ualeret: quarum uoluntates si non adiungentur ad uestras, noua dissidia erunt. Si quis autem uel stultam uel iniustam pertinaciam esse iudicabit, nō assentiri libro in omnibus articulis, & abuti nos lenitate Imperatoris dicat: huic respondeo, me non tantum publicæ pacis causa, sed etiam ne inuocatio in rudioribus turbetur, multa largiri & dissimulare: nec ignorare me illud Pindaricum, τὸ σιγαῖν πολλάκιν ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώποις. Sed modus est quidam eius rei.

Si autem hac moderatione placari potentes non possunt, & uideor Ecclesiæ esse ἀλάστωρ: aut uideor apud nostros amēs fuisse, uelut Melanthius apud procos Penelopes, auctor pecoris edendi, ut Ouidij uerbis utar, uel monstrator armorum: feram Deo uolente, quæ accident, non ut illi Melanthiō, sed ut alijs multis, qui in bonis causis, etiam leuioribus, ueritatem uitæ antetulerunt. Nec impedio, quo minus constituent Rempublicam suo arbitrio gubernantes.

d , Et si

Etſi autem ſcio, hanc meam moderationem non  
 ſatisfacturam eſſe ijs qui ſummā potentiam tenent:  
 tamen te oro, ut cum hæc certamina non mouerim,  
 & ſine petulantia ueritatem quaſierim, & meæ  
 explicationes multis bonis rebus aliquid lucis attu-  
 lerint, mihi ut ueniam des, uel ſtudio noſtrarum Ec-  
 cleſiarum cupienti, ne earum trāquillitas turbetur,  
 uel alioqui minus uidēti quid expediat. Conſilijs  
 de bello nunquam adhibitus ſum: cumq; Ducum na-  
 turas noſſem, dolui eos arma capere. Sciebam &  
 illud, nihil eſſe ſimile Pelopidæ & Epaminundæ.  
 Non unquā iudicium & dolorē ante bellum ijs o-  
 ſtendi, quorum \* apud principum uolebat autori-  
 tas. Nec ad Stoicum fatum refero hanc calamitatē,  
 ſed multis magnis delictis homines pœnas attraxiſ-  
 ſe agnoſco. At Deum oro, ut in ira miſericordiæ  
 ſuæ recordetur, & ſeruet Eccleſias & politias, quæ  
 ſunt hoſpitia piorum ſtudiorum. Bene uale, 4. Ca-  
 lend. Maij.

Ioanni Obernburgero Cancellario  
 Caroli Cæſaris, S. D.

Etſi exempla moderationis & clementiæ in ui-  
 ctoria, recitari ex hiſtorijs ueterib. multa poſſunt:  
 tamen ingrati eſſemus, ſi aliorum potius quàm Ca-  
 roli manſuetudinem & lenitatem commemorare-  
 mus, qui cum captis regibus & principibus magna  
 cum laude pepercit: tum uerò iam inſigni exemplo  
 uictoriam



uictoriam moderatus est, collocatis captiui ducis filiis in amissam hereditatem. Hæc bonitas Deo grata est, maximè conueniens summo fastigio. Existimo autem præcipuos uiros in aula intueri domini exēpla, & consilia generis humani referre. Te certè & natura placidum & beneficum esse animaduerti, & sapiētiae doctrinæq; studijs ita confirmatum, ut ad iustam normam omnia cōsilia dirigas, et hanc lenire æquitate & misericordia studeas, ut serues homines non malos, quorum in Republica usus esse potest. Quare ad te scribere ausus sum, mansuetudine & sapientia tua fretus. Etsi enim in Academia oppidi Saxonici, quod oppugnastis, fuisse me confiteor: tamen cum arma non gesserim, et doctrinam uitæ necessariam, quæcunq; erunt \* imperiorum cōuersiones, iuuetuti bona fide tradiderim, aliqua me spe ueniæ sustēto. Ac minus mihi irascere tur boni & sapiētes, si nossent, qui dolores, qui sensus, quæ uoluntas mihi semper fuerit & initio belli, et multo antè cū semina belli spargi uiderē. Nunquam opes aut potētiam ullam speraui, uel captaui. Nunc igitur supplex ad te uenio, teq; propter religionem & ius supplicum, quod quale fuerit (sicut scriptum est,

Μὴ δὲ ἰνέτας ἀδυνάμει, ἰνέται ἱεροὶ τε καὶ ἄγριοι)

non ignoras, oro, ut bonis & doctis uiris, qui semper alieni fuerunt ab omnibus cōtentionibus publi

eis, & artes uitæ utiles docuerunt, opem feras, ut re-  
 dire eos in oppidū, unde initio belli exire iussi sunt,  
 & suas aedes tenere cōcedatur. Acquiſſimum eſt,  
 horū cauſam ſeiungi à cæteris, qui in odio ſunt pro-  
 pter dogmatum certamina: non enim opinor uos  
 gerere arma cū artibus. Rex Demetrius cum Rho-  
 dum obſideret, murumq; in eo loco ubi erat tabula  
 Protogenis magna arte picta, quaſſurus eſſet: cum  
 rogaretur à Rhodijs, ut monumento illi Protoge-  
 nis parceret, reuocauit inde milites, inquiēs, ſe non  
 gerere bellum cum artibus. Eaq; initia fuerunt fa-  
 ciendæ pacis cum Rhodijs. Quanto erit glorioſius  
 Imperatori noſtro, ſeruare bonos & doctos uiros,  
 quorum eruditio Reipub. uſui eſſe poterit: quàm  
 Demetrio fuit, ſeruafſe mutā tabulam? De me nō  
 audeo ſcribere: etſi ſapientibus & non duris iudici-  
 bus de mea uoluntate, ac de meis actionibus ſatiſfa-  
 cere me poſſe arbitror. Sed amicorum cauſam tibi  
 commendo, quorum eruditio & uirtus tanta eſt,  
 ut non dubitem ultrò te deſenſurum eſſe, ſi tibi no-  
 ti eſſent. Scripſi breuius, propter tuas occupatio-  
 nes: teq; oro, ut meam epistolam boni conſulas, ac  
 mihi per hunc integerrimum conterraneum tuum  
 N ſignifices, quid ſpei in amicis noſtris eſſe poſſit.  
 24 Maij, anno 1547.

Epifcopo Auguſtano S. D.

Multo antè intellexi, R. P. T. in deliberationibus  
 de

de controuersijs moderatissimè loqui. *Qu*anquam autem cupiebam R. P. T. causam nostram commendare, & meam de tota re sententiã exponere, ut melius intelligi posset, me in primis cupidum esse pacis: tamen habeo certas causas, cur nõ ambierim colloquium R. P. T. quòd fama nostri consensus uidebatur aliquid incommodi habitura: & hìc statuebam magnos & sapientes uiros, inter quos meritò R. P. V. numeramus, sua sponte ad benefaciendum accensos esse. Nunc tamen duxi scribendum esse ad R. P. T. primùm ut intelligeret beneficiũ suum apud homines gratos collocari: deinde ut cognitis nostris uoluntatibus, negotium hoc facilius expediret, præsertim cùm iam quasi in extremo agone maximè sit laborandũ bonis uiris, ut exitũ habeat tranquillũ.

Principiò autem habeo gratias R. P. T. quantum animo concipere possum, maximas, quòd hæctenus in dicenda sententia uiolenta consilia repudiasti. Et hac uoce mea existimabis tibi gratias agere omnes bonos uiros in his partibus. Non enim sunt omnes perditì aut improbi iudicandi, qui amplexi sunt hoc doctrinæ genus, in quo nos uersamur. Deinde uelim hoc sibi persuadeat R. P. T. de me, deq; multis alijs, nos optare, ut pace constituta Episcoporum potestas sit incolumis: & hanc plurimùm prodesse Ecclesiæ iudicamus. Erit igitur clementiæ episcopalis, ut nos qui parère non recusamus, seruemur: ac  
d s paucis

paucis rebus relaxatis, quæ neque fidem nec bonos mores lædunt, & quas iam natura rerum non patitur mutari, nostri nõ grauatim parebunt. Ac prouidendum est, ne hi qui sunt sanabiles, coniungantur eũ deterioribus, si res ad arma deducatur: quod si accidat, non solum bellum infinitũ erit, sed etiam oriẽtur nouæ hæreses: quæ si excitatæ fuerint, nunquam ad omnem posteritatem coire Ecclesiæ concordia poterit. Ego scio, quas opiniones, quàm pernicioſa dogmata nõnulli intra parietes contineant, ut per occasionem proferant: & multum\* improbis belli tempore, præsertim si dux audax contingat, & furioso ingenio præditus. Memini scriptũ esse: Obdurans aurem suam à clamore pauperũ, etiam ipse clamabit, & non exaudietur. Hæc res merito bonos uiros mouere debet, ne hominum miserrorum preces in tali causa aspernentur. Vobis uerò Christus uestræ pietati & clementiæ haud dubiè præmia ampliſſima reddet, quemadmodum pollicitus est: Qui dederit potum aquæ uni ex minimis meis, &c.

Hæc mala trāquillis temporibus caueri possunt, præsertim si Episcoporum autoritas ualeat, & Ecclesiasticarũ rerum curam susceperint. Quòd si pacem impetrabimus: ego de me, deq; multis alijs uiris polliceor, nos omne studium nostrum ad illustrandam doctrinam Christianam collaturos esse. Ta-

le seculum impendet, ut nisi transmittatur doctrina religionis, diligenter & prudenter collecta, maior cōfusio secutura uideatur. Neq; leues habeo causas cur hoc metuam. & cura hæc decet Episcopos, puram doctrinam propagandi ad posteros. Oro igitur propter Deum, qui uobis commisit hoc officium summum in terris erudiendi, ut, quod facitis, à uiolentis consilijs dehortari pergatis. Valete.

D. Theophilo oratori S. D.

Reuerende Domine. Cùm prædicatione multorū uirorū cognouerim, R. D. V. in amplissimis honoribus, in rerum fastigio summa uti moderatione: adductus sum in spem, fore ut R. D. V. literas nostras æquo animo legeret. Verissimum est quod Plato scribit: Nihil optabilius, nihil melius, nihil diuinius posse accidere hominibus, quàm si sit in imperio cum potentia coniuncta sapiētia. Quare initio cùm huc adferretur, R. D. V. missam esse ad hūc conuentum, ut arbiter ac disceptator esset controuersiarum religionis: multi uiri hanc gratulati sunt felicitatem Germaniæ, quòd tali uiro cognitio maximarum rerum commendata esset, qui non solum dignitate, sed multo magis sapientia antecelleret alijs hominibus. Iam olim enim fama sapientiæ tuæ per uniuersam Germaniam peruagata est. Ego igitur cùm existimarem, R. D. V. in ista sapientia, quàm maxime à uiolentis consilijs abhorrere: du-

xi ad R.D.V. scribendum esse, ut & nos intelligeret unice cupidus esse pacis atq; concordiae, neque detrectare ullam tolerabilem seruandae pacis conditionem, dogma nullum diuersum à Romana ecclesia. Multos etiam repressimus, quod perniciose dogmata serere conati essent. Cuius rei extant publica testimonia. Parati sumus etiā obedire Romanae ecclesiae, modò ( ut illa pro sua clementia, qua semper erga omnes gentes usa est ) pauca quaedam uel dissimulet, uel relaxet, quae iam mutare, ne quidem si uelimus, queamus: neque fidem habeat R.D.V. maleuolis nostris, qui nostra scripta sceleratè deprauant, & affingūt quicquid uidetur ad inflammanda publica odia quoquo modo conducere. Ad haec, Romani pontificis auctoritatē & uniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modò nos non abijciat Romanus pontifex.

Cum autem concordia facile possit constitui, si aequitas uestra paucis in rebus cōniueat: & nos bona fide obedientiam reddemus: quorsum opus est supplices ferro persequi? Mihi nō dubium est, quin R.D.V. nullo modo probatura sit illa uiolenta consilia, si causam nostram & uoluntates penitus norit. Nullam etiā aliam ob rem plus odij sustinemus in Germania, quàm quia ecclesiae Romanae dogmata summa constantia defendimus. Hanc fidem probabimus Christo & Romanae ecclesiae ad extremū spiritum.



spiritum, Deo uolente. Leuis quædam dissimilitudo rituum est, quæ uidetur obistere concordie. Sed ipsi Canones fatentur, concordiam Ecclesiæ in huiusmodi rituum dissimilitudine retineri posse. Quæ de re non decet me plura disputare apud uirum doctissimum, tot iam annis in summo cōsilio orbis terrarum uersatum. Hæc tantum scripsi, ut intelligeret R. D. V. nos petere pacem: ac rogare R. D. V. ut sapientiam atq; authoritatem magis ad nos seruandos quàm perdendos cōferat. Verebar etiam, ne prolixitas offenderet R. D. V. ideo scripsi breuius: & propter Deum oro, ne hanc nostram deprecationem R. D. V. aspernetur. Bene ualeat R. D. V.

Reuerendis uiris, D. Leonardo Beiero, & D. Christophoro Eringio, pastoribus Ecclesiæ Dei in urbe Cygnea, amicis suis, S. D.

Reuerendi uiri. Magna leuatio est animorum in omnibus doloribus publicis & priuatis, uidere Ecclesiam sui oppidi tranquillam. Quia præcipuè acquiescunt animi in inuocatione Dei: quæ, cum discordiæ sunt in cōspectu, ualde turbatur & impeditur. Cumq; hoc tempore multi propter publicas calamitates magno in mœrore sint, maximè curandū est singulis docētibus, ut sua Ecclesia sit uelut portus, in quem mœsti ciues confugientes, inuocatione Dei erigantur. Audimus autem, de re nō maxima isthic  
inter

inter uos diffensionē ortam esse periculosam, propter quam magna facta est auersio, ad grauissimos dolores, quos alioqui propter multas calamitates publicas sustinemus. Etsi autem nihil authoritatis nobis sumimus aduersus uos, nec imperare uobis quicquam uolumus aut possumus: tamen & dolorem nostrū uobis significamus: & uos oramus propter Deum, & propter ingentes omium dolores, ut quod nos in hac senectā & grauitate & in diuino ministerio maximē debeat, hoc certamen omittatis. Et quanquā uterq; iure se cōtendere existimat: tamen iuri uestro utilitatē Ecclesiæ anteferatis: & pastor desinat plus oneris imponere collegæ, et collega uliro se offerat propter Ecclesiam subiturum esse plus laboris. Aut si non cedat uterque, cedat alter: nec existimetis turpe esse uinci. Nulla uictoria, nulli triumphus sunt magis digni laude in Ecclesia, quā in talibus certaminibus anteferre publicam concordiam priuato adfēctui: quod cū nobis notissimum sit, non est opus longa commemoratione. Existimamus uos ipsos sæpius cogitare de filio Dei, qui adeo se abiecit infra omnes homines, ut coram æterno Patre iacuerit prostratus ac supplex pro nobis, deriuata in sese uera & horribili ira aduersus nostra peccata: perinde ac si ipse sese nostris sceleribus polluisset. Hanc totam humilitatem in filio Dei cogitātes, nos quidem expauescimus: ac dolemus,

lemus, uos & alios interdū uehemētius plugnare de  
autoritate uestra. Cedamus potius de iure nostro, ut  
ceſſit filius Dei de ſuo: & ut ipſi propter Eccleſiam  
aliena onera in nos deriuemus: nō exiſtimemus pro  
brum eſſe, uideri inferiores, cū ſe filius Dei infra  
nos abiecerit. Hac imagine moueri omnium priorū  
pectora, non dubitamus. Deinde & tempora co  
gitate: obruat publica mœſticia omnes paruorum  
rerum contentiones. nec dolores alijs augeamus,  
nec impediamus noſtram aut aliorum uocationem  
his rixis, quæ uariè uulnerant animos. Poſtremo  
& hoc cogitate, nequaquam offeſſendam eſſe uo  
luntatē illuſtriſſimi Electoris Ducis Saxonie, &c.  
talibus contentionibus, qui non uult ciuitates in fa  
ctiones diſtrahi. Noſtro etiam dolori ut parcatis,  
uos etiā atq; etiam oramus: qui cū etiam alijs tem  
poribus de nulla re niſi de doctrina pugnandū eſſe  
iudicauerimus, nunc in hac mœſticia omnium pio  
rum multo magis ita ſentimus, ne in tantis uulneri  
bus Reipublicæ plus mali oriatur. Quare uos ite  
rum propter Deum pacis authorem, & cuius hæc  
uox eſt ( Beati pacifici, quia filij Dei uocabuntur )  
obteſtamur, ut toto hoc certamine omiſſo, tranquil  
litatem Eccleſiæ ueſtræ tueamini. Bene ualete. Die  
22. Ianuarij, Anno 1546.

Iohannes Bugenhagius D. Caſparus Cric  
cigerus D. Philippus Melancthon.  
Clarifs.

Clariss. & opt. uiro Martino Luthero, Dō  
 \*ctori Theologiæ, instauratori puræ do-  
 ctrinæ Euangelij, patri suo charis-  
 simo, P. M.

S. D. Deus pater liberatoris nostri I E S U  
 C H R I S T I, qui pro nobis factus est uictima, det  
 Ecclesiæ, tibi & familiæ tuæ, annum felicem. Hic  
 nondum sunt inchoatæ publicæ disputationes. In  
 mora nobis sunt aduersarij, qui habent inter se pri-  
 uatos congressus institutos, ut uel explorēt suorum  
 animos, ac suffragia percipiant: uel ut articulos cu-  
 dant nobis postea proponendos, qui uideantur con-  
 trouersias moderari. De his articulis cum ferè totū  
 mensem deliberassent, altercāte Scoto cum Pelagio  
 monacho & Mensingero (nam hi sunt antesigna-  
 ni) tandem Eccius formulam composuit de duobus  
 locis, de peccato Originis, & de Iustificatione, glo-  
 rians non posse ex India aptiorē formulam ad con-  
 cordiam adferri: eamq; proposuit suis, ac iubet ire  
 in suffragia, quæ conatur extorquere. Sed tamen  
 Deus aliquorum mentes rexit & cōfirmavit, ne so-  
 phisticis illis articulis assentirentur. Repudiata est  
 formula Eccij à trium principum legatis, Palatini,  
 Marchionis, & Iuliacensis. Hi modestè, sed rectè ta-  
 men, professi sunt, se probare nostram sententiam,  
 quæ in Confessione & Apologia cōtinetur & de-  
 claratur. Fremunt reliqui, & de excludendis illis  
 trium

trium Principum legatis deliberant. Sed tamē cum  
 id facere non audeant, decurritur eò, ut Eccius &  
 \* N. exhibeant suam sententiam scriptam præsiden-  
 tibus. Item ut reliqui tres etiam sententiā exhibeant  
 scriptam, quam dixissent. Id heri, hoc est, 15 die De-  
 cembri factum est. Sunt igitur ab aduersarijs  
 trium principum legati aliquo modo seiuncti: qui  
 an postea interfuturi sint eorum colloquijs, non-  
 dum scio. Nobis pugna tum est, ut & publica dispu-  
 tatio constituantur, ne fiat suffragatio, antequam res  
 explicatae sint. Virinq; miris technis aduersarij uel  
 impedire disputationem, uel irretire nobiscum sen-  
 tentias conantur. Sed nos articulos ab aduersarijs  
 non accipimus. Congrediamur palam, ut collatis  
 sententijs iudicem faciant filium Dei, de quo Pater  
 coelestis inquit: Hunc audite. Etsi haecenus occul-  
 tauerint illas suas sophisticas formulas, tamen eas ui-  
 di. Est omnino puerilis ludus: incruditis amphibolo-  
 gijs offundere nebulas rudibus conantur. Sum &  
 ego inuitatus, ut formulā aliquā componerem. Sed  
 respondi, me publicè dicturum esse, quid uideatur.  
 Intelligo & aliorum tentari uoluntates. Speraba-  
 mus Colonienfes etiam probaturos esse ueram sen-  
 tentiam de iustificatione, & repudiaturos formu-  
 lam Eccianam. Sed hi non modò defellerunt nos, sed  
 etiam augment periculum trium illorum qui dissen-  
 serunt. Reformationis Colonienfis auctor uoluit

initio ualde æquus uideri: & uult ita conciliari repugnantes sententias, ut existimentur hæcenus tantum λογισμῶν fuisse. Hæc ineptias cum liberius refutassẽ, dixit mirari se meam uehementiam: me remouendũ esse à disputatione. Rogauĩ, ut hoc mihi impetraret: daturũ me ipsi pro tanto beneficio non contemnendum munus. Legatus pontificius habuit oratiunculam satis tolerabilem. Dixit se ab Imperatore uocatum esse. De sua potestate in hac synodo nihil dixit. Eram tamen stans responsurus: sed impediit Granuellus. Cui cum diceret Franciscus, me modestẽ responsurum esse, respondit: Scio modestum esse, cum uult. Cũ esset contentio cum Scoto de fide & de dubitatione, inquit monachus Pelargus, Rectum esse dubitare. & citauit dictum Pauli: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Sic uolebat dubitationi patrocinari. Tales Sphingas aduersarij delegerunt, ut audirentur se abhorrere à cõcordia. Imperatorem regressum esse in Brabantiam aiunt, propter Gallicam legationem. Sed has fabulas nec inquiri, nec moror.

Coruinum uiuere speramus. Etsi constat fuisse insidiatores ad eum interficiendũ missos. Sed Deus excubat pro nobis. Bene & feliciter uale. Deus pater Domini nostri Iesu Christi seruet te, & honestissimam coniugẽ tuam, & dulcissimos liberos, & totam familiam. Die 17, Vuormaciæ. Habes ue-



ram & integram historiam, quam etiam D. Ponté  
no Cancellario exhibebis: cui reuerenter salutem di-  
cas meis uerbis.

Nobilitate & uirtute præstanti uiro,  
domino à Richabim Gallo,

S. D.

Nullum est humanius officium, quàm alieno lu-  
ctu adfici, uel consolatione uel societate doloris alie-  
nam moestitiam lenire. Quare etiam si tibi ignotus  
sum, tamẽ cum essem hîc apud Caluinũ, & de mor-  
te filij tui Iodoci, quẽ sciebã fuisse adolescentẽ egre-  
gia indole, uirtute & eruditione præditũ, ad te da-  
rentur literæ, meas quoq; adiungendas esse putauĩ:  
præsertim cũ et mihi immatura mors talis adolescẽ-  
tis magnum dolorem attulerit. Doleo enim Eccle-  
siam orbatam esse tam felici ingenio, cuius erat ma-  
gnus usus futurus in propagandis & illustrandis o-  
ptimis artibus, quæ sunt utiles uitæ. Tua etiam cau-  
sa doleo, ereptum tibi esse filium, in cuius suauitate  
& uirtute acquiescere senectus tua debebat. Et e-  
rat ipse propter optimos mores uita longiore di-  
gnus. Fateamur & nos nostro commodo moueri,  
quòd amicum & optimum studiorum socium ami-  
simus. Itaq; non possumus non lugere interitum fi-  
lij tui: & cum optima quæq; natura maximè sit pi-  
etæ & pietatis, non possumus tibi tam duram legem im-  
ponere ne doleas. Ne Paulus quidem lugere uetat:

sed ne lugeamus ut gentes ignaræ propositæ immortalitatis. Vt igitur humani animi est affici suorum interitu: ita rursus pietas est moderari mœsticiam, & auocare animum ad cogitationem de Dei uoluntate, de communibus ærumnis generis humani, de immortalitate, denique de filij uoluntate iam fruētis dulcissima Dei & Ecclesiæ purioris consuetudine in cœlo. Nam sic cogitabis nos nec nasci nec occidere casu, sed Dei consilio, sicut inquit Psalmus: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Statuas non repugnādum uoluntati Dei, qui filium euocatum ex hoc carcere, ad aliud melius uitæ genus traxit. Sit igitur modus aliquis tristitiæ, nec fremere aduersus uoluntatem Dei incipiat. Deinde quisquis præsertim horum temporum calamitates in Ecclesia & Republica propius considerat, uideatur non difficulter obtemperaturus Deo, si ex hac uita euocetur. Publica enim morū corruptio, etiam bona ingenia inflectit ad eas artes, quæ etiam si sunt indignæ bonis: tamen quia ad potentiam & opes aditum faciunt, à pluribus coluntur. Iam in Ecclesia, quæ debebat esse gratissimus receptus ac uelut portus bonis & studiosis: quantum est priuatarum superstitionum, quanta Apostolicæ disciplinæ perturbatio? Et summi ordines, ad quorum officium pertinebat mederi his malis, noua asperitate ea confirmant. Quid igitur loci bonis & doctis in Eccle-

sijs esse potest, ubi eis exilia, carcer & atrociſſima  
 supplicia proposita sunt? Non igitur recusemus ad  
 eam Ecclesiam discedere, in qua summa cū tranquil-  
 litate, pulsa omni caligine Deum intuebimur, cum  
 summis uiris Prophetis & Apostolis. Horum con-  
 suetudinem quoties cogito, & ad gubernationē re-  
 rum in hac uita comparo: Quid? dicam quod sen-  
 tio: Incēdor melioris uitæ desiderio. Vidi funera &  
 domestica & aliorum coniunctiſſimorum hominū  
 pleraq; magno cum dolore. Sed cū temporum ui-  
 tia intueor, sepe iudico impendentibus calamitati-  
 bus orbis terrarum, eos qui iam moriuntur, diuini-  
 tūs eripi. ut Esaias inquit, Iustos mori, ne publicis  
 poenis unā cum cæteris plēctantur: scilicet, ut in cu-  
 bile suum ingressi, placidē quiescant. Ita existi-  
 mes & filium tuum secuturis calamitatibus ereptū  
 esse. nam aliquāto pōst, orbis terrarum magnis mu-  
 tationibus concutietur. Nec te amisisse filium arbi-  
 treris. Viuit ille, & te trāquillo animo esse iubet,  
 & letus te expectat in illa meliori uita, ubi rursus  
 te complectetur: ubi rursus ipsius consuetudo mul-  
 to tibi ducior erit, quā cum infātem gestabas in  
 sinu, docebas uerba fingere, aut cum postea uolupta-  
 tem ex eius ingenio & studio capiebas. Aliquanto  
 pōst ipsum audies de Deo, & de filio Dei, de mira-  
 bili cōditione rerum, denique de ijs rebus omnibus  
 differentem, ad quarum cognitionem mens huma-

na propriè condita est. Videbis eum in coetu Prophetarū & Apostolorū, & cum his philosophantem. Hac te uera gaudia iam animo concipere conuenit: neq; existimes ea magis à me rhetorico more colligi, quàm uerè dici. Ego uerò cum audio mores ipsius pios & honestos fuisse, & ardentem uera fide & agnitione filij Dei, coluisse & inuocasse Deum: hinc discedetem, se commendasse filio Dei, qui nobis æternum patrem cœlestem placauit, & ab æterna morte pios ipsū inuocātes redemit: nō dubito, eum in cœlum beatorum à Christo traductum esse. Non enim dubitandum est de diuinis promissis, & illa solutaris uox intus infixā hæreat in animis nostris: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hoc argumentum ad consolandum efficacissimum est: idq; si sepe repetas animo, non solum lenietur dolor, sed etiam desiderium illius futuræ consuetudinis cum filio in animo accendetur. Ac spero eadem tibi à Caluino copiosius & melius perscribi, non solum quia eruditione & facundia superat: sed etiam, quia cū filium tuum norit familiarius, plura de eius uirtute & pietate commemorare potest. Deum precor, qui est autor consolationis (ut Paulus inquit) ut ipse erigat animum tuum, & te & reliquos seruet & gubernet. Bene uale: mense Aprili, ex conuentu Ratisbonensi,

1541.

Ad

Ad quendam amicum, de modo loquen-  
di secundum rationem idio-  
matum.

S. D. Ego uerò, reuerende uir & charissime frater, uel quotidie tecum colloqui me posse optarem, non de populi fabulis, sed de rebus maximis ad doctrinae explicationem pertinetibus. Nam & diligo te, & studium probo, & opto inter nos piuum cōsensum, ac in omnibus hīs Ecclesijs & Aca-  
demijs perpetuum esse. Quare silentij mei causam non putes iudicij uel uoluntatis mutationem: sed exilia & aliae aerumnae sepe haec officia impediunt. Quod uerò scribis te à me reprehensum esse, & quidem in scriptis publicè propositis: id nō esse factū, scripta ipsa ostendunt, quae tibi mitto: quorum alterum à Stancaro reprehensum est. Legi & propositiones tuas de duabus naturis in Christo, & de idiomatum communicatione, ante annum mense Maio editas, easq; palàm dixi me approbare. Sed cum ad me inclytus Elector Marchio controuersiā misisset, scripsi ei de modis loquendi, me optare, ut illas & uos & nos sequamur, & constanter retineamus ueterem loquendi formam, approbatam in synodo Ephesina, & à doctis deinceps. Quaestionem uerò de mediatore, iudicari posse ex epistola ad Hebraeos. Ac prorsus affirmo, me inuocare filium Dei, Deum & hominem, & hanc personam

72  
agnoscere mediatorē, sicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. De hac tota re longiorem tibi explicationē mit tam. Illud autem non dissimulo displicuisse mihi, quòd in libro Berlinensi scriptum erat, Christum secundum utramq; naturam mortuum esse. Non sic loquitur uetustas. Etiam si uera est propositio iuxta communicationem idiomatum: Deus est mortuus. Nec tamen moueo rixas, sed cogitabā alios mortuos esse: nec te existimabam architectum libri esse, sed alium, qui suas quasdam delicias in loquendo amat, nec proprietatem, nec antiquitatis consuetudinem retinere studet, ut ipse iudicare potes. Spero te lecta nostra responsione, quam mittam inelyto Electori, non pugnaturum esse nobiscum. Et te propter Filium Dei & Ecclesiæ salutem oro, ut uocem & auctoritatem tuam ad tuendum pium consensum in his Ecclesijs & Academijs cōferas. Vagantur passim multi, qui & dissidia serere conantur, & piorum inuocationem turbant: ut nuper & Tamerus fanaticas opiniones spargere coepit. Aduersus tales tuamur coniunctionem nostram. Res magnæ sunt, de quibus iam differimus: de Mediatoris inuocatione, de proprietatibus personarum diuinarum, & de alijs quibusdam doctrinæ membris, de quibus certamina mota sunt & in Gallico littore, & alibi. De quibus & tecum coram colloqui uellem, & aliquando



aliquando colloquar. Bene & feliciter uale. Die 12,  
Aprilis, anno 1553.

Consilium de articulo, Descendit ad in-  
ferna, Theologorum quorundam,  
ad ciuitatem Hambur-  
gensem.

S. D. Honestissimi uiri, prudentia & uirtute  
præstantes. Et si multæ aliæ ærumnæ nos non leui-  
ter excruciant: tamen auget dolorem & dissensio  
in uestra Ecclesia, quam ualde diligimus & uenera-  
mur. Oramus igitur Filium Dei, custodem Ec-  
clesiæ suæ, ut nos omnes regat: & ut Samaritanus  
uiatori opem tulit, ita ipse quoq; languidum cor-  
pus Ecclesiæ suæ foueat, sanet, & seruet. Intelle-  
ximus autem tria membra esse uestrarum literarū,  
an probemus inchoatam formam procedēdi in pro-  
ponendis articulis. Deinde quæ sit nostra sententia  
de ipsa cōtrouersia. Tertiò, si institutam inquisitio-  
nem aliqui defugiunt, quid contra eos statuendum  
sit, aut quid aliud agendum uideatur. Primum  
autem uerissimum est, pertinere ad curam Senatus,  
ut Ecclesia rectè doceatur, & ne dissidia serantur.  
Ideo, quòd instituta est deliberatio de restituenda  
concordia, Senatus piè & rectè facit: sed optare-  
mus non tam multos articulos propositos esse, quo-  
rum aliqui magnas & difficiles disputationes päre-  
rent, si agitentur. Quòd deinde flagitatur nostra  
6 5 senten-

sententia, etsi sepe hac de re & reuerendum D. Lutherum loqui audiuius, & legimus aliorum scripta, & in qua sententia acquiescendum sit cogitauimus: tamen nunc mota cōtrouersia scripsimus ad alios quoq; quorum expectamus sententias, ut collatis iudicijs inter plures, unam consentientem sententiam mitteremus, ne postea diuersitate hoc dissidium inflammaretur, & spargeretur in alia loca. Et non solum quid sentiamus ostendendum est, sed etiam addenda testimonia & argumēta: quod nunc subito fieri nō potuit. Quā cōtanter autē accedat ad hunc articulū reuerēdus D. Lutherus in enarratione Geneseos, & in cōcione Torgēsī, cōsiderasse uos existimauius. Tantū ad uictoriam Filij Dei accommodat: cetera dicit non inquirenda esse. Vicit omnino Filius Dei dolores inferorum: sed Psalmi ostendunt, dolores inferorum non restringēdos esse ad tempus tantū post animæ separationem. Horrendam illam consternationem & sensum iræ Dei etiam in hac uita multi experiuntur, ut scitis: in qua lucta spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Retineri autem debere hunc articulum de descensu, iudicat reuerēdus D. Lutherus, etiam si ad uictoriam tantū referatur. Quia confitemur destructam esse tyrannidem diaboli & inferorum: hoc est, liberatos omnes qui credunt in Christū, à potentia diaboli & ab inferis, iuxta hoc dictum:

dictum : *Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.* Et hanc uictoriã Filius Dei certo modo diabolis ostendit: & non dubium est, diabolos sensisse suã potentiam ab hoc uictore fractam esse, & uerè caput serpentis à semine mulieris contritum esse, & quidem à Christo Deo & homine : & inter signa uictoriæ fuit resuscitatio multorum mortuorum. Hac interpretatione ipse contentus fuit: sed aliàs de ipsa controuersia scribemus copiosius. Nunc de tertio membro. Cùm constet tantum esse cõtrouersiam de cruciatibus animæ Christi post separationem, oramus deinceps non urgeri inquisitionẽ particularem ad articulos illos, nec quæri inde occasionẽ alterutros eijciendi. Sed hoc damus consilium : Cùm ipse reuerendus D. Lutherus hanc quæstionem de pœnis animæ Christi post separationem, non dixerit mouendam esse: mandetur utriq; parti, ut expectent aliorum iudicia: ac interea in scholis, in congregationibus, aut alijs publicis congressibus omittant mentionem huius quæstionis. Non interea aboletur articulus, sed retinetur, ut suprà dictum est: tantum inquisitio eius particulæ omittitur, de tempore cruciatuum, cuius partis inquisitionem nec D. Lutherus necessariam esse iudicauit.

Hanc nostram responsionẽ simpliciter & optimo studio scriptam, ut boni cõsulatis, uos etiam atque etiã rogamus. Verè enim affirmare possumus,  
ualde

valde diligi à nobis & Ecclesiam uestram, & ciuitatem, & ipsos pastores Ecclesiarum uestrarum, quos omnes scimus esse uiros honestos, eruditos, Deum uera pietate colentes. Nulla nobis cum quouam simultas est, sed sincera erga omnes beneuolentia: nec in his tantis miserijs nostris indulgere ullis priuatis affectibus uelimus. Quare nihil odio cuiusquam, nihil in ullius gratiam scriptum est. Neminem ledere aut damnare uoluimus: sed simplicissimè & candidissimè exposuimus: quid & uestræ Ecclesiæ & alijs Ecclesijs profuturum esse uideatur. Mense Septembri, 1550.

Explicatio propositionis: Omnes homines natos ex uirili semine, esse obnoxios peccatis.

Dei beneficio in his regionib mediocris concordia de toto corpore doctrinæ Euāgelicæ longo tempore fuit: imò & Ecclesiarum & docentium amicitia fuit grata omnibus pijs. Ac nos quidem consensum retinere de doctrina fideliter studemus: nec mutaturi sumus unquam doctrinæ uocem, quam adhuc sonant hæ Ecclesiæ. Quia scimus eam uerè esse decretum æternum & immotum Dei. Deinde scimus inuocationem maximè turbari & impediri omnibus dissidijs, magnis & paruis: & turbata inuocatione aliquos dolere, & desperatione opprimi, alios prophanos fieri, ac prorsus abiss. Itaque propter multas

multas grauissimas causas optamus summo studio cōcordiā & tranquillitatē Ecclesiarū retineri: quā si qui petulanter turbant motis non necessarijs certaminibus, grauiter Deum offendunt, cōtristant sp̄ritum sanctum in pijs, & poenas accersunt. Quare ne ledatur gloria Dei, ne ue turbetur inuocatio in pijs, & ut scandala & poenae uitentur, oramus & uos isthic, ut consensum de doctrina tueamini.

Nos semper ita sensimus, & nō dubitamus hanc omnium ueterum eruditorum scriptorum sententiam esse, omnes homines natos esse ex uirili semine, in utero reos & inquinatos peccato originis fuisse & esse, sicut Paulus expressē inquit: Et sic mors peruasit in omnes, eo quōd omnes rei sunt. Item: Vnius delicto in omnes condemnatio uenit. Cum autem dicimus de conceptis ex uirili semine, manifestē dicitur, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui missus est ut fieret uictima, & sit saluator generis humani, nequaquā esse reum. Hic enim non est conceptus ut ceteri homines: sed ut in uerbis Iacob patriarchæ, Genesis 49 significatum est in uocabulo Siloh, id est foetus uirginis, in uirgine conceptus est, mirabiliter diuinitate uniente naturam humanam filio imagini æterni Patris. Sic Filius Dei fuit sine omni peccato originali & actuali: quia cum ordine diuino in recipiendo genere humano satisfieri oporteret, oportuit hunc redēptorem,

rem, ut æquiualens precium esset pro alijs, & ab-  
 7909, ut ipse Dominus nominat, sine peccato esse.

Hæc arcana cōsilia, quo modo simul iusticiæ or-  
 dinē in misericordia seruare oportuerit, in uita æ-  
 terna discemus. Nunc tamē initia huius doctrinæ di-  
 scenda sunt: quòd Deus uerè & horribiliter irasca-  
 tur peccatis: & quo iusticiæ eius satisfaceret, oport-  
 uit uictimā sine peccato esse. Nulla enim alia crea-  
 tura neq; in cœlo neq; in terra, nisi solus filius Dei,  
 est sine peccato, per quem omnes electi sunt redem-  
 pti. Ideo & Anselmus inquit de filio: Per quem &  
 mater ex qua natus est, & alij mundati sunt. Et Io-  
 hannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepi-  
 mus. Voluit quidem Deus, ut conspiceretur testimo-  
 nia mirandæ suæ sapientiæ & bonitatis: dissimilia  
 esse exempla electorū, & alios in gubernatione col-  
 locatos donis excellētibus, alios mediocribus orna-  
 uit. propter quæ & Deo gratiæ agendæ sunt: & de  
 ipsis sanctis reuerenter sentiendum est, qui suc-  
 runt talia Dei organa, & Dei donis piè usi sunt. ta-  
 men tenenda est regula, solum redemptorē sine pec-  
 cato fuisse: & cæteros nō nisi per filium Dei redem-  
 ptos esse. Harum maximarum rerum doctrinā ob-  
 scurari, aut corrumpi nollemus. Ideo rogamus col-  
 legas eiusdem ministerij, ne moueant alias quæstio-  
 nes, quæ obscurant lucem ueræ doctrinæ: nec dissi-  
 dijs occasionem præbeant. Hæc controuersia, quæ  
 multis



Multis uidetur exigua, maximas quæstiones deinde paritura esset si agigaretur. ut uerissima admonitio de discordia tradita est: Parua scintilla totam syluam uno incendio perdere potest. Obtestamur ergo collegas uestros, ut malint tueri tranquillitatem Ecclesie, quàm mouere quæstiones non necessarias, quibus dissidia accenduntur. 1549.

Ioannes Bugenhagen Pomeranus D.

Philippus Melancthon.

## DE VSV PARTICULAE

Sola.

Reuerendo uiro, eruditione et pietate prestanti, domino Georgio Buchholzer, Preposito Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo colendo.

Venerande uir, & amice charissime: Multi boni & prudentes iudicare possunt, mediocre meum studium fuisse, ut cum ab alijs controuersiae multae & magnae, in quibus multa indistinctè dicebantur, motae essent, explicatio extaret proprio genere sermonis, necessaria iunioribus, & paci utilis. Quia ambiguitas semper gignit discordias. Spero etiam ad consensum Ecclesiarum in multis locis, profuisse illam propriam loquendi formam. Neque nunc genus doctrinae mutabo, neque curam propriè & rectè loquendi deponam. Sed saepe ex aula uestra in-

suauet

suauēs reprehēſiones audio quas publicæ tranquil-  
 litatis cauſa diſſimulo. Retineo excluſiuam: & ſi-  
 cut antea plerūque uſus ſum particula Gratis, quæ  
 minus habet ambiguitatis, & à Paulo uſurpatur,  
 qui, ut artifex, rectè loqui uoluit, ita adhuc ea par-  
 ticula utor. Cito etiā in ipſa refutatione, quam mi-  
 ſi, dictum: Non iuſtificabuſ in conſpectu tuo om-  
 nis uiuens. ſic Propheta excluſiuam expreſſerunt.  
 Sed de particula Sola, perpetua eſt hæc aduerſario-  
 rum cauillatio, Fidem non eſſe ſolam. Quod uerif-  
 ſimum eſt, de ea præſertim fide, de qua loquuntur  
 Eccleſiæ noſtræ, cū Euangelij propriā uocem re-  
 petunt, Fide iuſtificamur. Vitandæ igitur ambigui-  
 tatis cauſa dico, me hīc non litigare de particula So-  
 la. Et ſcitis quā multi flagitiōſe intelligunt parti-  
 culam Sola. Iam uerò in refutatione quam miſi, pu-  
 gno cum illis qui dicunt, hominem dilectione iuſtū  
 eſſe: item, dilectionem eſſe iuſticiam inherētem: &  
 prorsus omittunt fidem, quia cogitāt fidem tantū  
 noticiam eſſe. Hīc pugno, ne fides prorsus omitta-  
 tur, cū uirtutes in nobis recensentur. Exiſtimo au-  
 tem illam meam refutationem ita firmam & perſpi-  
 cuam eſſe, ut dextrè iudicantibus ſine calumnia, ſa-  
 tisfactura ſit. Et declarationem continet conſcien-  
 tijs utilem. Mitto pagellas & illuſtriſſimo principi  
 Friderico, & eius magiſtro & filijs ueſtris exhibē-  
 das. Iam accepi literas, in quibus ſcriptum eſt, Argē-  
 torati

torati ciues nolle Hispanicas copias in urbē intro-  
mittere. Bene uale, die 6 Iunij.

DE MODO CORAM DEO  
iustificandi.

Cuidam amico.

Tuam epistolam longiusculam accepi, quæ fuit  
luculentissîma: teq; oro, ut sæpe & multis scribas.  
De fide teneo, quid te exerceat. Tu adhuc hæres in  
Augustini imaginatione, qui eò peruenit, ut neget  
rationis iusticiam: & rectè sentit. Deinde imagina-  
tur, nos iustos reputari propter hanc impletionem  
legis, quam efficit in nobis spiritus sanctus. Sic tua  
imaginaris fide iustificari homines: quia fide acci-  
piamus spiritum sanctum, ut postea iusti esse possi-  
mus: uidelicet impletionem legis, quam efficit spiritus  
sanctus. Hæc imaginatio collocat iusticiam in no-  
stra impletionem, in nostra mundicie seu perfectio-  
ne: etiam si fidem debet hæc renouatio sequi. Sed tu  
reijce oculos ab ipsa renouatione ad totum, reijce  
inquam ad promissionem & Christum: & sentias,  
quòd propter Christū iusti, hoc est, accepti coram  
Deo simus, & pacem conscientie inueniamus, &  
non propter illam renouationē. Nam hæc ipsa no-  
uitas non solum sufficit. Ideo sola fide sumus iusti,  
non quia sit radix, ut tu scribis: sed quia apprehen-  
dit Christum, propter quem sumus accepti, qualis-  
f cunq;

cūque sit illa nouitas, etsi necessariò sequi debet, sed non pacificat conscientiā. Ideo nō dilectio, quæ est impletio legis, iustificat, sed sola fides : non quia est perfectio quædam in nobis, sed quia apprehendit Christum. Iusti sumus nō propter dilectionem, non propter legis impletionem, non propter nouitatē nostrā (etsi bona sunt Spiritus sancti) sed propter Christum, & hunc tamē fide apprehendimus.

Augustinus non satisfacit Pauli sententiæ, etsi propius accedit quàm Scholastici. Et ego cito Augustinū, propter publicā de eo persuasionem : cum tamen nō satis explicet fidei iusticiam. Crede mihi, mi amice, magna & obscura controuersia est de iusticia fidei: quam ita rectè intelliges, si in totum remoueris oculos à lege, & imaginatione Augustini de impletione legis : & defixeris animum prorsus in gratuitam promissionē, ut sentias, quòd propter promissionem seu propter Christum iusti, hoc est accepti sumus, & pacem inuenimus. Hæc sententia est uera, & illustrat gloriam Christi, & mirificè erigit conscientias. Ego conatus sum eam in Apologia explicare : sed ibi propter aduersariorū calumnias non sic loqui licuit, ut nunc tecum loquor : etsi re ipsa idem dico. Sic dicis in tua epistola: Quando haberet conscientia pacem & certam spem, sic deberet sentire, quòd tum demū iusti reputemur, cū illa nouitas in nobis perfecta esset. Quid est hoc  
aliud

aliud dicere, quàm ex lege, non promissione gratui-  
 ta nos iustificari? In disputatione illa dixi, quòd tri-  
 buere iustificationem dilectioni, sit tribuere iustifi-  
 cationem nostro operi. ibi intelligo opus factum à  
 spiritu sancto in nobis. Fides enim iustificat, non  
 quia est nouum opus spiritus sancti: sed quia appre-  
 hendit Christum, propter quem sumus accepti, nō  
 propter dona spiritus sancti in nobis. Si cogita-  
 bis animum reuocandum esse ab Augustini imagi-  
 natione, facìle intelliges causam. Et spero te ex A-  
 pologia nostra aliquo modo adiuuari: etsi de tantis  
 rebus timidè loquor, quæ tamen non intelliguntur  
 nisi in certaminibus cōscientiæ. Populo omnino de-  
 bet proponi prædicatio legis & pœnitentiæ: sed in-  
 terim hæc uera Euangelij sentētia non est prætereū-  
 da. Quæso igitur, ut rescribas & de hac epistola,  
 & de Apologia iudicium significes, an nunc tibi sa-  
 tisfactum sit in hac epistola, de tua questione.

Sequitur appendix D. M. Lutheri  
 ad hanc D. Philippi episto-  
 lam.

Et ego soleo, mi amice, ut hanc rem melius ca-  
 piā, sic imaginari, quasi nulla sit in corde meo qua-  
 litas, quæ fides uel charitas uocetur: sed in locum i-  
 psorum pōno ipsum Christum. Et dico: Hæc iusti-  
 cia mea, id est ipse Christus, est qualitas et formalis

(ut uocant) iusticia mea, ut sic me liberem & expedium ab intuitu legis & operum: imò ab intuitu obiecti, nimirum Christi, qui uel doctor uel donator intelligitur. Sed uolo mihi ipsum esse donum & doctrinam per se, ut omnia in ipso habeam: sicut Iohannes dicit, Ego sum uia, ueritas, & uita. Non dicit, Ego do tibi uiam, ueritatem, & uitam: quasi extra me positus, operetur in me talia: in me debet esse, manere, uiuere, loqui mecum. Item ad Corinthios: Ut essemus iusticia Dei in illo. Non enim id in dilectione aut donis sequentibus fit.

#### DE CONVERSIONE SEV IV- stificatione hominis coram Deo.

##### De controuersia Matthiæ Lauter- ualdt, Elbingensis Prut- teni.

Ita iudicauimus de cōtrouersia Epiriensi, ut non defugiamus iudicia omniū piorum in omnibus Ecclesijs instauratis in tota Germania, Pannonia, & Dania: & speramus Matthiam ita memorē esse beneuolentiæ nostræ erga ipsum, ut ne ipse quidem queri possit, odio nos moueri in hac dijudicatione. Si dicet nos nimium amare nostra scripta, aut hebetiores esse quàm ut subtilitates suas intelligamus: permittimus hanc nostram responsionem etiam aliarum Ecclesiarum iudicijs, ut antea diximus. Cer



tè uult Deus aliqua esse Ecclesiæ iudicia, & seruat aliquos doctrinæ testes. Primum autem filium Dei, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM oro, qui in agone utrunq; petiuit, & ut sanctificet æternus Pater Ecclesiā ueritate sua, & ut faciat ut unū simus in ipso: ut & nostra iudicia regat, & fleat nostra pectora, & Matthiam ad piam concordiam. Ac scit Matthias, sepe nos ualde orasse ipsum, ut se ad consensum Ecclesiarum in Pannonia adiungeret. Sed natura est nimis amans argutiarum, eo plus periculi est iudicantibus: quia homines arguti sine fine petunt disputationum præstigias. Sed simplici & candido animo & piè respōdemus, probare nos sententiam Barthenensis ecclesiæ, quæ retinet natiuum intellectum propositionis, Fide iustificamur: sicut tota Prophetica & Apostolica scriptura affirmat, solā misericordia propter Mediatorem nos recipi, reconciliari, & uiuificari Spiritu sancto uerè credentes, id est, fiducia filij sese consolantes. sicut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Etsi autem hæc fides seu fiducia non est in his qui securè perseuerant in sceleribus, & sunt sine contritione: tamen contritio & noua obedientia non sunt res applicantes, ut dicit Matthias. & satis commodè respondit Radaschinus, contritionem esse quiddam necessariò antecedens. Cumq; interrogat Matthias, utrum antecedit ut causa, an ut medium?

Respondemus, nequaquā antecedere cōtritionem, ut causam remissionis seu meritum, nec ut medium applicans remissionem: sed sicut uulnus, aut uulneris sensus antecedit curationē. Totum genus humanum reum est horrendæ iræ Dei, & sensu iudicij diuini per ministerium uocis diuinæ arguitur de peccato per pœnas, & aliàs aliter commonefit. In his terroribus multi percunt irascentes Deo, aut Epicureo contemptu magis ruentes contra Deum. Alij non repugnantes Deo, sed quærentes consolationem in uoce Euangelij, accipiunt remissionē peccatorum, reconciliationem ac iustificationē & uiuificationem per Spiritum sanctum. ac fit apprehensio promissionis & applicatio sola fide, id est, fiducia mediatoris, non propter contritionē, neq; propter sequentes uirtutes: sed nititur fides solo Mediatore, seu misericordia propter Mediatore promissa: & acquiescit cor, quia scit promissionem ratam esse propter Mediatorem. Hanc esse doctrinam simplicem & incorruptam, & traditam in Prophetis & Apostolicis scriptis, manifestum est, ut in Psalmo dicitur: Saluum me fac propter misericordiam tuā. Et Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Et Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hæc ut intelligantur, non ociosas speculationes, sed ueros pauores, & ueram cōsolationem

tionem in cōuersione, & in quotidiana inuocatione consideremus. Docemus non inanes λεπτολογίας: sed uocem diuinam & res in uita maximè necessarias, & quæ à pijs intelligi possunt. Dicimus uoce diuina argui peccatum, & omnes homines debere expauescere agnitione iræ Dei, & expauescentes fide ad Mediatorem cōfugere. Eaq; fide gratis, non propter antecedentia aut sequentia opera, accipi remissionem peccatorum, reconciliationem & iustificationem, ac uiuificari per filium Dei, dicentem consolationem in corde, ac liberantem cor ex doloribus inferorum, dato Spiritu sancto, atque ita inchoari nouam obedientiam. Hæc sic fieri in uera cōuersione omnes pij experiuntur. Nunquam dicit David, se habere remissionē propter sua bona opera in præsenti facta partialiter aut totaliter. Remoueamus has corruptelas, nec sinamus uerane consolationem pijs mentibus eripi: in ueris doloribus experiemur nullam esse firmam consolationem nisi hanc, de qua Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Quia igitur Matthias damnat doctrinam Ecclesiæ nostræ, & contendit non sola fide, sed contritione & alijs bonis fieri applicationem remissionis peccatorum, & iustificationis: iudicamus eum docere corruptelas ueræ doctrinæ. Nec re ipsa differt hæc corruptela à synecdoche monachorum, qui dixerunt: Fide iustificamur,

f 4

camur, quia inchoat dilectionem atq; alia bona opera. Verbum seu promissio sola fide apprehenditur. Nam hac re differunt fides & cætera bona opera, quod fides apprehendit promissionem, & accipit nō ut meritum: cætera uerò opera Deo aliquid offerūt. nec applicatio per opera alia intelligi potest, nisi ratione meriti. Nomen igitur meriti abijcit Matthias, rem retinet, & sibi blanditur suis ociosis speculationibus. Quod autem clamat, toti poenitentiae promitti gratiam: id si ita intelligit, ut non seruet distinctionem partium, & suam cuiusq; proprietatem, non recipimus ipsius dictum. Contritioni promittitur ut uulneri curatio, deinde fit applicatio remedij: & nullo modo potest dici, quod propter sequentia opera detur remissio. Etiam cum sic dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos: tamē partibus suæ proprietates tribuendæ sunt.

¶ Veterem, inquit, cantilenam repetitis. Verum est, nos eandem sententiam repetere: quia hæc unica sententia in hac questione est. Et existimamus totam causam alibi sæpe & perspicuè declaratam esse non à nobis tantum, sed etiam ab alijs, qui hoc ipso quadriennio refutarunt Interim. Cognouimus autem ex eius disputatione plenius, dissentire cum à toto genere doctrinæ. Fidem intelligit de noticia historiae & legis. Deinde addit, fidem posse esse sine dilectione: dicit falso nos docere, hæc propositiones

tiones æquipollentes esse, Sola gratia iustificamur  
 & Sola fide iustificamur. aliter igitur intelligit gra-  
 tiam quàm nos. Cùm igitur iudicemus Matthiam  
 corruptelas ueræ doctrinæ in illa sua disputatione  
 proponere : hac nostra cōmonefactione hortamur  
 eum, ne se à consensu piè docentiũ in Ecclesijs Ger-  
 manicis & Pannonicis disiungat. Ac si hoc nostro  
 iudicio non est contentus, placet nobis ipsius dispu-  
 tationem & alia istic scripta & hanc nostram re-  
 sponsonē miti ad plures Ecclesias instauratas. Ni-  
 hil in hac tota re fit à nobis priuato affectu ullo.  
 Scit ipse Matthias, fuisse nobis dulcem cum eo ami-  
 citiã, quam nunc distrahi dolemus: sed magis dole-  
 mus Ecclesias turbari. Audimus etiam eum contu-  
 meliose loqui de propositione usitata, Sola fide iu-  
 stificamur: & nuncupari eam ab ipso cloacam An-  
 tichristi. Extant nostræ declarationes, ideo nunc  
 breuius respondemus. Sed si nec nostro iudicio, nec  
 aliarum Ecclesiarũ sentētijs flecti uellet ad commu-  
 nem consensum, hortamur senatũ Epperiensem, ut  
 eum à ministerio Euāgelico remoueat. Anno 1554.

#### DE PROPOSITIONE,

An bona opera sint necessaria.

Reuerēdo uiro, D. Georgio Buchholzer,  
 pastori Ecclesiæ Dei in oppido Ar-  
 ctoa, fratri suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater : Mit

f s to

to pagellas, in quibus recitatur conciliatio facta inter Lutherum & alios, qui adfuerunt ex Ecclesijs Rhenanis & Rheticis, quorum adscripta sunt nomina. de propositione, An bona opera sint necessaria. Hodie legi præfationem Ambsdorffij, additam nouæ editioni Ienensi Der haus postillen / ubi sunt, hæc uerba: Ich hab alle zeit gelernt / das man gütte werck zu thim pfflichtig vnd schuldig ist, &c.

Hic refutat ipse Ambsdorffius scurrilitatē illorum, qui negāt hanc propositionē: Noua obedientia est necessaria. Est autem barbaries, intelligere necessarium coactione extortum. Significat enim, ordinatū à Deo immutabiliter. Et magna inscitia est, locum Pauli ad Corinthios citare ad obedientiam præceptis debitam: qui loquitur de donatione elemosynæ, cuius adfirmat modum nemini præceptū esse. Vult enim docere, se nō tollere distinctionē dominiorū, sed uelle esse liberā contributionē. Nec ualet cōsequentia ab operibus non præceptis ad præcepta. Bene ualete. Et scribā aliās plura: & Deo Ecclesiam et me commendo. Die 19 Iulij, anno 1559.

AN SACRAMENTVM IN POM  
pa adorari debeat.

Reuerēdo uiro, D. Iacobo Stratnero, prædicatori Berlinensi, amico suo charissimo, S. D.

Mihi cum Vuicelio priuata discordia nulla  
unquam



unquam fuit: amanter etiam rogati aliquando,  
 meā familiaritatē ne aspernaretur. Sed uide quā  
 crudeliter, quā calumniose scripserit contra nos,  
 & scribit multa contra suam conscientiam. Ideo cum  
 non probo, & existimo istic arte impediri bona &  
 pia consilia. Oremus igitur Deum, ut Achitophelis  
 consilia impediatur: mihi non dubium est, quin Vui-  
 celius ipse improbet illam adorationem sacramenti  
 in pompa. Nolui autem cum principe de ea re di-  
 sputare, cum ipse nō interrogaret. Scriptura docet  
 nos, sacramenta in usu certo esse: extra usum est in-  
 certitudo. De aqua consecrata nihil dico: res le-  
 uicula per se casura est: & ideo aliquando dissimu-  
 lentur hæc. Sed de Missa siue cōmunionem, scribam  
 ad eum accuratē, cum primū habebō aliquid tem-  
 poris. Magna res est abusus sacramenti: & Vuice-  
 lium uereor confirmare abusum in Missa siue com-  
 munionem. Sacrificuli eandem impietatem retinent  
 nunc, cum has Missas celebrant, qua utebantur an-  
 tea. Vides quales sint, & quantum curent doctrinā  
 Christi. Dominus noster IESVS CHRISTVS  
 gubernet animū principis, ut recta instituat: & ne  
 suo exemplo impios confirmet. Bene uale mi Iaco-  
 be, 23 Nouembris, anno 39.

Amico cuidam.

S. D. Velut in sentinam, ita in loca uenarum  
 metallicarum semper ex uarijs gentibus homines  
 conflunt,

confluunt, imbuti diuersis opinionibus, & magnorum ingeniorum & iudiciorum persuasione præditi: quorum multi etiam curiosi & fallaces sunt. In tali coetu tamen est aliqua Ecclesia: huic coetui seruandum est. Et tamen interim cauendum, quantum fieri potest, ne curiosis ac maleuolis præbeamus occasionem subsannandæ doctrinæ. Primum igitur uidendum tibi censeo, an collegas habeas consentientes de mutando ritu in cœna Domini: si unus aut plures dissentiunt, non censeo tentandam esse mutationem. Prorsus etiam in concionibus huius negocij nullam mentionem fieri uelim, in ullam partem. Scio esse magnas & grauissimas rationes abrogandæ eleuationis: sed consensu collegarum tibi opus est. Nam alij alias causas dicent, suspicabuntur, fingent: ut est hæc ætas suspicax, & amans calumniarum. Nec facile credas collegis, nisi bene explorata ipsorum uoluntate. sum ipse similia expertus. Multi enim, cum uident iudicia uulgi non respondere ijs consilijs quæ instituuntur: postea simulant se inuitos pertractos esse, & odia in alios deriuant. Quare censeo, prius explorandas esse uoluntates collegarum. Causæ uerò allegari in familiaribus colloquijs hæ duæ possunt: nam in concionibus nolo quicquam de hac re dici. Primum, cum fingunt monachi oblationem fieri pro uiuis & mortuis, hoc ritu eleuationis eos moueri. Ut igitur tollatur error, ne putet

populus

populus sacerdotis eleuationē ualere pro alijs, mutandum esse morē dices. Secundò, eleuatione confirmatur circumgestatio, quæ sine ulla dubitatione est idolomania. Nam Deus non est ad ullam rem alligandus, ubi se non suo uerbo alligat: ut non est alligandus ad statuas. Non autem alligatur Christus ad panem, sed ad actionem in usu sacramenti: nec adest propter panem, sed propter sumentē. O 'horredas tenebras, quas pōtiffices, reges, principes, monachi in Ecclesia defendunt: quas utinam Christus aduentu suo citò depellat. Turcica arma puniunt hanc prophanationem cœnæ Domini, tot iam seculis hærentem in Ecclesijs. Bene uale, 1548.

#### DE ADORATIONE ET ELE- uatione Sacramenti.

Nobilitate generis, sapientia & uirtute præstāti domino, Eustachio à Schlieben, cōsiliario inclyti principis Electoris, domino patrono suo colendo, Phil.

Mel. S. D.

Præstantissime uir, nobilitate generis, sapientia & uirtute excellens: Si pastor ille ideo prohibet adorationem, quia negat præsentiam ueram & realem Christi in uero usu sacramenti, remouendus est à gubernatione Ecclesiæ. Displicet mihi mouere certamina, nō inquisitis fontibus: sed magis

gis mihi displicet, quòd diſſimilitudo eſt in Eccleſijs etiam harum regionum. Alibi retēta eſt eleuatio, alibi abolita: & hæc nulla communi deliberatione facta ſunt. Hæc nunc breuiter reſpondeo. De tota cauſa cum eruditis non reuſo colloqui. 1554.

Scriptum D. Philippi, ad prædicatores in Francia, de eleuatione Sacramenti.

Anno 1542 Lutherus ſuo iudicio, non relata re ad aliorū deliberationē, iuſſit omitti ritum leuandi Sacramentum. Cum autem ſequerentur uenenatæ reprehēſiones, & uenirent ad eum hoſpites multi, quorū aliquos nominare poſſem, etiam inſuauiter ſciſcitātes cauſam, ait ſe his tribus cauſis motū eſſe.

Primum dicebat, cū tollenda ſit ex Eccleſia perſuaſio impia, fingens ſacrificulos offerre Chriſtum pro uiuis & mortuis, & hac oblātione eis mereri remiſſionem peccatorum: ſitq; hic ritus leuandi neruus illius perſuaſionis. ideo ſe etiam hunc ritum uelle abolitū eſſe: quia ſolius Chriſti eſt ingredi in ſancta ſanctorum, & ſeipſum offerre, cū uidit et ſuſtinuit iram æterni patris effuſam in ipſum propter nos. Ideo dictum eſt, Vna oblātione conſummauit ſanctos ſuos. Græci diſſimiles canones habent: in uetuſtiore non fit mentio huius oblātionis. ſed recentior ſic loquitur, offerri ibi Chriſtum: & tamen

tamen mitigat, Tu es qui offers, οὐ εἶς ὁ προσφέρων  
 ναὶ ὁ προσφερόμενος.

Secundā causam esse dicebat: Cum nihil habeat  
 rationem extra usum institutum, nolle se confirma-  
 re circumgestionem, in qua adoratur panis, cum  
 ibi nequaquam habeat rationem Sacramenti: sed in  
 sumptione uerè adesse Christum, & uera eius nos  
 sibi membra facere, & liberè adesse. Ac uolebat Lu-  
 therus abominandas quæstiones tolli: qualis est,  
 Quid rodat mus, rodens panem consecratum?

Tertiam causam addebat, taxandam esse popu-  
 li persuasionem, quæ fingat bonum opus esse ui-  
 dere illum ritum leuandi: & eo uiso concipitur  
 falsa fiducia, & negligitur pœnitentia & uera in-  
 uocatio.

De his causis eruditi & p̃ij cogitent: quæ quidē  
 postea multas Ecclesias mouerūt, ut Lutheri exem-  
 plum imitarentur. Abolitus est hic ritus leuandi in  
 omnibus Ecclesijs Electoratus Saxonici, in plu-  
 ribus Ecclesijs Misniæ & Silesiæ, in tota Turingia,  
 in omnibus Ecclesijs Saxonici instauratis: Ham-  
 burgæ, Lubecæ, Luneburgæ, Brunswigæ, in tota Po-  
 merania, in ducatu Megalburgensi, in regno Dani-  
 co. Bene & feliciter ualete. Pridie calend.

Februarij, 1554.

Duo

Duo iudicia de cœna Domini, per D. Philippum Melanchrionem Vuormaciæ scripta.

Nihil dubium adorationem Papisticam in circumgestatione panis, & repositione, & oblatione, idololatriam esse. Nihil habet rationem sacramenti, extra usum à Deo institutum. Creatura enim sacramenta facere non potest. Instituta autem est sumptio, in qua cum pane & uino uerè & substantialiter adest filius Dei: & testificatur hac externa sumptione, quòd uerè faciat nos sibi membra: & se & sua bona nobis communicet. sicut Hilarius inquit: Hæc sumpta & hausta faciunt ut Christus sit in nobis, & nos in Christo. Nec fit conuersio substantiæ panis. Cùm autem facta sumptione descendit panis in uentrem, alteratur: estq; iam cibus corporalis, desijt ratio sacramenti. & ideo omittatur hæc absurda phrasis: Corpus Christi uel Christum descendere in uentrem. Nec Lutherus ponit conuersionem substantiæ panis, sed ponit synecdochen: uidelicet sumpto pane & uino uerè sumi corpus et sanguinem. Ad hanc synecdochen congruunt & Pauli uerba, quæ tantum de usu instituto loquuntur, Panis est *noivwĩa* corporis: id est, quo nobis comunicatur corpus Christi. Post hunc usum, cùm panis alteratur in uentre, nō alius usus est panis. Vi tentur sermones prophani, & doceantur homines



de ratione sacramenti, uidelicet de testificatione;  
quòd sumus membra Christi. Deinde de uera conso-  
latione, quæ est manducatio spiritalis.

### Secundùm iudicium.

Non dubium est, Papisticam adorationem in cir-  
cumgestatione, repositione, & oblatione, simplici-  
ter idololatricam esse: quia nihil habet ratione sa-  
cramenti extra usum institutum, cum nulla creatu-  
ra possit sacramentum facere. Institutio autem diui-  
na tantùm de sumptione loquitur, ut scriptũ est: Ac-  
cipite, manducate. Item, Panis est νοῦνον ἡ σῶμα-  
τος. Hæc uerba expresse de sumptione loquuntur.  
Sic et Hilarius de sumptione loquitur: Hæc sumpta  
& hausta faciunt ut Christus sit in nobis, & nos in  
Christo. Etsi autem uerè & substantialiter adest fi-  
lius Dei, & in sumptione faciēs nos membra, et te-  
stificans nos esse sua membra, & nos consolans: ta-  
men non ponatur conuersio panis uel inclusio lo-  
calis, ut Papistæ docent. Et quidem expresse inquit  
Theodoretus, doctus & antiquus scriptor, φύσιν ὡς  
μεταβάλλων. Et Epiphanius inquit: βρώσις μὲν ὁ  
ἄρτος ἐστίν, ἡ δὲ δύναμις ἐνέργειά ἐστι ἐν αὐτῷ εἰς  
ζῶων ὄνυσιν. \* Nequaquam igitur dicendum est, de-  
scendere corpus Christi in uentrem, aut dentibus  
atteri, sicut in Papistico decreto dicitur. Lutherus  
autem etiam synecdochen expresse probat,

& sæpe eam repetit.

## DE CANONE.

Reuerēdo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Georgio Buchholtzero, præposito in urbe Arctoa, amico suo,

S. D. Reuerende uir, oro filium Dei Dominū nostrum Iesum Christum, ut gubernet conuentum uestrum, & tueatur pium consensum in his Ecclesijs. Scio magnos tumultus futuros esse: ideo principes optarim non turbare Ecclesias, quæ alioqui magno in mœrore sunt & erunt. Si præcipietur uobis ut Canonē legatis, arbitror multos discessuros esse ex uestris Ecclesijs. Et profectò sophisticū est, excusare canonem. Si filius Dei offertur, cur orāt tanquam pro filio Dei? Sed omitto disputationē. Optarim piè & grauius precationem ibi recitari, in qua hæc membra quinque cōtinerentur: Gratiarum actio pro uniuersis beneficijs Dei: deinde precatio idonea: tertio uerba precationis: quarto professio fidei, quod hanc sumptionem credamus uerè testimonium esse, quod efficiamur membra filij Dei, & accipiamus beneficia Euangelij: quinto precatio pro gubernatoribus & alijs. At in canone uisitato longè alia dicuntur. Bene uale.

7 Februarij.

Clarif-

Clarissimo & optimo uiro D. Iohanni  
Bugenhagio Pomerano, pastori Eccle-  
siæ Vuitebergensis, amico suo cha-  
rissimo, S. D.

*Integram historiam eorum quæ hîc hætenus in  
conuentu acta sunt, petes à D. Doctore Martino.  
Animaduertimus esse crebras & uarias aduersario-  
rum deliberationes. Sed spero Deum eorum confi-  
lia dissipaturû esse. Nondum inchoarunt publicam  
disputationem. Illud coguntur, ut nobis articulos di-  
lutos & sophisticos proponant. Sed iam dissentiunt  
ab Eccianis etiam principum legati, Palatini, Mar-  
chionis Electoris, et Iuliacensis. hi repudiarunt articu-  
los ab Eccianis compositos. nam ad nos nondû al-  
lati sunt, sed uidi descriptos. Inter omnes Dei benefi-  
cio consensus est. Certatum est acrociter his diebus  
de disputationis exemplis. Nam præsidentes signifi-  
carunt, se non concessuros esse, ut principes nostri  
exempla haberent disputationum. Ita nectuntur ca-  
tenæ, ut interim aliàs fraudes struant. Sed orabitis  
Deum, ut Ecclesias nostras & nos seruet & guber-  
net propter filium suum Iesum Christum liberato-  
rem, qui pro nobis uictima factus est. Bene & feli-  
citer uale, & pro nobis ora. Die 17. Decem-  
bris, Vuormaciæ.*

**Paulus i Timoth. 4.** Προσέχει τῇ ἀναγνώ-  
σει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασ-  
καλίᾳ.

Multa continentur in hoc breui dicto. Primum præcipit de studio: quare sciamus cogi nos mandato diuino, ut discamus doctrinā à Deo patefactā. Deinde magna consolatio est pijs, cum propter ueritatis studium sustinent ærumnas, scire ideo se impiorum seuitiam subire, quia mandato Dei obedierint, ac discere doctrinam à Deo traditā uoluerint. Id autem mandatum maximè faciendum, & maximè necessarium esse, inde existimari potest. Quia cum singulare & ingens beneficium Dei sit, quod prodiens ex arcana sede patefecit sese, & mirandū decretum de reconciliatione: ingratitude horribilis est, negligere tantum beneficiū, & nolle Deum nos alloquentem audire. Distribuit autem Paulus eruditissimè genera doctrinarum in Ecclesia.

Primum uocat lectionē, & præcipit ut legamus monumēta tradita diuinitus. Geometria & aliæ artes, quæ ex demonstrationibus extruuntur, non discuntur primum lectione: sed in nostra mente principia quærimus, & inde demōstrationes texuntur. At promissio reconciliationis & uitæ æternæ non nascitur nobiscum: sed est mirandum decretum, factum in consilio æterni patris, filij & spiritus sancti, & postea promulgatum & traditum patribus

et prophetis, ut literis mandaretur.

Dissimilis est igitur hæc doctrina humanis artibus et alijs religionibus. Artes et leges sine literis natura cerni possunt. Sed promissio aliunde tradita est, et mandata literis. Ideo legi necesse est: et Ecclesia opus est literis, libris, et studijs literarum. Et cum nominat Paulus lectionem, alligat Ecclesiam ad hos libros diuinitus traditos. Sequitur consolatio. Postquam ex lectione cognita est promissio, proximum est ut eam nobis ipsis applicemus: agnoscamus Deum, sicut se patefecit: cōuertamur ad eum, et intueamur filium nobis missum, et promissionem reconciliationis amplectamur. Hac erecti consolatione, inuocemus Deum: et cōfirmati feramus ærumnas, quibus Ecclesia onerata est: nec fracti mole miseriarū deficiamus à Deo, sed leniamus nobis dolores agnitione præsentia et auxilij Dei, et inuocatione et expectatione liberationis.

Hoc secundum membrū, scilicet consolatio, præcipuè ad promissionem, et ad applicationem promissionis referatur: et latè patet in tota uita, in omnibus periculis et doloribus.

Tertium membrum nominat doctrinam. Lectio continet non tantum promissionem reconciliationis, etsi ea pars præcipua est: sed etiam legem, exempla, promissiones rerum necessariarum in præsentia uita, articulos de præsentia Dei, de tribus perso-

nis, de uoluntate Dei, de filio Dei nato ex uirgine,  
de Ecclesia, de peccato, de sacramentis, de resurre-  
ctione, de uita eterna, de premijs ac poenis eter-  
nis. De his rebus, quæ in lectione recitata sunt, redi-  
gat pius lector in ordinem, ut artifex, sed ut Diale-  
cticus. Et rectè distributa primùm ipse mente com-  
prehendat, postea alijs proponat & illustret, ac  
præcipuè hanc normam semper in conspectu ha-  
beat, uidelicet discriminè legis & promissionis: ac ui-  
deat ubi lectio de lege, ubi de promissione concio-  
netur. Ita paucis uerbis Paulus modum discendi  
tradidit.

Philippus Melanchthon  
in exilio, 1547.

**In causis matrimonialibus iudicandum  
& pronuntiandū esse ex scriptis legibus  
Iurisconsultorum: ad Georgium  
Spalatinum.**

Ego & Ionas pronunciauimus de matrimonia-  
li negotio, & secuti sumus iura recepta (nam iu-  
risconsulti discedunt à suis legibus) & putamus hi-  
quoq; nos debere parère: quia potestatem conden-  
di leges non habemus: & ut haberemus, nondum  
esse approbatas, usuq; receptas, nos censeremus.  
Lutherus editurus est libellum, in quo suam senten-  
tiam aperiet de clandestinis desponsationibus. No-

lumen



tamen nō leues rationes mouerunt, cur non uolu-  
rimus à Iurisconsultis dissentire. Primum est ius,  
quod quaecunq; est, usus comprobatur: καὶ οὐ ἐν νεί-  
μεινον, μὴ κινητέον. Deinde N. conscientiae tutissi-  
mum est, ut ducat. Postremò ad exemplū pertinet,  
astringi uincula talium promissionum. Nihil nunc  
uulgarius est, quàm hoc prætectu decipere puel-  
las, cum placet alia rescindere, & alligare autorita-  
tem parentum. Ad hæc puella non uidetur admodū  
grauata, si nō ducet N. N. ipsa statim se sine ullo in-  
commodo ex hac re expedierit: & suspicor N. non  
facturum esse, qui autoritate magistratuū nihil mo-  
uetur. Id si fiet, libera erit puella. N. certè de senten-  
tia nostra queri non poterit: quia ipsius confessio te-  
statur, eum dedisse fidem. Sed si erunt causæ, cur nō  
putes nostram sententiam sequendam esse, signifi-  
bis. Fortassis disputari in hoc loco casus possit, de  
iure sponsalium, quæ rescindi possunt, ut sentiunt  
nonnulli, cum contracta sunt per futura uerba. Nec  
uelim hanc ἐπιμενείαν adhiberi, nisi magnæ causæ  
sint. Omnino ad exemplum pertinet, hæc  
uincula non nimium laxare. Vale,  
Die tertio Decembris.

Casus de quadam muliere, quæ quindecim annos à marito abfuerat, petēte ut alteri nubere posset. Vir autem alterā coniugem, cum qua octo annos cohabitaauerat, duxerat, & pater octo liberorū factus erat. Ad D. Georgium Spalatinum.

S. D. Doctor Ionas misit mihi literas tuas, mi Spalatine, ad se scriptas, in quib. est casus matrimonialis, de quo statim cum Luthero collocutus sum: & utriq; uisum est, non esse cōcedendum isti transfugæ mulieri, ut iterum nubat, præsertim si non habet testimonium honestè ætæ uitæ. Interim miramur te nihil scribere: neq; satis clarè scribere, utrū accuset uirum adulterij commissi, antequam deseruit eū. Sed nisi clarissimas causas suæ discessionis, & grauissimas attulerit mulier, non est dissoluedum coniugium uiri postea contractum. Ego recurro ad meū dictum, *ναὐτὸν εἶ κείμενον μὴ νυντὸν*. Eriā si mulier habeat causam, & autoritate iudiciorum separari posset: tamen quia mulier sine autoritate magistratus separata est, nullo modo uelim præsens coniugium dissoluere: neq; uelim concedere, ut desertrix mulier iterum nubat, postquam tot annis abfuit, nec ius suum, si quod habuit, repetiuit. non debet ei prodesse perfidia. Bene uale. Domini. ca. Esto mihi, anno 1531.

Idem uisum est Luthero, qui sua manu hæc ad-  
scripsit. Salutat te Doctor Martinus Lutherus, et-  
iam inuito & fugiente nuncio.

### Iudicium Philippi Melanchthonis, de alio casu matrimoniali.

De N. negocio sic pronunciamus, mulierem de  
more citandam esse, secundum consuetudinem Ec-  
clesiæ. quod si apparuerit, dicat causam, cur mari-  
tum deseruerit, & accuset eum. Sin autem non ap-  
paruerit, cum uir habeat bonum testimonium, pro-  
nuncietur liber ab illa desertrice: & ipsius conscien-  
tiæ permittatur, utrum rursus uelit cōtrahere ma-  
trimonium. Causa non habet difficilem controuer-  
siam. Die lunæ post Ioannem baptistam, 1531.

### D. Ioanni Mathesio,

S. D. Non est nouum, abuti homines bonis le-  
gibus: quod tamen ne fieret, magistratuū sapientia  
& seueritate prohiberi debebat. Vides autem infel-  
licitatem huius temporis. Nos pronunciamus de  
controuersijs matrimoniorum, sine auxilio politici  
magistratus: nec possumus punire contumaces. Sed  
hæc mala, quantum fieri potest, consilio modere-  
mur: quod certè facere studeo. Placet mihi, ut sit  
lex, ne ualeant desponsationes reclamantibus paren-  
tibus. Sed in politica consuetudine pleræq; leges i-  
nueniæ moderandæ sunt. Ante annum de casu in

Frisia pronūciaui, ubi quidam, cuius ætas matura,  
 & non sine consilio deſpondit ſibi puellam in fami-  
 lia non honeſta, quæ exiſtimabat inſignem ſibi con-  
 tumeliã fieri, ſi facta eſſet diſtractio: & cauſa con-  
 tradicendi nulla honeſta erat, & iuuenis in ſenten-  
 tia conſtanter manebat. Ibi contra parentes pronū-  
 ciaui, præſertim cū in illis locis magiſtratus etiam  
 ſententiam libentius deſenſurus eſſet. Sed ubi uo-  
 luntas mutata eſt in ſponſo aut in ſponſa, libenter  
 obtempero parentibus reclamantibus, ſiue cauſam  
 afferant, ſiue non. Omnino prudentia adhibenda  
 eſt, ut in longum cōſulatur, ne iungantur tales, quo-  
 rum animi abhorrent à conſuetudine perpetua: ſi  
 mediocris cauſa eſt cur fiat diſiunctio, cū nulla ſpō-  
 ſalia publicè facta ſunt, nec acceſſit concubitus, re-  
 gulas præſcribere non poſſum: quia cōſiderandum  
 eſt iudici, quid ſine ſcandalo fieri poſſit. Nimis duri  
 ſunt parentes, ſi filius, cuius ætas matura eſt, coniu-  
 gio deſpondit ſibi aliquã honeſtam, ubi mutuus eſt  
 amor, & eſt uoluntatum conſtantia, tamen recla-  
 mant. Leditur enim altera pars in re non leui. Ibi  
 magiſtratus autoritas opem ferre ſponſo & ſpon-  
 ſæ debebat. Sed negligit eam rē magiſtratus. Quid  
 poteſt uox paſtoris? Si requires, plura de hac re ſcri-  
 bam. Sed comprehendere regulis res non po-  
 teſt. Bene uale.

Venerando

Venerando uiro, domino Gregorio pastori Ecclesiæ Dei in Gebersdorf, amico suo, S. D.

Venerande Domine Gregori: Tua narratio congruit cum recitatione Nohe, quam mitto, sicut scripsit. Et in tergo picturam addidi, unde iudicare potestis, an rectè intellexerim narrationē. Iure diuino tali gradu non est facta prohibitio coniugij. Et concedere cōiugium his hominibus potestis, si expetunt, & sunt honesti homines, præsertim si iam spōsiones factæ sunt. Bene & feliciter uale, die 25 Iunij, anno 1550.

Venerādo uiro eruditione & uirtute præstanti, Georgio Prætorio, pastori Ecclesiæ Dei in Gebersdorf, amico suo,  
S. D.

Valde dolendum est, tantam negligentiam & populi & gubernatorum esse, ut gradus cognationum non considerent in coniugijs cōtrahendis, aut permittendis. Et irasci Deum incestæ consuetudini, manifestum est. Narratio tua hæc est: An licebit uiro ducere uxoris sororis filiam. Respōdeo, nequaquam licere: quia lex diuina Leuitici 18 prohibet hunc gradum, ducere uxore patrui mortui. In tuo casu gradus idem est. Ibi enim uult nubere uiro materteræ. Rectius autem erat uos uenire, & coram sciscitari,

sciscitari, ut negotia melius inquiri possent. Vtinam, diligentia & disciplina maior esset. Mitto tibi pagellas. De tuo negotio mihi scribito, quale sit, & quid, & unde petas. Significa etiam, an has literas acceperis. Bene uale. Non allocutus est me uir de quo scribis. Die 19 Maij, 1553.

Hanc sequentem adhortationem, & declarationem, præcedentis epistolæ narrationi uenerandus uir D. Georgius Buchholzer, præpositus & fidelissimus uerbi Dei propagator in Ecclesia Berlinien. n, deq; tota cohorte scholasticorum bene meritus, adiecit, his sequentibus uerbis:

Quidam pastor contemnens hoc scriptum D. Philippi, duxit in uxorem filiam sororis suæ coniugis mortuæ. Sed Deus executor suæ legis, hunc contemptum puniuit. Prima nocte cum ei pro more solito sponsam adducerent, paralysi in dextero latere laborare incepit. Quo deniq; morbo adeò debilitatus est, ut septimo die computando à nuptijs moreretur: Hoc exemplum omnibus sit propositum, ne spreto mandato diuino, temerè ducant uxores contra gradus diuinitus prohibitas.

Casus.

De questione, quam proposuisti, cum persona innocens



innocens, propter alterius personæ adulterium aut desertionem pronūciatur libera, concedendum est innocenti personæ coniugium. Hæc regula certa est, & sine scandalo in nostri cōsistorij legibus scribi potuit. De persona condemnata tantum hoc publicè scribi potuit sine scandalo, quòd magistratus eam punire debeat. Lex Moysi eam occidit. Ideo nostri libri nihil postea de nouo cōiugio ei concedendo loquuntur, quia relinquunt eam tanquam mortuam. Et persona condemnata ius petendi noui coniugij amisit.

Cum autem Magistratus paucos occidit, sæpe interrogati sumus, quid consilij sit dandum lapsis?

Deliberata res est à Luthero et Pomerano, et sæpe sic responsum: Hortanda est persona rea, ut seriò pœnitentiam agat, & siue sit uir, siue mulier, si ætas est grandior, suadendum ut in uiduitate maneant, tanquam lugētes, & pœnam sustinentes. Sin autem aut ætas adhuc ualidior est, aut queruntur ipsi se sine periculo non posse in uiduitate esse, si ostendunt signa pœnitentiæ, cōcedendum est eis coniugiū: sed nō in eo loco, ubi uiuit persona innocēs.

Hic casus est similis Mosaico diuortio. Intelligat autem iudex sapiens, in quibus casibus probabili ratione exēpla ἐπιεικείας à politia Mosi sumere possit, quam politiam certè Deus probauit. Respondi in pagella, quid Lutherus & Pomeranus sæpe iudicauerim

dicauerint: ac spero te horum sententiam probaturum esse, teq; oro ut rescribas, & an has literas acceperis, & an tibi satisfactum sit de questione. Bene uale charissime frater, & rescribe. Die 9 Februa-  
rij, anno 1560.

Scriptum de eleuatione Sacramenti, D.  
Philippi Melanchthonis, ad M. Melchior-  
rem Iungium, pastorem Calensem  
in Lusatia, anno 1553.

S. D. Venerande uir, & amice charissime: Scis scriptum esse, Fundamētum aliud ponere nemo potest, præter id quod positum est, quod est **IHSVS CHRISTVS**. Hanc primam fundamenti doctrinam scis initio propositam esse, & assidue repetendam: quæ quidem tantam sapiētiam complectitur, ut in hac uita tantum exordia disci possint: postea in æternitate consideratio erit illustrior. Interea nostram magnam caliginem agnoscamus & deploremus, nec dubito te in fundamenti declaratione assiduum esse.

Quales autem ritus sint Ecclesiarum uestrarum, non satis scio. Sed si congruunt cum Misnicis aut Marchicis, si quid mutaturus esses, deliberare te optarim cum ijs, quibus inspectio uestrarum Ecclesiarum commēdata est, præsertim cum recens istuc ueneris. Multorum in nos oculi intenti sunt, & multi patulas aures habent, quæ auide calumnias arripiunt.

piunt. Ego quidem nihil sumo iuris in aliena gubertatione, ut scis me alioqui oneratum esse. Sed postquam fecisti in illo ritu eleuandi mutationem, rectius erit, te non restituere morem abolitū. Lutherus hic suo iudicio aboleuit eleuationē, nec retulit rē ad deliberationē communē. Postea uerò cum attēderet reprehendi se à uicinis, & spargi uarias calūnias, dixit se præcipuē his causis motum esse.

Prior, quia cū opinionem de oblatione Papistica necessariò damnaret, ritum etiam se tollere dēcebat, qui stabiliret oblationem. Magnam & arcanam esse oblationem Filij Dei, quæ ab ipso solo facta esset, ingrediente in sanctum sanctorum, & ceruente ac sustinente ingentem iram æterni Patris.

Hæc oblatio non fit per alios. Græci duos canones liturgiæ habent, in quibus cū alia sint dissimilia : tamē hoc quoq; illis inest, quòd alter nō loquitur de oblatione, alter quasi correctionem addit, ὁ ἅγιος πρὸς φέρων, καὶ ὁ πρὸς φερόμενος.

Altera Lutheri ratio erat, quòd nolebat confirmare circumgestationem, in qua fit adoratio extra usum sacramēti. Certissimū est, ritus extra usum institutum non habere rationem sacramenti. De his rationibus potes cogitare. Sed te ualde oro, ne finis hanc rem in certamen deduci, sed potius discedas. Sin autem te tolerabunt, omissa mentione huius ritus, doceto populum de fundamento, & de uera adoratione:

adoratione: quarum maximarum rerum cogitatione singuli nos assidue exercemus. Quod autem Filius Dei orat eternum Patrem, ut faciat, ut unum simus in ipso: idem nunc petit, ut nos quoque ad huius summi sacerdotis precationem nostros gemitus et uota adiungamus. Sit etiam in nobis concordie studium. Ego me ab Ecclesijs harum regionum, quarum extat confessio, exhibita Carolo imperatori in conuentu Augustano, anno 1530, nec disiunxi unquam, nec disiungam. Bene uale, 1553.

DE TRADITIONIBVS ET CEREMONIJS HUMANIS QUÆDAM SCRIPTA.

Venerando uiro, &c. D.N.N. docenti Euangelium fideliter in urbe Arctoa, amico suo,

S. D. Venerande uir, & amice charissime. Et si quidam, qui se ad populum uenditant tanquam libertatis defensores, clamant, nos iniuste facere, quod onerari Ecclesias seruitute sinimus: tamen propter hæc tribunitia iudicia sentio non relinquendas esse Ecclesias: teque et alios multos doctos et bonos uiros statuo recte facere, quod in statione uestra manetis, et Ecclesias non deseritis. Heri ex Suetia et Argentorato literas accepimus, in quibus significatur, in multis locis reuocari iam pastores et pios, qui discesserant, ut restaurent pias conciones: et ceremonias

nias in Ecclesijs, in quibus aliquādiu solitudo fuit,  
 restitui. Quia certè mediocres homines tetrā illam  
 & tristem solitudinem diu ferre non possunt. Impē-  
 rator etiam Moguntino mandasse fertur, ut disse-  
 rat illas Ecclesiarū mutationes quas inchoauerat,  
 pulsas in uicinia pijs pastoribus. Bucerus uenit in  
 Angliam, ac scribit initia emendationis Ecclesie-  
 rum mediocria esse. Nos tueamur consensum Eccle-  
 siarum in his regionibus, quem spero salutarem fo-  
 re posteritati. Bene & feliciter uale, 20 Iunii. Mit-  
 to tibi propositiones, quarum lectionem spero tibi  
 nō ingratam fore. Missem & alijs, & illustrissi-  
 mo principi, si plura exempla habuissem. Reueren-  
 ter salutem dicito domino Cancellario, & domino  
 Licentiato, & collegæ tuo domino Georgio, & D.  
 Thomæ Matthiæ. Iterum uale.

Eidem.

S. D. Venerande uir, & amice charissime. Et si  
 non scio penitus deliberata principū in Iuterbock:  
 tamen quantum audiui, optandum esset, Ecclesias  
 non magis onerari, quā ibi deliberatum est. No-  
 lunt corrumpi doctrinam de iusticia fidei, nolunt  
 etiam onerari Ecclesias receptione Canonis, aut a-  
 liarum rerum, quæ sine impietate recipi non pos-  
 sunt. Et consensum harum Ecclesiarum retineri cū-  
 piunt. De adiaphoris ego quidem seruitutem tole-  
 rare non recuso, & pleraq; in usu sunt in nostris

h

&

**E**uestris Ecclesijs. Euentus autem ostendet, quò  
uel N. Principum consilia spectarint, uel quid obti-  
nere possint. T. M. B. poterit tibi plura narrare de  
hoc negotio: nam literis omnia complecti non pos-  
sum. Ad Rhenum horribilis confusio est, sicut meus  
frater mihi scribit: multi pastores pelluntur in exi-  
lium cum familijs: alij coniuges dimittunt, & con-  
iugium negant metu, cōtra conscientia. Hæc fiunt:  
quia liber quem isti laudant, armat Episcoporum  
furores. Oremus autem filium Dei, ut his tantis mi-  
serijs medeatur. Salutem opto reuerendo D. Geor-  
gio, & cæteris amicis. Bene uale. s. Ianuarij.

Reuerendo uiro, N. N. pastori Ecclesiæ  
Dei in oppido N. amico suo cha-  
rissimo,

S. D. Venerande uir, & amice charissime: O-  
ro filium Dei, Dominum Iesum Christum pro no-  
bis resuscitatū, & sedentem ad dextram æterni pa-  
tris, ut det dona hominibus, ac regat Euangelij mi-  
nistros consilio. Fuit nobiscum pastor Ecclesiæ B. S.  
qui exposuit historiam conuentus uestri. Rectè fa-  
ctum est, quòd disertè protestati estis, uos nō adsen-  
tiri libro Augustano. Nam etiamsi illa ordinatio,  
quæ fuit addita, reciperetur, & mansuri essetis in  
Ecclesijs uestris: tamē nō potest approbari liber Au-  
gustanus. Nunc de altera parte dicam. Multa pos-  
sunt



sunt dici contra iocularium rituum instaurationem: sed cum non oriatur à nobis, & sit tanta in potentibus pertinacia, ut uelint imponere talem seruitutem Ecclesijs: ego hoc do consiliū, ne deferantur Ecclesiæ: ut sit ad Rhenum, & alibi, ubi iam aut prorsus solitudo est in templis, aut lupi in ea grassantur. Tulimus et antea regnum & clamores indoctorum: nunc feramus sapienter hanc nouam seruitutem, si tamen absit impietas. Maxima mihi certamina de Canone fuerunt: & Deo gratias ago, si obtineo, ne imperent illa impia pastoribus. Si de adia-phoris etiam uehementer cōtenderem, prorsus nulla ea de re audiremur. Iam hīc expecto Sneyfū & Bucerum. Nam & tua patria decretum fecit, ut restituantur Ecclesiæ ad normam libri Augustani. O rem miseram, quoties quā paucis annis mutatae sunt in tua patriæ Ecclesiæ? Ideo si potes manere, non temerè discedas: ioculares illæ ceremoniæ per diaconum possent confici. Iam rescribo Bucero. Bene uale, et rursus scribito quā primum. Die Matthiæ, 1549.

Venerādo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Hieronymo Schellio, docenti  
Euangelium fideliter, amico suo  
charissimo.

Venerande uir, & amice charissime: Video uiros sapientes statum, ut uocant, Ecclesiæ constitue-

re uelle, quem iudicant esse imperijs suis accommo-  
datum: & aliquorum uoluntatem existimo non ma-  
lam esse: & multi clamitant pacem anteferendam  
esse nostris disputationibus. Sed cum manifestum  
sit, quasdam doctrinae partes corrumpi, quasdam  
obscurari: ego meam conscientiam comprobatio-  
ne libri onerare nolo. Constituant alij imperia &  
Ecclesiam, ut uolunt, & ut poterunt: Regnū meum,  
ait Christus, non est de hoc mundo. Sed si uilio, di-  
cam moderatē quod sentio, ubicunque ero: si uobis  
cōceditur sine approbatione expressa libri, docere  
Euangelicū, sicut hactenus: & non postulatur, utri-  
um Coenae Domini mutetis, non onerantur uestre  
conscientiae, etiam si alij librum approbant. Nec o-  
pinor iūstrisimum principem conscientijs uestri  
hoc onus imponere, ut etiam libri defensores sitis,  
quem quidam dicunt etiam non intelligi à uobis.  
Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Chri-  
sti oro, ut uos regat, & seruet Ecclesiae reliquias.  
Bene ualete. Die 19 Augusti.

Venerando uiro, &c. domino N. N. Eccle-  
siae in N. praeposito, & alijs praedicatori-  
bus Christi, dominis & fratribus  
nostris,

S. D. Venerādi uiri. Sicut ipse filius Dei ante a-  
gonē orauit, ut Ecclesia sit unū in Deo: ita maxime  
oramus

oramus ipsum, ut cōsensum harū Ecclesiarū in quibus sonat uox Euangelij incorrupta, & in quibus vera fit inuocatio Dei, tueatur. Principes etiam Electores, cum unā essent, longa commemoratione, qualis sit dissipatio in alijs regionibus, hortatus est Anhaltinus, ne sinant distrahi harum regionū Ecclesias, iam rectē sentientes. Ac nos sanē doctrinam in Ecclesia nostra sonantē, quæ quidē cum Electoris Marchionis scripto congruit, quod ante annos octo Ecclesijs suis proposuit, non mutabimus: nec restituemus uitiosos cultus, quos hactenus improbauimus. Quod uerō de articulis in N. factis interrogatis: scitote nos non interfuisse illi arcanae deliberationi, in qua principū facta est subscriptio. Nec exemplar illorum articulorum habemus: nec consecrationes oleorum aut salis inter adiaphora recensemus, ac semper improbauimus illas oleorum consecrationes & similes, & adhuc improbabimus. Si qua in illis articulis mentio facta est unctionis, illud etiam additum fuit, restare articulos non conciliatos: de quibus necesse sit Episcopis significare, quid desideretur. Postremò, quod interrogatis, si liber Augustanus uobis simul cum articulis proponeretur, quid sit respondendum: simplex est ueritatis oratio. Respōdete, uos normam doctrinae, quam Elector ante aliquot annos publico scripto Ecclesijs Marchiacis commendauit, fideliter seruatu-  
 ros,

nec eam normam mutaturos esse. Si autem princeps sic interpretetur, librum Augustanū aut alios articulos cōgruere cum hac doctrina sui scripti, a uelut ita respondere Imperatori: de ea interpretatione aut respōsione ad Imperatorē uos ipsi principi nihil præscribere debetis: sed uos testari, quod normam hactenus seruata[m] secuturi sitis. Hac respōsione fortassis Elector cōtentus erit. Scimus fieri solitudines in multis Ecclesijs: pulsati sunt pastores plures quadringentis in Suecia & ad Rhenum. Tubingæ, ubi Academia est, pulsati pastoribus & concionatoribus, tantum ibi nūc senex sacrificulus est: qui ut libro Augustano satisfiat, oblationem restituit. Mirum est igitur, cur ætatem auream promittat N. cum manifestè uideat uastari tam multas Ecclesias, pios & doctos uiros exulare cum totis familiaribus. Tante uastationes cum alijs fiunt, nos etiam duram seruitutem (modò sit sine impietate) tolerandam esse potius existimamus, quàm discedendū ab Ecclesijs. Datæ 11 Ianuarij, anno 49 Vuitebergæ.

Ioannes Bugenhagius D. pastor Ecclesiæ Vuitembergensis: Philippus Melanchthon:

Reuerendo uiro, &c. D. Martino Lutherō, &c. patri suo charissimo,  
S. D.

Heri dimisimus Vulerū, bene oneratū literis:  
fi

si rectè ratiocinor, non animaduertit hunc nuncium. Scripsi tibi quæstionem non de efficiente causa traditionum, sed de finali, Vtrum possint eiusmodi obseruationes uel opera à sanctis electa sine certo mandato Dei, cultus esse, seu ut Scholæ loquuntur, latria. Exempli gratia, si Bernhardus iam rectè sentiens eligat sibi certum ieiunium uel ordinē hac opinione, ut per hoc opus agat gratias Deo, an rectè iudicet. Ego sentio eum falli. Igitur quinta causa traditionum, quam ego posui in charta, non ualet. Mitto quæstiones, quas hodie proposui sororis Imperatoris concionatori, ita ut ad te perferretur: de quibus expectatur tuū iudiciū. Is enim uix summo candore præditus nobis uisus est. Domina uidetur in omnibus esse ualde pia. Respōdebis igitur, ac te oro ut boni cōsulas nostras quæstiones: de quibus enim rebus alijs ad te scribamus, ignoro. noui nihil habemus. Vale.

Clarissimo uiro, &c. D. Andreæ Musculo, docenti Ecclesiam Dei in Academia Francofordiana, amico suo, S. D.

Cum ante duos menses illustrissimus Princeps Marchio Elector peteret à uenerando sene Cordato, ut gradu doctoris ornaret te, et pastorem Ecclesie uestre: dubitantem Cordatum præcipue hoc ar  
b 4 gumento

gumento confirmavi, ut promitteret hoc officium Principi & vobis: quod scirem te & pastorem viros bonos, eruditos & candidos esse, & rectè sentire de doctrina Ecclesiæ Dei. Ex ijs meis literis ad Cordatum apparet, me de utroq; bene & amantè sentire, de te & de pastore: quod cum verissimū sit, magnum accepi dolorem: postquam ex tuis literis intellexi vos & sententijs & voluntatibus dissidere. Cumq; in propositionibus tuis tam atrociter reprehendas totum coetum cōcionantium in Ecclesijs nostris, quòd non dicant de ieiunio ceremoniali, sed tantum de temperantia: cumq; de baptismo Ioannis dissentire te ostendas à mea qualicunq; explicatione, nihil rescripturus erā, nisi id petiisses, ne uiderer aut iracundia aut amore mearū opinionum rixari. Sed quoniam à me petis respōsionem, primum de meo negotio dicam. Etsi iudico vera esse quæ scripsi: tamen tecum litigare nunc quidem non uolo. Nolo enim augere publicas discordias: & pijs lectoribus permitto iudicium, ubicunq; sunt. Quanquam enim citas Ambrosium & Augustinū: tamen certum est, prædicationem pœnitentiæ in Ecclesia Dei non tantum arguere peccata, sed simul annunciare remissionē. Verum nolo copiosius persequi meam disputationem. Non sum adeò morosus aut φιλαυτός, neminem ut à me dissentire uelim. Ego quæ collegi de tota doctrina, tunc cum magna



*Et multæ controuersiæ motæ essent, Et multa ambigüe Et nimis confuse dicerentur, simplici Et pio studio collegi, ac iudiciũ Ecclesiæ permitto. Te uerò etiam hætenus dilexi, Et adhuc diligo. Nam omnes in hoc docendi munere coniunctos, qui de summa doctrinæ consentiunt, amicos inter se esse oportere statuo, etiamsi in explicatione alcuius rei nõ præcipuè, aliud alio dexterius aut incõmodius aliquid dicit. Et bona fide, Et quadam philosophica moderatione, amicitias multorum colui, et colo, ne à me Ecclesiarum nostrarum concordia turbetur.*

*Quòd uerò attinet ad quæstionem de ieiunio cæremionali, ne hanc quidem causam satis iustam aut dignam esse iudico, ut propter eam bellum inferendum putes toti agmini docetiũ in nostris Ecclesijs. Non iam de re ipsa dicam, sed de parergis, quæ admisces: quæ cui theatro grata sint, non est obscurũ. Plaudit in sinũ uicinus uester Libusianus, cum audit te penè uniuersum agmen concionatorũ huius ætatis tam atrociter reprehendere. Non docent, inquis, de poenitentia. Credo esse aliquos, qui nec de poenitentia, nec de fide satis diligẽter Et eruditè docent. Nam pauci doctrinam de fide Et uera inuocatione intelligunt, quæ multo est obscurior quàm doctrina de ieiunio. Sed scis tamen præcipuos Et plurimos in scriptis Et concionibus complecti integram doctrinam: nec de fide tantum, sed etiam de*

*h s omni-*

omnibus necessarijs uirtutibus dicere: quos si tu omnes damnas, & uocas deteriores idolorum cultoribus, quia non dicunt de ieiunio cæremoniali, nimis duriter pronuncias: ut nihil aliud dicā. Illud in quaestione est, an per biduum aut triduum, ut dicis, necesse sit à cibo abstinere. Ne te quidem hoc puto facere. Vt secedere ex turba precādi causa interdum commodum est: sic iudico illa ieiunia, uel illam inediā alicuius diei suscipi posse, ut ad precationem uel cogitationem magis idonei simus, sed non necessariam rem esse. Cæterum temperātia omni tempore necessaria est. Aut igitur explicato, an ducas illam inediā, hoc est, in uniuersum à cibo & potu abstinere, rem necessariam esse: aut placidius tu nobiscum agito. Poteras omnino totam rem agere uerbis mitioribus. Citas ex Augustino laudes ieiunij, in quibus uides esse hyperbolas prudenter intelligendas. Nec tamen Augustinus de tua illa inedia loquitur, sed tantum de temperantia. Hæc scripsi bono et simplici studio: teq; oro, ut si has Ecclesias, in quibus sonat doctrina quā profitemur, amas, te nobis potius adiungas, quā inimicis: & quadam animi moderatione communem cōcordiam tuearis. Satis multos hostes habemus foris: nec parua res est, confirmare mentes ueris sententijs aduersus illos. Filius Dei præcepit, ut concordiam amemus. orat etiam eternū patrem in illo ultimo agone, ut flectat mentes

tes docentium & auditorū ad concordiam, dicens:  
 Ut unum sint in nobis. Quare te iterum atque ite-  
 rum oro & obtestor propter filium Dei, & pro-  
 pter Ecclesiam, ut communem doctrine consen-  
 sum tuearis: aut certè ut leniter, & communicato  
 cum amicis cōsilio disputes. Fauebat studijs tuis Li-  
 therus, & ego illi ingenium tuum laudavi, cum unā  
 legeremus propositiones de duabus naturis in Chri-  
 sto Mediatore: quas maximè probo. Nunc te arma  
 sumere aduersus nos nō uelim. Mitto tibi pagellas,  
 testes meæ erga te beneuolentiæ. Bene uale, mense  
 Aprili. 1546.

Venerando uiro D. Magistro Sebastiano  
 Stiglich, docenti Euangelium in Ec-  
 clesia in Spandano, amico  
 suo,

S. D. Venerande domine Sebastiane: Etsi scio  
 de meis literis & de me parum amanter, nec in iu-  
 nōs indicari apud aliquos in urbe Arctoa: tamen  
 scribam simpliciter quod sentio. Et tibi & domino  
 Georgio preposito hortator sum, ne nouam doctri-  
 næ aut ceremoniarum formam componatis: & li-  
 brum Electoris Marchionis iudico in articulis do-  
 ctrinæ piè & rectè scriptum esse. uidi etiam illum  
 ante editionem. Nec offendunt me additæ quedam  
 ceremoniarum obseruationes: nec Princeps ubiq;

acerbè eas exigit. *Matri inclytæ certè non feret  
leges.*

De bello scias, Dei beneficio, Lantgrauium cum exercitu in Bauaria esse, & occupata esse aliqua oppida. In ditione Palatini ad Rhenum est exercitus Imperatoris, què ducit Martinus de Rossa Gel-drensis. Sed Deus defendet Ecclesias in his & alijs regionibus inuocantes ipsum, & reprimet crudelitatem eorum qui interficere pios sacerdotes in nostris Ecclesijs conantur. Bene uale. Vuitebergæ, 19 Augusti, anno 1546.

Reuerèdo uiro, &c. Ioanni Sigefrido, pastori Ecclesiæ Dei in oppido N. amico & affini suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & amice ac affinis charissime. Initio uos hac cōsolatione confirmate, quā Filius Dei proponit, inquiēs: Non sitis solliciti, quomodo aut quid dicturi sitis: dabitur enim uobis in illa hora, &c. Et ut uobis adsit Filius Dei, toto pectore cum oro. Videmus Ecclesiam tristi seruitute oppressam esse, hanc sapienter seramus, ne deserantur Ecclesiæ propter ineptos ritus, si modò absit impietas. Nescio qualis propositio in conuentu futura sit. Sed uos respondere poteritis, uos in doctrina & Missa nihil mutaturos esse. In cæteris rebus adiaphoris seruitutem ego quoq; tolerari non recusabo.

recusabo. De Canone nō est obscura deliberatio: ego cum nunquam approbo: si glossas Sydonij putant sufficere, errāt. Nam & glossæ illæ confirmāt falsam opinionem de applicatione operis sacerdotis pro Ecclesia. Magna causa est. & optarim te & alios pios & eruditos & amantes ueritatem, posse colloqui cum de alijs articulis, tum præcipuè de Missa. Gregorius præpositus in urbe Arctoa petiuit, ut gratiarum actionem, precationem & confessionem, recitandam loco Canonis, componerem. quod faciam: sed iudicio piorum subijciam. Bene uale. 3. die Februarij.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholzer, pastori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa, amico suo charissimo,  
S. D.

Reuerende uir, & amice charissime. Nec fama nec suspicio est apud nos de pellēda Academia. Sed tamen scimus humana omnia fragilia esse: & nobis accidere posse, quod accidit florentissimis Academicis multis, Hierosolymitanæ, Aegyptiæ, Antiochæ, ut alias multas omittam. Extant scripta in his turguriolis, mediocri sedulitate edita, de doctrina Ecclesiæ, & de philosophia: quæ testabuntur ad posteritatem, quæ fuerit tum uolūtas docentium in hac Academia, tum uerò etiam sententia de multis obscuris

ris disputationibus. Si non alius labor nisi interpretatio Bibliorum hic factus esset, fauere his hominibus et parietibus decebat, ubi id opus editum est. Sed omitto hæc. De uoto Pauli facilis est responsio. Nequaquam fuit Ethnicum. Deinde in Ecclesia concedo seruitutem etiam insuauem in adiaphoris suscipi posse, propter alios: multæ etiam aliorum infirmitates tolerandæ. Sed non sunt approbandi errores, aut confirmandi uitiosi cultus, non adiaphori. Dicam de re crassissima: Oleum quomodo consecrant? Exhorresco, cogitans illas penè magicas impietates. Miror cur iactitent hanc pulchram reformationem: cum manifestum sit, in multis locis Germaniæ expelli doctos & pios pastores ex suis Ecclesijs: ut in ducatu Vuirtembergensi, & in alijs locis, ubi Episcopi suam potentiâ exercent. Sed Deus erit index. Bene uale: Die Nicolai.

Eidem.

S. D. Ad honestam & piam deliberationem uocati fuimus, in qua scripsi admonitionem, quam iussi etiam inclyto electori Marchioni ostendi. Et optarim in ea re consuli & audire uirum sapientem, amantem & intelligentem ueritatem, dominum doctorem Hieronymum. Manifesta enim corruptela doctrinæ de fide proponitur in hoc libro Augustano: Fide iustificamur, id est fide præparamur ad accipiendam aliam rem, scilicet dilectionem, qua po-

sica



stea uerè iusti simus. Hoc enim uerbo *VERE* sic usti sunt, et adhuc utuntur. Optarim autem inclytum Electorem Marchionē de eo admoneri. Multa de hac ipsa re corā narrare possem, quæ literis cōmendari non possunt. Vir clarissimus dominus doctor Augustinus Schurff, laborat tam periculoso morbo, ut de eius uita parum spei sit: morbus est, pectoris repletio. Quæso igitur ut hanc meam epistolam curetis reddi quamprimū uiro clarissimo D. Doctori Hieronymo Schurff, ubicunq; est. Bene ualete: Die 6. Maij. Salutem opto uiro clarissimo D. Cancellario. In Anglia Dei beneficio inchoata est emendatio Ecclesiarum, & editum scriptum modestissimū.

Gratulatoria de coniugio, ad illustrissimum principem ac dominum, D. Albertum Marchionem Brandeburgensem, Ducem Prussiae, &c.

Illustrissime & clementissime Princeps: Ideo cōdidit Deus intelligentes naturas, ut esset creatura cui suam sapientiam & bonitatem communicaret, & à qua uicissim agnosceretur ac celebraretur in omni æternitate. Et ut agnosci possit, ac à malis rebus discerni, multa de se testimonia uniuerso mundi opificio, præcipuè uerò hominis naturæ impressit. Transfudit enim in hominum mentes radios suæ laetis, uidelicet noticiam, qua agnoscimus esse Deum,

Et discernimus conditorem à rebus conditis. Addit Et noticiàs uirtutum, non solum ut uita hominũ inter ipsos rectrices essent, sed etiam ut discerneret Deũ à rebus malis. Vult se agnosci conditor sapiens, beneficum, ueracem, iustum, castum, iudicẽ Et iudicem esse. Hæc in omni inuocatione cogitanda sunt. Non enim brachijs amplectimur Deum, sed mente intuentus est, Et cogitãdus quis sit, Et qualis, Et ubi patefactus sit, an Et cur exaudiat. Facit autem illustre discrimen hæc uirtus, quæ nominatur castitas: id est, quæ detestatur et uitat uagas libidines, Et ordinem ac metas à Deo institutas tuetur. Vult igitur intelligi à nobis, uerè placere sibi hunc ordinem, Et se horribiliter irasci huius ordinis confusionibus: sicut Et atrocissimæ pœnæ contaminationum omnibus ætatibus ostendunt, excidia Troicæ, Sibaris, Sparta, Thebarum, Et aliarum innumere rabiliũ urbium.

Contrà uerò diabolus, odio Dei delectatur ordinis confusione: Et imbecillem hominum naturam impellit, ut extra metas à Deo institutas furenter ruat. Cum igitur in inuocatione discernimus Deum à diabolis, et alijs immundis naturis, alloqui nos cogitemus sapiens, beneficum, uerax, iustum, castum nomen, quod se patefecit misso filio ueraci et casto.

Non igitur tyrannica uincula sunt leges casti coniugij, ut Ethnici furenter imaginati sunt: sed or

do est sapientiæ diuinæ, in ipsa mente Dei immotus, & magno consilio propter multas causas humano generi traditus: inter quas causas illam esse non dubium est, ut discrimen sit illustrius inter Deum & diabolos.

Cum igitur in Moise scriptum est, DIXIT DEVS, significatur miranda sapientia decretum & sanctum esse, talis ut cōderetur hominum natura, ut mas unicus cum fœmina unica copularetur: & intelligerent diuinæ sapientiæ repugnare huius ordinis conturbationem. Significantur & alia multa. Qualis est uerus amor, uera σογῆ in sponso erga sponsam: talis est amor in filio uerus erga humanam naturam, quam assumpsit. Deniq; arcanae significationes multæ huic decreto inuolutæ sunt, de quibus celsitudinem tuam pro sua sapientia sæpe cogitare existimo. Ac simus attenti in consideranda maiestate horum uerborum, DIXIT DEVS. Cedere autem dicenti Deo, creaturæ omnes reuerenter debebant. Sed hic uel præcipuè declarat diabolus ardens odiū aduersus Deū. nec solū impellit homines, ut uariè contaminentur: sed etiam inquinatos pontifices & multos fanaticos homines incitat, ut decreta cum uoce diuina pugnantia, ad contumeliam Dei proponant. Dicit & præcipit Papa ne legitima coniugia cōtrahuntur: & addit multos tetros errores, καὶ βλαδύματα. Hæc audacia Pontificum non est  
i huma-

humana, sed est furor à diabolo ortus. Hunc furorem intelligere & execrari omnes bonæ mentes debent.

Itaq; pietas tua laudanda est, quòd dicenti Deo obtemperas, & in tota gubernatione tua ordinis à Deo instituti confusionem seuerè prohibes, & in domestica consuetudine coniugij fœdus semper sanctè seruasti: & nunc rursus in cōiugio legitimo uiuere mauis, quàm in periculis uitæ cœlibis, quæ inuocationem Dei sæpe impediūt. Adest autem Deus suo ordini, & iuuat obtemperantes suæ uoci, & bona conscientia ipsum inuocantes.

Quare æternū patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, & autorem fœderis coniugū & generationis, oro, ut Celsitudinem tuam, & generis nobilitate & pudicitia præstantem sponsam tuam, seruet incolumes: & ut tota gubernatio sit Ecclesiæ & Celsitudini tuæ salutaris. Certissimum est enim, diuinitus & coniugia & Ecclesias protegi, sicut & uox diuina & exempla testantur. Cum in Iudæa uagarentur pessimarum gentium exercitus, Syriaci, Arabici, Parthi, Aegyptij, Romani: tamen Deus hæc honestissima coniugia Zachariæ & Elizabeth, Ioseph & Mariæ, et similium, qui erant Ecclesia Dei, tegebat. Nec dubium est, Mariam, et eius sororem, & alias multas castas matronas & uirgines excelluisse forma, inge-

nijs,

nijs, sapientia, uirtute, nec ignotas ducibus fuisse.  
Fuit igitur manifestum Dei beneficium, coniugio-  
rum illorum protectio. Quare & speremus nobis  
quoq; adfuturum esse: & ut nos regat & defendat,  
ardentibus eum uotis oremus. Bene & feliciter ua-  
leat Celsitudo V. Calendis Ianuarijs, Anno 1550.

Gratulatoria de coniugio magnifici  
& clarissimi uiri, D. Thomæ  
Matthiæ.

S. D. Deus æternus pater Domini nostri Iesu  
Christi, cōditor uniuersæ naturæ, & autor pulcher-  
rimi dulcissimiq; fœderis cōiugalīs, adsit tuo coniu-  
gio: & faciat ut sit tranquillū, faustum, felix & fœ-  
cundum. Cumq; multa sapienter & piē scripta sint,  
quæ non solum dignitatem coniugij nobis osten-  
dunt: sed etiam monent, qua animi pietate comple-  
cti coniunx coniugem debeat, & qua moderatione  
communes huius uitæ difficultates ferēdæ sint: tum  
uerò illud Pythagoricum, quod Aristoteles in pri-  
ma pagella Oeconomicorum recitat, illustrem pi-  
cturam continet multorū officiorum. Sic enim di-  
xisse Pythagoreos inquit, Virum meminisse debe-  
re, adduci ad se sponsam ab ara tanquam supplicē.  
Vides ritum ueterem esse, iungi sponsum et spōsam  
ante aram, inspectante Deo, & inter inuocationem  
Dei. Qui mos haud dubiè à primis patribus institu-

tus est, ut cogitemus à Deo hanc coniunctionem institutam esse, & ab eo iuuari. Deinde totum ius supplicum transfert ad sponsam. Fuit usitatum, supplices sedere ad aras: & eos quibus fiebant supplices, accedere ad hos subleuandos. Quo ritu intelligebatur eis promissa uenia & incolumitas, & perpetua defensio. Quid pulchrius hac imagine? Sponsa ante aras tibi tanquam supplex traditur: tu eam in tuam fidem recipis, subleuas tanquam imbecilliorum, perpetuamq; misericordiã & defensionem ei promittis. Vide quantis de rebus hoc ritu nos antiquitas commonefieri uoluerit: qui quidem & illius æterni connubij Ecclesiæ & Filij Dei pictura est. Sedet ad aram Ecclesia supplex, inter maximas ærumnas. Ad hanc accedit sponsus filius Dei, & eam erigit. Qui complectens miseram, pollicetur ei æternam misericordiam & defensionem. Hac fide petamus & expectemus etiam hoc tristi tempore auxilium à filio Dei: quem, ut intersit uestris nuptijs, uosq; seruet & gubernet, oro. Etsi autem iam molesticia temporũ impediatur, quo minus istuc ueniam: tamen uotis adero. Salutem opto & uiris integerrimis, patri tuo & sponsæ pudicissimæ, & uiris clarissimis domino doctori Hieronymo, domino doctori Zochio, & pastori Ecclesiæ uestre Sigefrido. Bene uale: die 13 Februarij, quo ante annos 1717 Nicænor acie uictus, poenas dedit blasphemiarũ, quas  
dixit.



dixerat templo Dei minitans. Quo exemplo tunc Deus ostendit, à se defendi Ecclesiam suam: qui ut nunc quoque defendat, etiamsi magnis tumultibus concutitur, oro. Nuper cum adesset illustrissimus princeps Elector Marchio, cum inter cætera dicerem, me ad nuptias uocatum esse, honorificè de tuo patre loquebatur. Et ego de ingenio & studijs tuis subieci commemorationem, quam Principi gratam esse animaduerti. Iterum uale.

Gratulatoria epistola à Philippo Melanchrhone ad quendam amicū scripta.

Vt cæterarum omnium uirtutum noticiæ inditæ sunt humanis mentibus, & adiunctæ pœnæ immoto ordine scelera comitantur, ut esse Deum, & qualis sit cogitemus: ita et castitatem intelligi Deus uoluit, & metas generationi circūdedit. Quia hæc uirtus illustre discrimen facit inter Deum, ac naturas immundas daemonum ac hominum.

Cum igitur Deum alloquentes, non cernere eum oculis, non complecti brachijs possimus, mente eum intueamur: cogitemus eius patefactiones, & discernamus eum ab alijs naturis cum aliarum uirtutum, tum uerò castitatis mentione. Qua in cogitatione hoc etiam ueniat in mentem: Deum execrari uota & preces pollutorum hominum. Quare in omni ui

Ita tueri castitatē studeamus, & ordinem à Deo sanctum amemus. Sæpe etiam uoluntatem Dei contem-  
plemur in exemplis horribilium poenarū, quæ tur-  
pia libidinum incendia secuta sunt: conflagrationē  
Sodomæ, Cananæorum deletionem, exilium Dau-  
dis, Troiæ, Thebarum, Sparta, & innumerabilium  
urbium excidia, & plurimarum gentium & homi-  
num interitus. Quarum calamitatum, etsi multa sce-  
lera concurrūt, tamē proximæ causæ, ac uelut ego-  
næ τῆς ἀφ᾽ ἡμῶν fuerunt libidines: nec ulla est ætas si-  
ne insignibus exemplis.

Laudo igitur consiliū tuum, quod, ut Deo ob-  
temperes, in cōiugio casto et pio uiuere decreuisti.  
Et Deum æternū patrem Domini nostri Iesu Chri-  
sti, conditorem generis humani, & authorem dul-  
cissimi fœderis coniugalis, oro, ut uobis semper  
adsit, & coniugium uestrum ac totum uitæ cursum  
gubernet.

Etsi autem scio te sæpe cogitare, cū de cæteris  
uitæ officijs, tum uerò etiā de causis propter quas  
hoc uitæ genus expetendum, amandum, & tuendū  
est, & de eius cōmodis et incommodis: tamen nunc  
inter uota publica, & te & nos, qui tibi bene uolu-  
mus, hac ipsa cogitatione accendere animos ad in-  
uocationem Dei conuenit.

Est omnino dulcis consuetudo mariti et uxoris,  
in quibus & uirtus est, & mutuus amor. Sed cum  
certo

certo ac iusto Dei consilio hæc uita magnis ærum-  
nis onerata sit, tenendæ sunt consolationes, quæ in  
animis & uirtutem & mutuum amorē cōfirment.

Quaquam igitur minus impediti sunt cura, la-  
boribus, periculis, qui sine familijs uiuunt: tamē in  
omnibus hæc uera consolatio animum erigit, quòd  
ut Deo obtemperetis, hunc uitæ ordinem admirabi-  
li ipsius sapientia sancitum, & initio prætulero li-  
bertati, ut nominatur, & nunc anteferatis.

Quam ob causam certò sciatis uobis adesse Deū,  
custodem uestræ societatis & familiæ: & omnes æ-  
rumnas lenituro esse. ut affuit custos familiarum  
Abrahæ, Isaac, Iacob, Thobiæ, & multorū piorum:  
quos, quaquam & ipsos multi tristes casus duri-  
ter exercuerunt, protexit tamen, & in magnis pe-  
riculis & ærumnis placidos exitus dedit.

Quanto tolerabilia sunt omnia quæ pijs acci-  
dunt, qui se Deo curæ esse sciunt, quiq; se & suas fa-  
milias norunt septas esse castorum angelorū agmi-  
nibus: quàm quæ accidunt pollutis, quorum pecto-  
ra magnis cruciatibus lacerantur, & qui sciunt se à  
Deo proiectos esse, & in magnis calamitatibus rui-  
turos. Nihil cogitari horribilius tali uita potest,  
quam nec gubernat nec protegit Deus.

Iam ut animi cōstantia in ferendis communibus  
ærumnis sit firmior, attētè consideres dulcissima di-  
cta, in quibus Deus & uoluntatem suam expressit,

et auxilium pollicetur: quæ in cogitatione ordini ab ea narratione rectissimum est, quæ describit primam generis humani formationem, ubi scriptum est: Dixit Dominus, Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile ipsi.

Cum quærent humanæ mentes, cur non alio modo sit propagatio, ut florum et apii, aut phœnicis? Et cur maris et fœminæ copulatio certis metis circundata est? Retrahit nos Deus ad se, inquiens, Dixit Dominus: id est, sapientissimo consilio et immoto decreto sanxit hunc ordinem. In hoc decreto acquiescito: cui aduersari, est giganteo more bellum cælo inferre, καὶ θεομαχεῖν.

Causas uerò consilij diuini, in illa æterna consuetudine magis cernemus: nunc autē ipsi decreto obtemperemus, etiam si causas omnes nō perspicimus: et tamen aliquas considerare dulce est, et earum cogitatione hoc genus uitæ fit suauius.

Conditi sunt duo, quia uoluit Deus genus humanum Ecclesiam esse: uoluit celebrari uocem doctrinæ inter plures, alterum ab altero doceri, alterum alteri testem esse inuocationis, et speculum ac hortatorem ad omnia uirtutum officia.

Marem autem et feminam condidit, ut mutua sit et ardens εὐγυνή: quam quidem et typum esse uoluit mirandi amoris in filio erga naturam humanā, quam assumpsit. Circūdedit autem certas metas, ut  
intelli-

intelligatur *castitas*, qua uult se Deus ab immundis naturis discerni.

Ac ut intelligi possit, has metas diuinitus sancitas esse, uoluntatis suæ testes : uoluit esse horribiles poenas, quæ immoto ordine in uniuerso genere humano ubiq; incoestas libidines comitantur : & ostendunt, non casu, sed diuinitus deleri eos, qui tetricis libidinum confusionibus polluti sunt.

Imprebit & mirificam beneuolentiam parentibus erga natos, quæ nõ sit casu accensa : sed ita condita sit in optimis naturis, in quibus uoluit Deus suam effigiem conspici, ostendit similem in ipso erga nos paternam *στοργήν* & amorem esse.

Hec omnia ædificium humani corporis, distinctionem sexus, leges coniugij, poenas incoestæ consuetudinis, *στοργήν* parentum, illustria prouidentie testimonia esse, manifestum est : quæ quidem ostendunt hanc naturam non casu extitisse, sed uerè esse mentem architectricẽ, bonam, iustam, castam, uindicem scelerum, custodem societatis humanæ, et honesti coniugij.

Nec uerò dubium est, coniugium fieri dulcius, cum huius ueræ sapientiæ de prouidentia scholam esse cõsiderabis. Postea etiam in generatione & nutritione sobolis, & in familiæ protectione, testimonia præsentiae Dei multa cernes.

Statim cum in aluo materno foetus nascitur, ne

i s tenello

tenello corpusculo desit nutrimentū, diuino consilio ita condita est natura, ut lac in uberibus coquatur. Miro ordine diuino laxantur ossium iuncturae iusto tempore in partu, ac postea rursus clauduntur, quæ nulla humana arte laxari aut claudendi possunt.

Hæc manifesta miracula ostendunt, non casu nasci homines, sed ordinis huius & autorem & conseruatorem Deum esse. Postea sunt alia multa signa præsentia Dei, quod sua dextra tuctur hominum societatem. Quia latrones ad poenas rapit, etiam cū ex manibus magistratuum effugisse uidentur.

Sæpe igitur tecum repetas hanc uocem : Dixit Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium. Dicere autem hoc loco significat, miranda sapientia sancire, & nobis hoc decretum tradere: & Deo dicenti ac sancienti obtemperandum esse statuas.

Deinde reputes, quantus hic sit furor, & unde ortus sit. Dicenti Deo aduersatur Papa, qui dicit: Ne sacerdos in coniugio legitimo & casto uiuat. Violat quidem hunc ordinem suo lapsu etiam Dauid: sed illud scelus maius est, legem opponere Deo dicenti, quæ coniugiū prohibeat, & causa sit ingentium scelerum, quibus ira Dei horribiliter accenditur. Quanta autem sit audacia, legem opponere dicenti



dicenti Deo, hominum cecitas nō satis considerat: sed diaboli intelligunt, à quibus hæc audacia primum orta est.

Etsi autem in Ethnicis scriptis, cum querelæ de ærumnis coniugij, tum etiam uituperationes & sexus & coniugij leguntur: tamen scimus normam iudicij esse uocem diuinam, & modestius locuti sunt sapientes & honesti.

Pythagoras præcipit, ne maritus coniugem contumelia adficiat, quæ ad aram ei uelut supplex traditur. Hic si iura supplicum considerabis, intelliges ad amorem & coniugalia officia oportere in uiro etiam accedere misericordiam erga sexum imbecilliolem. Tua fide & uirtute coniunx defendenda, & eius infirmitati parcendum est.

Hæc iura ad aram sanciantur, ubi Deum testem & iudicem facimus huius nostræ uoluntatis: & petimus, ut sit custos nostræ consuetudinis, si erit pia & officiosa: sin autem erit crudelis, ut sit uindex.

Admonet autem nos de coniugio Filij Dei & Ecclesiæ, hæc ad aram facta supplici promissio. Sic enim ad aram, id est, in arcano consilio æterni patris, mirando fœdere Filius Dei Ecclesiam infirmam & ærumnosam sibi despondet: & complectens supplicem, miseretur calamitatis eius: ac placaturus æternum Patrem, in  
scf

se se deriuat iram, fit supplex æterno Patri pro ea, & sustinet poenam. Deinde acerrimè defendit sponsam contra sæuissimos hostes diabolos: & fixo in labris sponsæ dulcissimo suauilo, uoce Euangelij, & dato arrabone spiritu sancto, ornat eam suis bonis: reddit uitam, sapiētiam, iusticiam: semper adest infirmæ sponsæ, & tegit eam in omnibus periculis.

Hoc fœdus filij Dei cogitato, non solum cum tibi stanti ad aram Deus sponsam adiungit, aut cum adest uocatus ad communem precationem in nuptiarū initijs: sed etiam quoties cum dulcissima coniuge & tuis natis ad mensam assidebis, aut in thalamum accedes, imaginem amoris & beneficiorum filij Dei in fœdere cōiugij nobis propositā esse agnoscas: ac uos duos & uestrum paruum agmen scito illius Ecclesiæ membra esse, quam filius amat, complectitur, & tuetur. Hunc uicissim amato, & grato pectore celebres, & te tuosq;, et nidulos uestros ei commenda: cum quidem certum sit, nulla nos firma præsidia habere, nisi filium Dei.

Deniq; & ipsum fœdus coniugij, significationes de uoluntate Dei multas continet: & perpetua consuetudo in secundis & aduersis rebus exercitiū est omnium uirtutum, & multa non obscura præsentia Dei in genere humano testimonia ostendit. Nequaquam enim societas generis humani diuturna esse posset in tantis periculis & furoribus, nisi

Deus

Deus custos esset imbecillū: & atrocia scelera, quibus dilacerantur hominum coetus, manifestis exemplis puniret, & in bellis Ecclesiam suam tegeret.

Hæc quotidiana spectacula cum cernimus, & cum uidemus nos ipsos et infirma agmina nostra mirandis modis protegi, ali, liberari & seruari uitæ coniugū, fiat etiam exercitiū ueræ inuocationis Dei.

Hæc scripsi breuiter, genera seu fontes consolationum utcunq; recitans, consilium, uoluntatem, et mandatum Dei, testimonia præsentiae Dei in coniugio, poenas uiolantium ordinem à Deo sancitum: teq; adhortor, ut harum grauissimarum rerum cogitatione confirmatus, reuerenter de hoc uitæ genere sentias, & hanc (ut nominant) seruitutem placide feras. Ita cum in Deo acquiescet animus tuus, non solum aduersa facilius tolerabis, et fiducia præsentiae Dei uinces: sed ita illa suauitas, quæ natura adferunt maris & foeminae cōiunctio, & sobolis procreatio, dulcior erit.

Adderem etiam præcepta de officijs mariti erga uxorem, et uxoris erga maritum, nisi prolixior hæc cōmemoratio futura esset, quàm ut in hac pompa nuptiali posset legi. Sed firmissimum est uinculum mutui amoris inter uos, quod mentes uestre pariter in Deo unum sunt, quodq; uos mutuò amatis, quia Deo obedire decreuistis. Nulla enim est firma amicitia, nisi à Deo orta sit.

Postea

Postea & ars adhibenda est, alendus amor uirtute & officijs. quorum hoc præcipuum est, quod in ueteri uersu breuiter dicitur:

— Ut ameris, amabilis esto.

Sapienter & hoc Apostolus monet: ut uiri pareant sexui imbecilliori: nō onerēt grauidas, aut alijs nutricationis officijs occupatas, iniustis laboribus.

Simonides uxorem laudat, quæ similis est apicula, casta, frugalis, intenta operi, non uagabunda, sed uens sobolem. In tali matrefamiliâs tot pulchris uirtutibus condonanda est infirmitas, si quando forte morosior est, aut parum comis, aut in coquendo leuiter erratum est.

In omnibus amicitijs, mutua ἐπιεικεία quædam amicorum ineptias ferre necesse est. ut dicitur: Mores amici noueris, non oderis. Id in cōiugio maxime faciendum est, quod summus est amicitiae gradus. Deniq; tota consuetudo minus turbulenta sit, hanc ipsam ob causam, ne communis precatio tua, coniugis, sobolis, impediatur: sed ut leti coniungere uota possitis, & ad eundem uerum Deum ijsdem animis cōfugere, & sua cuiusq; domus uerè sit Ecclesia Dei: sicut hoc consilio diuinitus hanc dulcem societatem institutam esse, non dubium est.

Hæc ad te in præsentia scripsi, ut ostenderem, & probari mihi tuum consilium: & me tecum, & cum dulcissima sponsa tua, & cum uestris parentibus

tibus à Deo petere, ut uos seruet, & coniugium uestrum gubernet, & faciat ut totus uitæ cursus uobis sit & alijs faustus & salutaris. Id ut efficiat filius Dei, custos Ecclesiæ suæ, toto eum pectore oro. Bene uale.

Reuerendo uiro, Georgio Buchholtzer, pastori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa, amico suo.

S. D. Reuerende uir, & amice colende. Certè oportet in Ecclesia modum esse quæstionum & argutiarum. Cum apud me recito hoc dictum Domini nostri Iesu Christi, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos: intelligo eum mediatorem esse secundum diuinam & humanam naturam. Et reficit non solum quia patitur, sed etiam quia conculcat caput serpentis, uincit in passione, &c. Et tota uetustas sic loquitur: & ut obedientia huius mediatoris esset æquiualens precium, Mediator est non tantum homo, sed etiam Deus. Huc pertinet dicta ad Philippenses: Exinaniuit se, &c. Et Irenæus: Quieuit diuina natura (inquit) ut humana pati posset, &c. Quod autem opponitur argumentum, Si diuina natura esset mediatrix, esset mediatrix respectu sui.

Miror, uideri hoc argutè cogitatum esse. Discerni enim oportet missum filium, à mittente tota diuinitas

diuinitate. Filius, in quantum missus, est mediator. Interea tamen uerum est, mitti eum decreto totius diuinitatis. Hæc planissima sunt pijs. Si uellēt et ego uerbis exagitare contrarias cauillationes, non pauca mihi in mentem uenirent. Sed reuerenter de tantis rebus loquendum est. Miranda sapientia, quam in tota æternitate discemus: tota diuinitas decretum facit, ut hoc modo redimatur genus humanum per Filium. Et is subiicit se æterno patri. Ita missus iam habet, ut ita dicam, functionem aliam, quam tunc habet, cum sedet in consilio, in quo tota diuinitas mirando temperamento iusticiæ & misericordiæ decretum de redemptione facit.

Scribam aliàs plura de hac re, præsertim si scripta Stancari & Musculi uidero. Hanc meam responsionem potestis legere illustrissimo principi Electori. Et quæso, ut mihi rursus scribatis. Bene ualete, die 4 Octobris.

Eidem.

S. D. Venerande uir, & amice charissime. Sæpe cogitauī hoc aliquando futurum esse, quod nunc accidit, ut principes politica sapientia hoc modo tollerent controuersias, ut parua quædam condonarent uel temporibus, uel populi adfectibus: maiora uerò inuoluerent ambiguis inuolucris, & retinerēt præcipuos errorum neruos. Et similia sæpe in Ecclesia acciderunt. Et si autem et ipse moderationem

amo,



amo, & propter moderatiores sentētiās ab illo ipso  
 uestro reformatore sepe colaphos accepi: tamen  
 manifestas corruptelas & sēuitiam, quæ in homi-  
 nes pios exercetur, non adprobabo. Brentius exu-  
 lat: & si non fugisset in tempore, captus esset: uir  
 etiam de pace publica bene meritus. Exulant No-  
 pus, Musculus, & alij, qui non fuerunt infecti ma-  
 lis opinionibus. Tam multi sunt pij & docti uiri  
 passim in Germania, qui Lutheri sentētiām studio-  
 se didicerunt de iusticia fidei. Hi audiantur, an idem  
 senserit Lutherus, quod Liber inquit: Etiam ueram  
 fidem esse sine dilectione, &c. Scio quibus cauilla-  
 tionibus hæc excusentur: sed mihi nec nunc placet,  
 nec antea placuit, ulla ambigua & sophistica popu-  
 lo proponi. In nostra Ecclesia & schola, Dei be-  
 neficio adhuc sonat eadem uox Euangelij, quam se-  
 pe audiuisti. Si discedendum erit, dabit nobis Deus  
 alicubi hospitium. Nihil seditiose, nihil immoderatè fa-  
 ciam: magna cura, & non sine periculo quæsiui ue-  
 ram explicationem, & propriam, ut scit ipse illu-  
 strissimus princeps Marchio: & multas horrendas  
 opiniones lenij, & sepe cum multis doctis aman-  
 ter disputaui: optaui & cum pluribus amanter di-  
 sputare. Et iam ea ætas mea est, ut statuere debeam  
 quid sentiendum sit. Nec dubitarē ipsi principi red-  
 dere omnium mearum sentētiarum rationē: ac Deo  
 iuuante, hanc ueram et propriam doctrinæ formā,  
k quam

quam in Ecclesijs nostris docti omnes iudicant esse Prophetarum & Apostolorum sententiam, semper sonabo, & mecum ubicunque ero circumferam, & ad æternam Christi & Prophetarum & Apostolorum consuetudinem afferam. Bene uale.

Pagellas mitto, missurus plures per prooximum tabellarium. Officia amicitie & alijs fideliter prestiti, & tibi præstabo, donec potero. Bene uale, die 4. Augusti.

### Ad Campegium Cardinalem.

Ego non recuso periculum iudicij apud quoslibet uiros subire, si quod dogma in nostra confessione reperitur, dissentiens uel à Scriptura, uel ab ipsa etiam Ecclesia Romana. Non deprecor, quin atrocissimæ poenæ in me constituentur: tantum uociferantur aduersus me quidam illiterati & improbi, si res iudicetur à bonis & eruditis uiris, & saltem communi sensu præditis, multo minus fuerit turbarum, & facile conuenire possemus. Quod uerò accidit in ritibus quibusdam mutatio, si consideretur quæ fuerit corrupta disciplina, qualia uitia in monasterijs, quales fuerunt mores sacerdotum, nō omnino indigni uenia iudicabimur, si qui ista reprehenderunt: neq; fuit ulla Respublica, in qua non aliquando existerent à corrupta disciplina aliquæ comotiones, quæ plerunq; melius sedatæ sunt equitate

tate principum ac sapientum, quàm cum uiolentis consilijs res agi cœpit. Itaq; te oro propter Deum; ut des operam, ne per sæuitiam hæ dissensiones Ecclesiasticæ magis acerbentur. Non dubium est, quin maior confusio rerum futura sit, si res ad arma deducatur. Ibi erumpent nouæ pestes: plurimum enim tunc licet improbis. Hæc nō scribo temerè, magnas & graues causas habeo cur ista metuā: & has exposui quibusdam bonis uiris. Paucis rebus uel condonatis, uel dissimulatis, posset constitui concordia, uidelicet si nostris utraque species Cœnæ Domini permitteretur, si coniugia sacerdotum & monachorum tolerarentur. Hoc si apertè concedi non uidetur utile, tamen prætextu aliquo dissimulari possent, uidelicet quo res extrahatur, donec Synodus conuocetur. De missa etiam ratio iniri posset à bonis & doctis uiris, ne quid dissidij pareretur amplius. Nostris uicissim conueniet, obedientiam reddere & iurisdictionem Episcopis. Ita etiam si leuis dissimilitudo esset in una atq; altera re: tamen quia iisdem Episcopis parerent Ecclesiæ, nulla uideri discordia posset, præsertim cùm de dogmatibus conueniret. Et Episcopi autoritate sua pleraq; incommoda tempore sanare possent, cùm iam iterum haberent obediens pastores: si tamen uellent restituere disciplinam Ecclesiasticam, iam diu neglectā. Profectò hæc uirtus Deo grata erit, & digna m

gnis uiris: hæc malim ratione potius sanare, quàm  
horribiles tumultus excitare, quos postea non sit fa-  
cile ijsdem etiam qui plurimum poterunt, compe-  
scere. Optimè uale.

Venerādo uiro, eruditione & uirtute præ-  
stanti, D. Andreæ Hugel, pastori Ecclesiæ  
Dei in urbe Brandeburga, amico  
suo charissimo,

S. D. Venerande uir, & amice charissime. E-  
pistolam tuam dedi legendā reuerendo domino no-  
stro pastori, & cæteris collegis nostris: qui omnes  
optant uniuersæ Ecclesiæ & harum regionum Ec-  
clesijs pacem, ac dolent scandala excitari per diabo-  
los passim in multis locis. Sed Deum æternum pa-  
trem Domini nostri Iesu Christi oremus, ut repri-  
mat astutiam & præstigias diaboli, sicut scriptum  
est: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diabo-  
li: & hanc sententiam opposito illis præstigijs, de  
quibus scribis. Comperi ipse, & narrat D. pastor  
exempla tuis similia, ubi diaboli cesserunt diabo-  
licis exorcismis, seu magicis. Et ideo non terrearis  
exemplis, quæ istic uides: sed prius illud considera,  
quales sint exorcistæ, an sint magi, an figuris aut im-  
pijs uerbis utantur. Quo signo animaduerso, gra-  
uiter et uerè pro concione ostendere potes quomò-  
do sanatio illa pugnet cum mandato Dei: & refu-  
tabis argumentum sumptum ab euentu, sicut Moy-  
ses ipse

ses ipse refutat: Si quis contra legem aliquid docebit, etiam si miracula edat, tamen uocem Dei antese rendam esse sciat. Et Paulus significat, quædam falsa miracula esse. Et Aegyptij magi cum Moyse certantes, faciebant falsa miracula. Denique exempla sunt innumerabilia. Etsi autem interdum in delictis ciuilibus aliquando reprehensionem nimis uehementem esse nolo: tamen de idolis & magia optare omnes doctores & pastores acerrimè contendere, quia gloria Dei præcipuè his peccatis læditur. Ideo probo tuum consiliū, quòd cōfugientes ad magiam uituperas. Sed uelim te in concione declarare, quæ miracula sint diuina, quæ sanationes naturales & concessæ, quæ sint magicæ & prohibita: scilicet quæ fiunt cum inuocatione diabolorum directè uel indirectè, uel quæ stabiliunt inuocationes mortuorum, aut opinionem de animabus defunctorum liberandis per certos cultus, aut quæ dicunt animas hominum in corpora hominū ingredi: aut quæ figuris aut uerbis, sine causa naturali, imò sine uera inuocatione filij Dei fiunt. Habes meum consilium. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut te gubernet, & seruet Ecclesias suas. Salutem opto Magistro Ioanni, & D. Thomæ. Hac nocte mortua est coniunx honestissima D. Ambrosij Reutteri: iusti colliguntur à facie mali.

Deus nostri misereatur.

k a

Iudi:

Iudicium de homicidis propriorum  
corporum, D. Philippi Melan-  
chthonis.

Paulus dicit, Manifesta sunt opera carnis, &c. Ex ijs nos iudicamus, sicut & Christus ait : Ex fructu eorum cognoscetis eos. Itaq; nō possumus aliter iudicare de ijs qui sibi mortem consciuerunt, quā quod sint in potestate diaboli, & à quo sint impulsī ad tantum scelus. Et exēpla in Scripturis, hoc genus mortis faciunt horribilius : quia singularis impietas fuit in ijs, qui sic perierunt: ut Saul, Achitophel, &c. Sed etiam colligi possunt aliqua uerisimilia, quod hoc nostrum iudiciū de talibus sit incertum. Sicut in malis aut subitis casibus, ut in naufragijs, &c. Deus potest peccatorē aliquem cōuertere, sicut cōuertit latronē in cruce: ita potest, ut cōuertat talē aliquē facta cāde, cū tamen diutius uiuere nō possit. Nam exempla aliqua extāt, ubi quidam, cū iam se uulnerassent, tamē in illa ipsa perturbatione redierunt ad se : quia erant leuiter uulnerati, & conualuerunt. In ijs uerò qui uicini erant morti, et uulnera maiora acceperāt, signa quædam ueræ pœnitentiæ reperiēbantur, ut adfirmari aliter non posset, si sic mortui fuissent, nō fuissent damnati. damnatus etiam aliàs fuisset custos carceris, Actorum 16, uolens sibi consciscere mortem : at subito conuertitur, & agit pœnitentiam, inquit : Domini,



**Dominè, quid oportet me facere, ut saluus fiam?**

Extant multa similia exempla subitæ pœnitentiæ, sicut 2. Regum 13. ubi propheta quidam contra mandatum Dei mansit in Bethel: & obiurgatus à Deo, exijt inde, & à leone discerptus est in uia. hunc miracula secuta testantur ad pœnitentiam uenisse. Huc congruit Esaia dictum, qui sic inquit: Nunquid abbreviata & paruula facta est manus mea, ut reducere nō possit? Vbi Dominus testatur, quod quantacunq; peccata sint, tamen cōdonantur & remittūtur inuocantibus eum. Neq; est spacium temporis considerandum, iuxta hanc sententiam: Manus Domini non est abbreviata. Quamquam igitur propter opus iudicemus eum: tamen nō possumus de iudicio Dei esse certi, quia est arcanum & absconditum: sicut Esaias dicit, Secretum meum mihi, &c. Item, Dominus nouit qui sunt eius: inquit Paulus ad Timotheum. ego quid iudicare debeam, statuere nō possum. Anno 1529.

## PAVLVS AD COLLO-

senses Cap. 3.

Sermo Christi habitet in uobis abundè,  
cum omni sapientia: & doceatis &  
commonefaciatis uos mu-  
tuo.

Immensa bonitate Deus se patefecit sua uoce, &

k 4 uult

uult agnosci sicut se patefecit, & reddit uitam æternam his qui fide amplectuntur filium Dei. Ac præcipuum mandatum est, ut doctrinam ab ipso traditam discamus, sicut hîc scriptû est: Sermo Christi habitet in uobis opulenter in omni sapientia.

Hîc multæ grauissimæ admonitiones continentur, inter quas hanc præcipuè obseruate. Habitet in uobis sermo Christi: id est, ut familiarissimè notus: sæpe cogitetis, tanquam loquamini cum filio Dei.

Certissimum est autem, in illo pectore habitare Deum, ubi sermo Dei uera fide accipitur, & inuocatur Deus. Ibi filius, qui est uerbum æterni patris, dicit consolationem in corde tuo, & monstrat tibi patrem. Et pater æternus diligens nos propter filiam, per eum effundit spiritum sanctû in cor tuû, uiuificat, docet, exaudit, gubernat, defendit & seruat te, ac facit te hæredem uitæ æternæ, in qua erit Deus omnia in omnibus, cui laus & gratiarû actio.

Dieser spruch ist ein klar zeugnis/di Gottes wille vnd gebott ist/ das wir alle die leer des hern Christi oft hören oder lesen /vnd vleissig betrachten sollen. Vnd ist gewißlich war / wo Gottes wort im hertze wonet/wo es mit rechter bekerung vnd glanbē wirt angenommen/in illo corde habitat Deus selbst wesentlich vnd krefftiglich/vnd bewaret vnd regiert dich.

Qua-

Quatenus docenti Ecclesiam, de gubernationis oneribus dicendum sit.

Non dubitatur de priuatis delictis gubernatorum. Pariter minister Euangelij debet notare omnia priuata delicta magistratuum & priuatorum manifesta, præsertim enormia: ut Nathan arguit Dauidem propter adulterium, Baptista Herodem. Sic principum taxandæ sunt helluationes, ebrietates. Sic potentum rapacitas, qui ne quidem politicis legibus permissas usuras petunt. Et fiat reprehensio ordine in Euangelio tradito. Nec dubitetur de publicis erroribus doctrinæ, & de idolomanijs. Hæc mala seuerè taxanda sunt, et simul eruditè etiam uera doctrina proponenda est. Tantum de hoc membro quæstio est:

Cùm seruitus sit durior, quæ tamen sine peccato fieri potest, an duricies magistratuum taxanda sit?

De hac quæstione sic respondeo: Si manifesta tyrānis est, ut cùm imponuntur tributa aut opera sine necessitate publica, & sine modo: ut Pharaos imponebat Israelitis, aut ut Dionysius spoliabat matronas ornatu, aut ut fit in multis locis. Nobiles cogunt subditos sibi paruo uendere frumentum, coquunt malam ceruissiam, & prohibent aliam emi à subditis: & huiusmodi onera uaria & multa sunt, quæ et sine modo & sine necessitate publica imponuntur.

k s Hæc

Hæc manifesta & iniusta aucupia taxanda sunt, quæ habent excusationem: ut eum propter calamitates aliquas fisco opitulandum est. In eo casu nō est reprehendendus magistratus, noua tributa mediocriæ indicēs. Et uolo intelligi mediocria ἐν πλάτει. Hic minister Euangelij doceat, politias non similiter florere: aliam esse ætatem auream, aliam ferreā: seruitutem paulatim fieri duriores propter peccata: ut sub Dauide & Salomone felicius status fuit, quàm sub Acha. Et sæpe fit, ut in tristissima tempora incidant boni magistratus: quia Deus tunc aliquorum bonorum moderatione calamitates lenire uult: ut leconias tristi tempore fuit.

Talibus autem qui sunt tyranni, multa in gubernatione cōdonari uolo. Quid autem tyrannum aut bonum principē nominemus, sæpe aliàs dictū est.

Tyrannus est, qui habet studium sceleratè faciendi: & plerunq; sceleratè facit, etiā si sæpe iusta facit.

Bonus princeps est, qui habet studium rectè faciendi, & plerunq; rectè facit: etiam si sæpe peccat non petulantia, sed uel temporum miserijs, uel communi imbecillitate uictus. Et hic eo melior est, si hospitium præbet Ecclesiæ Dei.

Deus pingit imperium Cyri argenteum, quod horribilem uastationem in Ionia et alibi fecit: ut ex primo libro Herodoti intelligi potest. Et post Cyrum secuti sunt multo deteriores principes, Camby

ses,

ses, Darius, Artaxerxes. Nec ullius imperij tempus tam felix est, quin secundis rebus multæ magnæ calamitates misceantur.

Hæc D. Philippus ad Vitum Theodorum  
postridie Calend. Septembris, Anno 1547.  
scribebat.

Ioannis 14. inquit Filius Dei:

ἐὰν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πα-  
τήρ μου ἀγαπήσει αὐτόν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλθω-  
σόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιή-  
σομεν.

Semper in mente circumferendum est, & cogi-  
tandum sæpe, hoc dictum filij Dei, quia doctrinam  
necessariam & consolationem dulcissimam conti-  
net. Docet enim, quæ & ubi sit uera Ecclesia: et ad-  
firmat hunc uisibilem cœtum, uerè esse Dei Eccle-  
siam, qui legit, audit, discit, fide amplectitur et amat  
Euangelium, & ei obedire incipit: ac uera membra  
Ecclesiæ Dei esse singulos qui discunt, fide ample-  
ctuntur & amant Euangelium, & ei obedire in-  
cipiunt.

Hæc est uera & natia sententia horum uer-  
borum Christi: Si quis diligit me, sermonem meum  
seruabit, & pater meus diliget eum, & mansionem  
apud eum faciemus. Non ociosa concio est: sed ut  
dextrè & uerè intelligatur, necesse est reiici inter-  
pretationem monachorum, qui cùm hoc dictum  
enarrant

enarrāt more legis aut *voimōs*, seu tanquam dictū  
*voimōs*, corrumpunt totam sententiam, & dulcif-  
 simam consolationem uertunt in dictum impossi-  
 bile & ingratum. Vt autem explicatio fiat planior,  
 syllogismum adijciam.

### De uocatione ministrorum,

D. M. L.

In nullam uocationem se quisquam ingerere de-  
 bet, nisi sit uocatus.

Vocatio autem est duplex. Diuina, quæ fit à su-  
 periore: eaq; est fidei. Secunda, humana uel charita-  
 tis, quæ fit ab æquali: ut si meus collega uel alius me  
 roget, ut prædicem pro ipso: utraq; magna est, &  
 necessaria ad certificandam conscientiam. Qui ope-  
 ram dederunt Theologiæ studio, bona conscientia  
 se insinuare possunt uisitoribus, atque petere ut  
 sibi prospiciant conditionem Ecclesiasticam. Nam  
 qui episcopatum desiderat, rem bonam desiderat.  
 Neq; est, quòd quis hoc modo obijcere possit, quòd  
 hoc modo se aliquis intrudat: cū hoc ipsum stet in  
 arbitrio uisitorum, an eum iudicent hoc ministe-  
 rio dignum atq; aptum.

Philippo Reiffenstein S. D.

Scio N. his moribus atq; hac dexteritate ingenij  
 præditum esse, ut D. Comes maximè sit probaturus  
 hominem. Scripsi igitur ad eum, ita ut significem e-  
 am totam rem ex Comitibus literis intellecturum esse:

✠



Et ad Comitem breuiter scripsi ( properabat enim nuncius ) id minimè facturus, si sciuissem aut te aut fratrem apud Comitem. Itaq; cum apud eum estis, excusate meam rusticitatem, quòd tam agrestes & breues literas scripsi: meq; & Vualredum commende. Nomen est Vualredo Matthias von Walrod: sic enim scribitur. habitat in arce Streitten, nò procul à Coburg, milliaribus quinq;. Christus bene fortunet totum negocium. Bene uale. Quæso mi domine Philippe, ut curetis hunc fasciculum literarum mitti Coloniam, ad Cæsarium: & scribatis Cæsario, ut nobis mittat citissim, si quid acceperit responsi.

Reuerendis uiris, eruditione & uirtute præstantibus, D. Iohanni Spangébergio,  
& collegis ministerij in Islebè, amicis suis charissimis,  
S. D.

Reuerendi uiri, & amici charissimi: Optarim ad nos missum esse aliquem ex collegis uestris, cui coràm totam seriem actionum illarum exponere potuissem, de quibus scribitis. Sed ipsa aula nobis testis esse potest, nobis non probantibus, insertum esse articulum de oleo & unctionibus. Et sci-  
mus consecrationes oleorum, quæ extant in libris Episcoporum, impias & magicis similes esse. Idq; semper in deliberationibus à nobis dictum est, & con-  
stanter

stanter dictum est. Illi autem qui articulum de oleo inseruerunt, corrigi hæc dicebant: quia addiderunt, Remotis omnibus superstitionibus. Et in fine discretè dicitur, relictos esse aliquos articulos non conciliatos, de quibus cum episcopis deliberandum sit, si has Ecclesias uelint regere. In his nondum conciliatis articulis numerari necesse est & illas consecrationum & unctionum absurditates. Intelligantur ergo non approbatæ, sed ad illam deliberationem reiectæ. Sed decebat esse magis ingenuam orationem, dicetis. Stylus indicat, non esse illa scripta ab uno. Nos, Deo iuuante, uocem Euangelij incorruptè docebimus. Pagellas uestras uobis remitto. Bene ualete. Die 13 Ianuarij.

Reuerendo uiro, D. Ioanni Spangenbergio, pastori Ecclesiæ Dei in oppido Eisleben, & gubernanti uicinas Ecclesias, amico suo, S. D.

Reuerende uir, & amice charissime. Meministi consolationem, quæ extat in Esaia concionibus, ubi inquit Deus: Ego Ecclesiam condidi, ego gestabo eam etiam in senectæ, & canescentem. Et quo acrior est senectæ infirmitas, eo magis ipsam esse curæ Deo nunc speramus. Talibus cōsolationibus, ut te in hoc tanto dolore erigas, ualde te adhortor. Etsi autem uideo, qui terrores nobis proponantur:  
tamen

tamen spero filium Dei Dominum nostrum Iesum  
Christum nobis adfuturū esse, inuocantibus ipsum,  
& moderatē necessaria facientibus. Vestram delibe-  
rationem cum nostris sententijs congruere iudico,  
qua de re in altera epistola scripsi prolixius. Bene  
& feliciter uale, die 23 Ianuarij.

Reuerendis uiris, D. Ioanni Spangenber-  
gio, gubernanti Ecclesias Dei in comita-  
tu Mansfeldensi, & pastoribus cæte-  
ris, eorum collegis, amicis suis,  
S. D.

Reuerendi uiri, & amici charissimi. Orat filius  
Dei in agone suo, ut æternus pater consensum Ec-  
clesiæ tueatur, ut simus unum in ipso. Nec est irri-  
ta illa filij Dei precatio. Semper erit aliquis coetus,  
custos ueræ doctrinæ cōsentiens. Legi uestram de-  
liberationem, quam iudico & piam esse, & cum no-  
stris Ecclesijs congruere. Etsi autem multa Eccle-  
sijs nostris minantur, & profectò horribilis cru-  
delitas in Sueuia exercetur: tamen nec ueræ doctri-  
næ unquā corruptelas recipiemus, nec uitiosos cul-  
tus approbabitur. In ijs rebus adiaphoris seruitu-  
tem quamlibet tolerabimus. Nec propter leues cau-  
sas occasionem præbendam censemus ijs, qui pelle-  
re pastores conantur. Qua de re cum à multis in-  
terrogati simus, scripsi quid mihi uideatur. Quan-  
quam

quam autem scio quibusdam horridiores sententias magis placere: tamen hæc magna causa est cur seruitutē tōleremus, ne fiat in Ecclesijs solitudo, qualis iam in multis locis est. Ad Rhenum, et in Sueuia, nulli sunt congressus, templa clausa sunt: ne baptismus quidem in templis administratur: pelluntur pastores, aliqui etiam trucidantur, & rapiuntur aliquorum coniuges aut filiae. Nec magistratus ullam opem fert suis pastoribus: quidam etiam gaudēt eos excuti. Cū igitur uideamus quo in periculo sint nō tantum docentes, sed etiam ipsæ Ecclesiæ, hoc est pij coetus: tantisper donec piē possumus, manere apud Ecclesias studeamus: etiamsi tolerāda est aliqua seruitus, quæ tamen sit sine impietate. Oramus autem filium Dei, ut ipse uos gubernet, & pœnas mitiget. non enim humanis consilijs retineri lux Euangelij in genere humano potest: sed Dei opus & beneficium est, tanti boni conseruatio. Ab ipso igitur petimus & expectamus auxilium. Bene ualete: Die 23 Ianuarij.

Reuerendo uiro, D. Christophoro Libyo,  
pastori Ecclesiæ Dei in ueteri arce  
Breni, fratri suo charis-  
simo.

S.D. Reuerende uir, & charissime frater. Adfuit in publica renuntiatione gradus, uir doctus & honestus Erdmanus Copernicus: in qua te quoque adfuisse

adfuiffe optarim. Fuit recitata explicatio dicti E-  
saie: Si peccata uestra erunt ut coccinum, & ut uer-  
miculus. Et dictum, cur uermiculi mentio fiat, &  
qui sit color uermicul: quia coccus uertitur in uer-  
mem, qui est immediata materia sanguinei coloris.  
Peccatum quiescit aliquandiu, postea fit uermis, &  
cruentat nos in poenis. Sed filius Dei detergit cruo-  
rem. Mittam tibi pagellas, cum fuerint editæ. Quæ  
so ut cures mihi pro Ioachimico emi cultros Tan-  
germundenses, non grandiores multo, nec mino-  
res ijs quos antea misisti, & eligitò accuratè fa-  
ctos. Dedi priores partim Camerario, partim do-  
ctori Alberto Bremensi concionatori, partim alijs,  
quibus admodum placuerunt. Bene uale, die prima  
Augusti, 1554.

Cuidam amico, P. M. S. D.

Heri binas literas accepi, ac planè agnosco mul-  
tipliciter uinci nos abs te in hoc officij genere: q̃  
non solum frequētius, sed latiora scribis q̃ nos. De  
nobis ac nostra causa nihil adhuc decretum est. No-  
uæ quotidie deliberationes habentur: Christus fa-  
ciat, ut pariant pacem. Eccius cum suis exhibuit  
nostræ confessionis cōsutationem. hæc nondum pu-  
blicata est: sed audio ex amicis, longum & plenum  
conuicijs ac prorsus contumeliosum scriptum esse.  
N. misit huc cōfessionem impressam typis: dicas sim-  
pliciter

pliciter mente captum esse: de peccato originali, de  
 usu sacramentorum u. teres errores palàm reno-  
 uat: de cæremonijs loquitur barbaricè, ac uult om-  
 nes cæremonias esse abolitas. suam causam de cœ-  
 na uehementer urget. Etiscopos omnes uult dele-  
 tos esse. Mittam exemplar, cùm nactus fuero. Nam  
 id quod habui, apud Principes circumferiur. Mit-  
 to tibi quæstionem de traditionibus, de qua uelim  
 te copiose respondere. Nulla me res magis exercet  
 in omnibus nostris disputationibus, quàm illa quæ  
 uidetur omnium esse leuissîma. Et certè est nimium  
 negocij: tantum sunt laquei conscientiarum in tra-  
 ditionibus: quoquò res accidat, siue cùm obseruan-  
 tur, siue cùm abolentur. Vnam habemus firmam ra-  
 tionem, nimirum de iustificatione: alteram, de liber-  
 tate: quæ si retinenda sit, etiam exterior, multum ha-  
 bet offensionis. Voco autem libertatem talem ob-  
 seruationem, qualem Paulus inter iudæos serua-  
 uit. Digessi uarias traditionum condendarũ cau-  
 sas, ut facilius uidere posses, qua in parte maximè  
 hæream. Videlicet si traditiones fiant sine impia o-  
 pinione, uidentur necessariò seruandæ esse propter  
 ius potestatis, non propter ipsum cultum. Videmus  
 enim uerè dominari Episcopos iure humano. In lo-  
 co de Missa, & in catalago articulorum fidei, ui-  
 deor satis cautus fuisse: in traditionũ materia non-  
 dum mihi satisfeci in hoc scripto, Suspicio de ordi-  
 nibus



nibus Ecclesiasticis etiam magnum certamen excit-  
turos esse aduersarios. Vale feliciter: postridie  
Margarethæ, 1530.

## LIBER SECUNDUS.

SERENISSIMO AC INCLY-  
to Principi, Domino ac D. Henrico octa-  
uo, regi Angliæ, Franciæ & Hybernæ,  
&c. domino, capiti Anglicæ ecclesiæ post  
Christum supremo, Domino suo  
clementissimo, S. D.

**I**NCLYTE ac serenissime Rex. Non  
leui officij ratione adductus sum, ut  
huic Ioanni Stratio, Flandro equiti,  
homini sicundo, & Vlyssæa quadam  
experientia rerum prædito, literas ad R. M. T. da-  
rem. Cum enim mihi & Francisco uicecancellario  
ducis Saxonie Electoris ueteri amicitia coniunctus  
sit, nobisq; perspecta sit eius integritas & fides: cau-  
samq; itineris ad R. M. T. probarem, haud inuitus  
tali amico petenti literas dedi. Eminent enim in he-  
roibus ac sapiētibus principibus bonitas in primis.  
Ideo rogo R. M. T. existimet, me nō impudentia aut  
arrogantia, sed fiducia clementiæ tuæ permotum  
esse, ut hæc scriberē. Hic Stratius natus equestri  
loco in Flandria, primum eloquentiæ & studio iu-

ris operam dedit: postea peruagatus, partim militiæ, partim literarũ cupidine, Galliam & Italiam, tandem se ad principes Poloniæ & Hungariæ contulit, qui eius opera in legationibus & multis grauissimis causis usi sunt. Magna in eo uis ingenij, & abhorrens ab ignauia. Ideo maluit hoc genus uitæ durum, experiensq; laborum amplecti, quàm domi in ocio uiuere. In Italia & alibi potentes Episcopi amplas ei facultates obtulerunt: sed pontificum tyrannides detestatur, ut se cum illis coniungere nolit. Quare incensus admiratione uirtutis tuæ potissimum, se ad R. M. T. conferre uoluit. Sic instructus est eloquentia, linguarũ multarũ cognitione, experientia rerum, dexteritate ingenij, fide, fortitudine animi, ut in legationibus, in togata administratione, & multis rebus existimem cum usui esse posse. Et operam R. M. T. offert, ac fidem promittit. Cum autem R. M. T. bonis ingenijs maximè faueat, rogo ut hunc Stratium clementer complectatur. Semper magnis regibus honestum fuit, non modò ciues doctos & peritos, sed etiam hospites experientia magna præditos complecti: ut apud Ptolemæum fuit Demetrius Peripateticus, apud Scipionem Polybius. Quare R. M. T. hunc Stratium summa cum reuerentia commendo, ac rogo ut meas literas scriptas fiducia clementiæ tuæ, boni consulat R. M. T. Deus seruet R. M. T. incolumem, & florentem

tem quàm diutissimè, ut gloriam ornet Domini nostri Iesu Christi. Die ultima Maij, anno 1539.

Inclyto & serenissimo regi Angliæ,  
Philippus Melanchthon

S. D.

Inclyte & serenissime Rex. Ingens decus est R. M. T. quòd his difficilimis temporibus, unus inter reges & intelligis & foues studia literarum, & ueræ Philosophiæ: quæ cum sint ornamentum uitæ humanæ præcipuum, maximè tuendum est sapientibus & magnis gubernatoribus Reipublicæ. Itaq; hæc diligentia magnam peperit laudem multis summis regibus, Alcxandro, Ptolemæo Philadelpho, Augusto, M. Antonio: quibus principibus uirtute & sapientia præstantibus, annnumerari etiam R. M. T. admodum gloriosum est. Porro inter Philosophiæ partes plenæ eruditionis est illa, quæ luminum & speculorum uarietatem inquirat, quæ uocatur Optica. Quæ enim res in natura admirabilior est, quàm lumen? & mens humana quid est nisi speculum, in quo lucet imago diuinitatis? Amanda igitur est doctrina speculorum. in qua cum excellat Michael ciuis Lipsicus in Misnia, constituit adire R. M. T. quòd te amare ingeniorum monumenta intelligit. Cùm autem de sua fide & probitate testimonium à me flagitaret, ut aditus ei præberetur

beretur ad R. M. T. dedi ei hanc epistolam: ac affirmo, uirum probum & honestum: & nō solum propter artem in qua excellit, sed etiam propter optimos mores, dignum beneuolentia bonorum. Me de ratione luminum in Philosophia multa docuit. Ostendet autem R. M. T. mirifica quædam opera, digna consideratione ingeniorum. Quod si hoc specimen R. M. T. probabitur, ut non dubito, pollicetur se maiora opera huius generis effecturum esse. Oro igitur R. M. T. per dignitatem Philosophiæ, et tuum erga ipsam amorem, ut non grauatim admittas hunc Michaelem ad ostendenda sua opera, cum sit & artifex, & uir bonus & honestus. Bene & feliciter ualeat R. M. T. Datæ Lipsiæ, die 20 Februarij, anno 1540.

Langæus episcopus Parisiensis, Philippo Melanchthoni S. D.

Barnabas Voræus, qui nunc ad te cum literis et mandatis regijs reuertitur, hic est de rebus omnibus, quæ ad susceptam à te pacificationem attinēt, amplissimè edoctus: mihi ut superuacaneum uideatur, aliquid scribere. Itaque te adhortor, atque per Christum obtestor, occasionem rei gerendæ inter mortales omnium pulcherrimæ ne differas.

Vale, ex oppido N. die 16. Iunij,

1535.

Reginæ

Reginæ Nauarræ Philippus Melan-  
chthon S. D.

Et uideor impudenter facere, quòd homo infimæ sortis, & ignotus, C. T. quenquam ausim commendare: tamen fama tuæ eximiæ pietatis, quæ totum terrarum orbem peruagata est, facit, ut hoc officium homini bono & docto petenti duxerim non esse denegandum. Non enim dubitabam, quin C. T. tanta prædita pietate, meum hoc officium boni consultura esset: cum Christianæ charitati, præserim in isto summo loco nihil magis conueniat, quàm adflicti studiosorum miserijs, eosq; respicere atq; subleuare: præsertim cum recta studia non possint sine summe æmuli ordinum ope ac liberalitate conseruari. Exposuit autem mihi hic iuuenis Claudius Baudellus Narbonensis è Nemauso, cum uniuersum cursum studiorum, tum iniquitatem fortunæ: quæ, nisi C. T. ei opem tulerit, ab optimis artibus ad alias quasdam operas, à quibus & natura & uoluntate abhorret, abstrahi se queritur. Etenim cum unicè cupiat eloquentiæ & sacrarum literarum studia, in quæ quadam cum spe ingressus est, absoluerè, paupertas ei quasi manus iniicit, eumq; à pulcherrimo instituto auocat. Sed prius experiri omnia decreuit, quàm hæc studia abijciat. Existimat autem, studiosis uniuersis Gallici nominis, in T. C. uelut in quodam numine, plurimum esse spei positum. Ideo

ad T. C. confugere decreuit, & orat, ut sua studia liberalitate tua iuuētur. Habet C. T. quid petat. Nec existimo pluribus uerbis in hac tanta pietate opus esse: nec me decet garrulitas. Hoc tantum adscribendum duxi, hoc ingenium uideri mihi in primis dignum quod foueatur, non solum quia uirtutis studia tam uehementer amat: sed etiam quia tantos fecit progressus, ut sit indignum, cum quasi noui operis nuntiatione ab hoc instituto abduci. In oratione eius Latina non solum mundicies est, & elegantia singularis, sed etiam quædam nō insuauis copia. Et mores sunt modestissimi. Hæc autem fuerit eleemosyna uerè regia, ad Christianæ Ecclesiæ utilitatem talia ingenia fouere, atque alere. Sanctissimus propheta Esaias, laudans hoc genus eleemosynarum, inquit: Reginas futuras nutrices studiosorum Euangelij. In quo munere te iamdudum per totum orbem terrarum collocat, & recenset ad posteros uniuersa Ecclesia. Etenim cum cæteras uirtutes uera Ecclesia summo semper studio colit, tum præcipuè gratitudinem. Postremò peto, ut has meas litteras C. T. boni consulat: ac me quoq; inter studiosos bonarum artium commendatum habeat. Bene & feliciter ualeat C. T. Anno Domini

1534. idibus Iunij.

D. Sturmio S. D.

Voræus ipse testis erit, summam me contentionem



nem adhibuisse, ut mihi Princeps concederet ab eun-  
di potestatem. Verum impetrare non potui: & cau-  
 sas copiose D. Langæo perscripsi. Præcipua est,  
 quòd metuunt præiudicia: & me putant aliquanto  
 minus uehementem aut pertinacem esse, quàm sunt  
 alij. Et profectò sic est. Non puto cõtendendum es-  
 se, nisi de magnis & necessarijs rebus. Non uolo tue-  
 ri omnes ænigibologías & ψυχολογίας. Vtina mihi  
 liceat doctis liberè loqui de magnis rebus. Nunc  
 tem est democratia aut tyrannis indoctorum in u-  
 traq; parte, qui rixantur de nonnullis leuiculis re-  
bus, & interdum suis affectibus seruiunt. Vidisti Sa-  
 doleti scriptum, qui cum in posteriore parte eadem  
 dicat quæ nos defendimus, iniuste facit, quòd adeò  
hostiliter in nos inuehitur. In priore parte enarra-  
 tionis mihi pleraq; satis probantur: sed, ut uides,  
 currit interdum εν τὸς αὐτὸς ὁ δῶς. Budæi etiam Transitũ  
 uidi. Neq; me hæc terrent, quo minus istuc iter su-  
 scipiam. Imò incendunt potius, ut ipsis aperiam pe-  
 nitus animum: & uicissim audiam, quid in commu-  
 ne consulant ipsi. Ego quidem à doctis & bonis in  
Ecclesia nunquam dissentiam. Sed pro tua excel-  
 lenti doctrina uides, uetera quædã errata opus ha-  
 bere emendatione. Nec dissimulo, euectos etiam es-  
 se nostros interdum ὑπὲρ τὰ ἰσχυρά μιν. Et multa  
 mitigauit. Itaq; si quid opis possumus adferre Eccle-  
 siæ, annitamur omnibus uiribus: atq; hoc studiũ nul-

la mihi eripiet hominum iniquitas. Magno in periculo propter hanc moderationem uersor: ut solent in ciuilibus discordijs moderati ciues utrinq; malè accipi. Planeq; fatum mihi Theramenis impendere uidetur. Credo enim Xenophonti, hunc fuisse bonū uirū: Lysiae nō credo, qui eum uituperat. Sed me uoluntate rectæ cōscientiæ sustento: & intueſ in uetera et honesta exempla, equiore animo cōmunē fortunam fero. Cetera audies ex Voreo. Bene uale.

Inclyto & potentissimo Principi ac Domino D. Gostauo regi Suetiæ & Gotthorum, domino suo clementissimo,  
Phil. Mel. S. D.

Inclyte & potentissime rex. Cum sciam imperia & politias in terris munus esse Dei, æterni conditoris nostri: non fucatis officijs, sed uera reuerētia Regium nomen & summos uite gradus ueneror: & sicut multi norunt, hortator sum iuuentuti, ut ad hanc uirtutem animos adsuefaciant. Nam ordo pulcherrimus & à Deo institutus accendere animos, et studium communis tranquillitatis nos mouere debet, ut suum cuiq; gradum in hac societate reuerenter tribuamus. Hanc uerò doctrinam, quæ de omnibus honestis officijs docet homines, tueri, maximè ad regium munus pertinere, R. M. V. optimè intelligit. Ideo reuerenter oro, ut me, & similiter mei ordinis homines clementer audiat. Quod cum sperarem,

rem, dedi huic adolescenti nobili Henrico de Lufſ, nato in familia equeſtri gentis Pomeraniae, literas ad R. M. V. Cupiebat enim afferre testimonium de ſuis ſtudijs & moribus. Scio autem hunc Henricũ adeo honeſtè in Academia noſtra uixiſſe, ut eius placidi et modeſti mores reliquæ iuuenti bono exẽplo eſſent. & cum in ciuili doctrina, tum in Eccleſiaſtica plurimum proſecit: qua eruditione ſe inſtruxit, ut & priuatim mores ſuos regere, & utiliter Reipublicæ ſeruire poſſit. His uirtutibus fauere R. M. V. non dubito. Quare ut hunc Henricum clementer in aulam ſuam admittat oro: et hominem in familia honeſta natum, ad uirtutem incitatũ, excultum doctrina, & ornatum ſacundia, non negligat. Nam maximè ſalutare eſt generi humano, & in regibus pars iuſticiæ diſtributiue præcipua, quam Plato inquit plurimũ boni impertire uniuerſe hominum uitæ: bonas, honeſtas, moderatas, rectas, ingenuas naturas, & doctrina honeſta confirmatas, deligere ad rerum adminiſtrationem. Talium moderatio, quia non priuatæ cupiditati ſeruiat, ſed dirigat ad rerũ bonarũ conſeruationẽ, in tantis uitæ tumultib. multa mitigat aulæ R. M. V. Opto igitur toto animo, ut Deus æternus, qui dat ſalutem Regibus, ut inquit Pſalmus, & aulæ R. M. V. & alijs det tales ac foelices miniſtros. Certè ingenium bonum in Henrico eſſe, R. M. V. comperiet. Poſtre-

mo reuerenter me & hæc nostra studia literarum  
 R. M. V. commendo. Num cum imperia ad agnitio-  
 nem Dei illustrandam referenda sint: certè inter  
 munera regia est, doctrinæ studiosos tueri, e-  
 isq; benefacere. Deus æternus pater Domini nostri  
 Iesu Christi, gubernet & seruet R. M. V. incolumè,  
 ac florètè. Datæ 13 die Februarij: quo ante annos  
 1703 Machabæus magno prælio uicit Nicanorem,  
 qui templo Dei excidium minatus fuerat. Vt igitur  
 tunc mirabiliter defendit Ecclesiam suam Deus æ-  
 ternus pater Domini nostri Iesu Christi, ita & nūc  
 reliquias suas ut protegat oremus.

Illustrissimo Principi & domino, domi-  
 no Ioanni Friderico, Stettini & Pomera-  
 niæ duci, &c. Rugiæ principi, & domi-  
 no Caycorum, &c. domino suo cle-  
 mentissimo S. D.

Illustrissime Princeps: Non dubito celsitudinem  
 tuam in his ferijs multa cogitasse de mirando fœde  
 re, quod fecit Deus in genere humano, cū filiū τὸν  
 λόγον misit, ut massam generis nostri indueret.  
 Sunt omnino signa prouidentiae diuinæ multa: sed  
 nullum est illustrius testimonium amoris diuini er-  
 ga nos, hac miranda copulatione diuinæ & huma-  
 næ naturæ: ac necessariū officium est de causis piè  
 & reuerenter cogitare, de quibus non dubito te au-  
 dire

dire præceptoris cōmonefactiones, sumptas ex  
 ris doctrinæ diuinæ fontibus. Mitto tamen & ego  
 pagellas eadem de re scriptas. Et quia rectè institu-  
 tum est, ut annum inchoemus ab hac cōmemoratio-  
 ne præcipui operis diuini: nos quoq; cogitantes de  
 hoc testimonio diuini amoris erga nos, ipsum filiū  
 Dei custodē Ecclesiæ precemur, ut faciat, ut sit se-  
 lix anni curriculum nobis omnibus. Oro igitur i-  
 psum, ut et hoc anno Celsitudinem tuā & illustrissi-  
 mos parentes, fratres & sorores seruet incolumes.  
 Munus etiā tuū fuit eo mihi gratius, quia in anni i-  
 nitio exhibitū est: sed symbolo significari noua cer-  
 tamina iudico, in quibus nobis opus erit illa anguiū  
 circūspectiōe, de qua loquitur filius Dei, cū iubet  
 prudentiam serpentum in tegendo capite imitari.  
 De studijs, ea quæ nuper ad te scripsi, iudicio præ-  
 ceptoris permitto. Sed hortari tamen non desinam,  
 ut ad lectiōē doctrinæ diuinæ adiungas historias:  
 quod & auus tuus maternus faciebat. Et fuerunt  
 apud Palatinum Philippum, abauum tuum, princi-  
 pem sapientia & uirtute excellentem, eodem tēpo-  
 re uiri docti in lingua Latina, Græca, & in doctri-  
 nis quæ utraq; lingua traditæ sunt, Rodolfus Agri-  
 cola, Ioannes Capnio: & episcopus Vangionū, uir  
 nobilis, cancellarius, Ioannes Dalburgius. Hos cū  
 sæpe audiret Princeps ordine recitantes sericim re-  
 gnorum Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Ro-

manorum

manorum res gestas & tempora distribuentes: petiuit sibi ab eis componi Epitomen Monarchiarũ, & Mundi historiam ordine distribui. Id opus ex Græcis & Latinis scriptoribus collectum, gratissimum fuit abauo tuo. Simile opus in Chronico Carionis institutum est: sed uellem Carionis libellum aliquanto locupletiore esse. Id fieri à præceptore tuo optimè posset, aut certè à Iacobo Rungio, cuius oratio refert elegantiam & nitorem Iulij Caesaris. Bene & feliciter uale, illustrissime Princeps. Calendis Ianuarij, Anno 1555.

Francisco Vinariensi, Philippus Melanchthon S. D.

Iucundissima mihi fuit significatio gratitudinis tue, quam in proximis literis ad me scripsisti. Et si enim mea erga te officia minora sunt mea uoluntate (nam & amo ingenium tuum, et ornare semper studeo) tamen hunc animum tibi probari gaudeo. Ac cætera quidem beneficia leuia & uulgaria fuerunt: sed si sermonũ, consiliorum & sententiæ communicationem de rebus maximis, de religionibus, Rebus pub. licis, denique de omnibus uitæ officijs magni æstimas, fateor me tuo iudicio delectari. Nã & significatio fuit amoris summi ac ueri, consuetudo illa. Et existimo te ex ijs sermonibus et actionibus, cum intentionis uitæ meæ totius & negotiorum



rum omnium spectator esses, non minus uera doctrinæ hausisse, quàm ex illis ingentibus bibliothecis Iurisperitorum: præsertim cum me non solum libri in umbra erudierint, sed usus etiam: qui interfuit maximis rebus, quæ in meam ætatem inciderunt in Germania: et cum ingeniosissimis hominibus uersati, cum insidiosissimis confectati sumus. quoties ueteres res gestas et euentus ex omni antiquitate collectos repetiuimus, non solum ut diuinaremus de exitu, sed etiã ut remedia cõquireremus? Quàm multa de cæteris Reipublicæ partibus disputauimus? Quàm multa præsagia nostra meministi? Ac spero te ad omnes uitæ partes instructiorem esse factum ijs nostris sermonibus: qui non solum ueras de religione, deq; artibus sententias audiueris, sed etiam formam atq; edificiũ Reipub. me monstrante contemplatus sis: quæ principum uirorum sint uoluntates, quæ consilia, quæ in maximis rebus gubernandis moderatio adhibenda sit, quò præcipuè bonis uiris omnia consilia dirigenda sint. In hac tanta philosophia etsi me meo pede metior, et intelligo quãtum ab huius generis artificio absim: tamen tantum uersari me \* tu ipse testis fuisti mihi, ut ipse sapiens historicus ait, τὰ παλαιὰ καὶ ὁμαλὰ. Quare lætus fui, te hanc consuetudinem nostram magni facere. Spero autem cum in cæteris rebus, tum in hoc genere cõstare rationem officiorum,



rum, quæ in amicitia requiri debeat: teq; perspe-  
 xisse singularem meum erga te amorem ac fidem.  
 Qua de re interdum mecum exposcunt nostri li-  
 belli, quos in aulam emisimus. Etsi nos quidem non  
 authores huius consilij sumus, sed principi parui-  
 mus: sæpe tamen mihi peccasse uideor, qui nō fui in  
 te retinendo in schola pertinacior. Quo me animo  
 esse putas, cū perspicio in quas te procellas, in  
 quæ pericula coniecerimus? Etsi enim fortasse de-  
 siderio tui sit, ut illa me moueāt uehementius: tamē  
 non difficile est iudicare, quantum præsertim in no-  
 stra Repub. sit periculi. Ego uerò cum animo intue-  
 or nostri principis aulæ σύγχουσιρ, prouinciam ma-  
 le affectam, ualde perturbor. Tum uerò toto corpo-  
 re cohorresco, cum ea colligo, quæ impendere ui-  
 dentur. Habes principem satis magno & honesto  
 ingenio præditum, sed sæpè morose & suspiciose iu-  
 dicantem, καὶ ἀνδρῶς reprehendētem, καὶ πράγμα-  
 τα ἔλκοντα ἐφ' αὐτὸν ὥσπερ ἡ κακία νέφη. Fata  
 etiam me terrent, quæ denunciāt μεταβολήν τινα.  
 Sed orādus est Deus, ut eum gubernet & defendat.  
 Nam me ista cogitantem sæpe, delectant diuina o-  
 racula, quæ testantur principes Deo curæ esse: si-  
 cut ait David, Qui das salutem regibus. Desino  
 itaq; de principe dicere, quo tamen nihil habet au-  
 li humanius aut melius. Reliqui omnes inuident, et  
 insidiantur. Nosti illud uetus: Vigilandum est, mul-  
 tū

tæ insidiæ sunt bonis. Quoties in curiam ingrede-  
 ris, & illum confessum uides, qui sanè esse debet, u-  
 bi de summis rebus deliberationes habentur, con-  
 sidera quàm multos numerare possis, qui non sint  
 in te hostili animo. Quæ autem possunt esse ueræ  
 deliberationes cum socijs aut stultis, aut infidis? Scis  
 enim quid requirat Diomedes, οὐδ' ἢ δῶω ὀπ' ἄναι-  
 ρω. Longum fuerit, si uelim persequi omnia. Et hæc  
 tempora, propter religionis controuersias, multo  
 plus habent maximorum periculorum: quæ cum ar-  
 te mitiganda essent, multorum consilijs fiunt atro-  
 ciora. Vidisti enim nuper in conuentu nostrorum,  
 quò spectent cæterorum hominum uoluntates. Iam  
 isto loco decet te non tantum tibi cōsulere, sed Eccle-  
 siæ, Reipub. & patriæ. Sed quid potes, ubi non est  
 locus moderatis consilijs? Et quidem Ecclesia, ut æ-  
 gra corpora, molliter fouenda erat mitissimis re-  
 medijs, non enim patitur asperiora illa φάρμακα.  
 Hæc pericula omnia cum colligo, quo me animo es-  
 se arbitraris? Si te à portu soluere \* à seuißimis  
 tempestatib. uidißem, profectò retraxißem te omni-  
 bus uiribus. Itaque reprehendo meam facilitatem,  
 quòd tibi, cum illos fluctus Reipub. aggressus es,  
 non obstiti uehemētius. Quod igitur reliquum est,  
 oro Christum, ut & Rempub. defendat: & mentem  
 tuam regat, ut Reipub. fœliciter consulas, ut te ser-  
 uet incolumem. Te quoq; adhortor, ut Deo te com-

mendes, qui cū imperia cōstituerit ipse, nō est de-  
 futurus gubernatorib. Rerum publicarū, si ab ipso  
 opem implorent. Hac me cōsolatione, unā cum sum-  
 mis periculis sæpe sustētaui. Hac scripsi ad te pro-  
 lixius, quadam adductus amoris abundātia, ut scias  
 mihi gratam fuisse commemorationem uoluntatis  
 tuæ, & haberes uicissim meæ erga te beneuolentiæ  
 pignus. Scio te natura ad humanitatem institutum,  
 & optima disciplina assuefactum: intelligere quo-  
 que, amicitias uirtutis causa constanter colēdas es-  
 se. Quare nō dubito te beneuolentiā erga me cōser-  
 uaturū esse. Ego uicissim amorē meū erga te sum-  
 ma fide cōseruabo. Atq; utinam amicitia nostra a-  
 liquid opis possit Reipub. adferre. Veni Vuiteber-  
 gam, Lutheri literis accersitus. Nondum ulla de re  
 Britanni cum nostris deliberare cœperunt. Heri mi-  
 hi narrarunt, se ordine de singulis articulis doctri-  
 næ acturos esse: & ualde contendunt, ne discedam.  
 Nimum amant λεπτολογίας. Lutherus amāter nos  
 complectitur, & eorum comitate adhuc quidem de-  
 lectatur. Quæso te significa mihi, quem teneas lo-  
 cum, & qualia uideantur esse auspicia huius auli-  
 ci curriculum: & asperge aliquid de Rep. Bene uale.

D. Pontano Philippus Melan-  
 chthon S. D.

Etsi spero te ad nos breui rediturum esse: tamen  
 cum

zum mihi nuncius oblatuſ eſſet, duxi mei officij eſſe  
ſe, ut aliquid ad te ſcriberem, ut extaret apud te ali-  
quod ſpecimen ſtudiorum meorum. Dei beneficio  
 bene ualemus omnes, et rogamus Deum, ut tu quo-  
 que ſaluſ et incolumiſ domum redeaſ. Nihil no-  
 biſ tua ſalute priuſ aut gratiuſ eſſe poteſt. Noui ni-  
 hil habeo, niſi quòd audio hic recudi hìſtoriam Pa-  
 pe, qua Papa à Gallo exceptuſ eſt: et aiunt D. Mar-  
 tinum addere quaſdam annotationeſ. Chriſtuſ ſer-  
 uet te, optime et chariſſime pater. Bene uale.

Philippo Glueſpieſ Philippuſ Me-  
 lanchthon S. D.

Vtinam aliquam poſſem aſſerre leuationē mor-  
 rori uestro. Nam exiſtimo te, cum morte honeſtiſſi-  
 mæ matronæ ſocruſ tuæ, tum uerò non minus eſſe  
 perturbatum luctu uiri optimi. Sed notæ ſunt uo-  
 biſ conſolationeſ propoſitæ Chriſtianiſ. Et quan-  
 quam lugere piū eſt: tamē et illud præcipit Deus,  
 ut doloremoderemur. Itaq; te quidem, mi Philip-  
 pe, oro, ut animum erigaſ, et dolori reſiſtaſ. quòd  
 ex eo etiam magiſ facere debebiſ, ut ſorori dolore,  
 quibuſ poteris modiſ leueſ. Chriſtuſ adſit uobiſ, et  
 uoſ uerbo et ſpiritu ſuo conſoletur: quòd proſectò  
 faciet, ſi animoſ uestroſ ad iſtiuſ uerbum  
 referetiſ, Bene ualete.

m 2 Reue-

Reuerendo uiro, egregia pietate & doctrina prædito, D. magistro Ioanni Snegio, pastori Ecclesiæ Heidenfis in  
Ditmarfia, amico suo,

S. D.

Reuerende domine Pastor. Ex literis ad magistrum Ioannem Turstenium missis intelleximus, eum ad docendam Ecclesiam istuc accersi. Cum autem Turstenius promiserit se seruiturum Ecclesiæ in hac urbe, & studia eius iuuentur stipendio à Duce Saxonie: nos comperimus, Turstenium non posse hoc tempore hinc migrare. Quia uerò cupiebamus Ecclesiæ uestre consulere hoc nostro iudicio, fuimus hortatores magistro Ioāni Anglo, ut ad uos proficisceretur. Vir est eruditus hic magister Ioannes Angelus, & rectè sentiens de doctrina Ecclesiæ Christi, nec ullis prauis opinionibus infectus. Et sciimus eum magna ingenij dexteritate præditū esse, quam ornat honestissimis moribus. & cum sit pacis publicæ studiosissimus, erit in collegarum concordia diligens. Propter has egregias uirtutes, speramus eum utiliter seruiturum Ecclesiæ Dei, ubicunq; concionabitur. Hoc ipso tempore in hac uicina inuitabatur ad cuiusdam Ecclesiæ gubernationem. Sed tranquillitatis causa ad uos proficisci maluit. Pronunciationi aliquid condonabitis initio, quam tamē cōsuetudo cum uestris hominibus emendabit.

dabit. Nostro et N. cōsilio perpulſus eſt, ut hoc iter ſuſciperet. Et nos bono & ſimplci ſtudio propter utilitatem ueſtræ Eccleſiæ ad hoc iter eum hortati ſumus. Anglus eſt, ſed inter Germanos diu ui-  
xit, & iuſticia & fide & constantia in omni offi-  
cio tanta præditus, ut dignus ſit, quem omnes boni  
ament & adiuuent. Quare te etiam atq; etiam o-  
ramus propter Chriſtum filium Dei, ut hunc hoſpi-  
tem amanter complecti, & tuis ciuibus commēda-  
re uelis, ut ei functionem Eccleſiaſticam commen-  
dent. Plurimum prodeſt in Eccleſijs, concordēs eſ-  
ſe collegas. Id cū optimè intelligat hic Ioannes,  
& cū ipſe natura ſit amans pacis, ſummo ſtudio  
tecum communem tranquillitatem tuebitur. Maxi-  
mè igitur tibi optandum eſt, ut talem collegam ha-  
beas. Bene uale: die 18 Septembris, 1543.

D. Valentino paſtori Eccleſiæ Dei in Do-  
bell, Philippus Melanchthon

S. D.

Venerande uir: Deum æternum patrem Domi-  
ni noſtri Ieſu Chriſti, conditorem generis humani  
& Eccleſiæ ſuæ, oro, ut idoneos miniſtros in meſ-  
ſem ſuam extrudat: ſicut nos petere filius Dei iuſ-  
ſit. Nos etiam conſeramus cōſilia in quærendis ido-  
neis uiris, qui & doctrinam rectè teneant, & mo-  
deſti ſint. Quare cū ad me ſcripſiſſet uir ueneran-  
dus



'dus pastor Ecclesiæ Dei in oppido Oschitz, in Ec-  
 clesia tua diaconum desiderari: ac petiuiſſet indica-  
 ri talem uirum, cuius eruditionem et mores proba-  
 rem: miſi ad uos hunc Philippũ Salzungensem, au-  
 ditorem noſtrum, quem ſape audiui in ſcholis. Do-  
 ctrinam Eccleſiæ rectè didicit, & mores eius ſunt  
 modeſti. Sed tamen ueſtro iudicio & arbitrio de eo  
 ſtatuetis. Nam ego nõ plus mihi ſumo quàm decet.  
 Tantum indicare aliquos rogatus ſoleo, & addere  
 teſtimonia. Ac Deum oro, ut ubiq; Eccleſias prote-  
 gat, ſeruet ac regat. Bene uale, Anno 1547.

Viro optimo ex equeſtri ordine, D. Ioan-  
 ni Iordano Hertzheimero, in aula princi-  
 pis Moguntini degenti, patrono ſuo,  
 Philippus Melanchthon  
 S. D.

Non exiſtimo parum uideri gratum aut memo-  
 rem, qui ſerò gratias agit: cum in animis perpetua  
 gratitudo eſſe debeat: tametiſi mox decreueram re-  
 ſcribere, poſtquam accepi unà cum tuis literis mu-  
 nus illuſtriſſimi Principis. Sed fortè accidit, ut hic  
 meus nuncius tunc, ignorante me, nescio quò pro-  
 ſectus ſit. Itaque primùm hoc te oro propter tuam  
 humanitatem, ut hanc meam moram boni conſulas:  
 deinde, ut eam apud illuſtriſſimum Principem ex-  
 cuſes. Valde enim præſtare cupio, ne me hominem  
 ingratum

ingratum esse iudicet. Quanquam enim libellum non nisi hoc consilio, ut flagitarem *αὐτὶς ἄλογος*: tamen hoc nomine præcipuè mihi gratum est Principis munus, quòd inde cōiecturam facio, neq; eum hostili aduersus me animo esse: neq; ei ualde inscriptionem, aut illam meam in Præfatione commemorationem, in qua studium pacis in eo prædico, displicuisse. Meministi autem me tibi permittere iudicium, utrum putares libellum exhibendum esse. Nunc postquam beneficio tuo ad Principem peruenit, peto abs te, ut inchoatum beneficiū perficias: ac Principi illustrissimo meis uerbis reuerenter agas gratias, primum quòd meum officium nō sit aspernatus: deinde etiam pro amplissimo munere mihi misso, quod quidem ego ita accipio, tanquam singularis erga me beneuolentiæ ipsius testimonium. Utinam uerò & scriptū ipsum sapientissimo Principi placeat, aut certè uoluntas mea. nam res ipsæ non sunt perpolitæ, & pro dignitate satis ornatae. Etsi hoc spero me consecuturum esse, ut causam ad pietatem maximè necessariam melius intellecturi sint lectores. Hoc enim profectò egi, ut ambigentes ac dubitantes animos sanarem, non ut accenderem ac magis inflammarem discordias. Vetus hæc Ecclesiæ consuetudo est, subicere scripta iudicio Episcoporum. Neque ego quicquam edidi unquam, de quo non uoluerim permittere iudiciū doctis ac bo-

nis. Nullius uerò iudicium malim subire, quàm tui Principis, cuius prudentia in omni genere perspecta est uniuerse Germaniæ. Sed tristi ac sæuuo quodam temporum fato accidit, ut criticos habeamus non ipsos Episcopos, sed alios quosdam ex uulgo homines indoctos, stultos, crudeles, qui religiones omnes suauiter irrident: eamq; ob causam magna ui obsistunt, ne perferantur atq; cognoscantur ea quæ diuinitus tradita sunt de religione. Vtinam remotis illis pestibus, Principes ipsi iudicium de nobis facerent. Sed omitto in præsentia hanc querelam. Tuum iudicium expecto de meo scripto. Spero te interim aliquādo inspexisse. Mitto tibi Lutheri argumenta in Psalmos, quæ spero tibi summæ uoluptati futura esse. Nullus enim extat ullius ætatis quamlibet magnus commentarius, qui plus lucis afferat Psalmis. Et pro talibus beneficijs, quæ reddatur auctori gratia ab his qui non desinunt Principes ad sæuitiam hortari, non ignoras. Sed ferendum est, et sperandū, ut ille sapientissimus rex apud Pœtam inquit, οἰσίορ κ' ἐλπισίορ. De Pomerani scripto nimis acerbè iudicant, qui interpretantur eum abolere baptismum. Cùm autem constet ex alijs ipsius libris, et perpetua consuetudine, nihil eum de baptismo alienū docere à pietate, aut communi Ecclesiæ consuetudine: inciuile est, exagitare unum atq; alterum uerbum obscure scriptū.

Pollicetur

*Pollicetur tamen se uelle huic offensionī mederi in altera editione, quam nunc adornat, & tollere uerba quæ aliquid uisa sunt habere incommodi. Ego ut eius sententiā penitus cognoscerem, quæstiones propemodum ut sit in foro ei præscripsi: ad quas difertè respondit. Bene uale, & rescribe. Pridie Epiphaniæ, Anno 1533.*

**Leonhardo N. consiliario ducis Bauariæ, Philippus Melanchthon**  
S. D.

*Et si non dubitabam, uir clarissime, quin cū ad excellentem sapientiā & doctrinā adiunxisses summā humanitatem, meas literas non grauatim accepturus esses: tamen in tantis occupationibus non existimabam te ipsum rescripturum esse: præsertim cum meæ literæ uerecundiores essent, quā ut id officium flagitare auderent. Cū igitur opinionem meam uiceris, facile perspicio non solum humanitatem tuam, sed etiam singularem quandam erga me beneuolentiam. Itaq; literæ tuæ mihi gratissimæ fuerunt, in quibus cū iudiciū de studijs Philosophiæ, tum optimā uoluntatem de mitigandis dissidijs Ecclesiasticis coniunxisti: quibus de rebus ad me non solum pro tuā excellenti prudentia grauissimè, sed etiam ornatè scripsisti. Dicam enim uerè quod sentio. Fuit hoc nomine iucun-*  
m s dior

dior epistola tua, quòd animaduerti literas abs te ex umbra & palestra in mediam Reipub. lucem educi, easq; ad administrationem Reipublicæ adhiberi, quod nō solum tibi, sed ipsis literis gloriosum est. Responderem autem cū ad reliquas epistole tue partes copiosius, tum uerò præcipuè de Aristotele, nisi habenda mihi esset ratio tuarum occupationum: & erit huic argumēto aptior locus in publico scripto. Verè enim iudicas plurimū interesse Reipublicæ, ut Aristoteles conseruetur in manibus discipulorum. Nam profectò sine hoc authore, non solum retineri pura Philosophia, sed ne quidem dicendi aut discendi ratio iusta poterit. Pertinet autem etiam ad uestrum ordinem, prouidere ut simplex et utilis discendi ratio cōseruetur. Quòd uerò non desinis me ad illustrandum Aristotelem hortari: etsi antea scripsi me non satis ad rem tantam instructum esse, & impedire quosdam, molientes hoc opus, perturbatione temporum: tamen ut intelligas me uoluntate atq; animo non abhorrere ab hoc studio, edam auspicio nominis diuini repurgatum Quintum Ethicorum, in quo uidebis quantum habitura sit res difficultatis, si quis uelit lumē adferre exilibus Aristotelis sententijs, easq; ad usum in una Republica transferre. Audi enim quid mihi acciderit. Consilium Aristotelis de distributiva Iusticia nunquam intellexi: ac multa mihi obstrepant,

strepebant, donec totum illum locum animaduerti ex quinto de Legibus Platonis sumptum esse.

Hic primum uidi, quid spectauerit Aristoteles: qui quidem solet lectissimas sententias ex Platone decerpere, & in methodum conferre. Nam cum alij ineptè hunc locum de poenis intellexerint, hic longè aliud agit. Omnia personarum discrimina in uita publica et priuata, in imperijs, in magistratibus legendis, in familijs, cōstitui uult geometrica proportionem, ut efficiatur inter tyrannidem & democritiā salutaris generi humano mediocritas: hoc est, ut plurimum ualeat optimorum autoritas. Hanc mediocritatem utinam synodus in Ecclesia efficere possit, ut uidelicet sapientum & bonorum consilio & uulgi temeritas & aliorum crudelitas coherceretur. Sed quò delabor, uelut oblitus institutæ breuitatis? Etsi adscripsi liberè, ac tanquam familiariter tecum confabulans: quòd statuebam, tibi homini doctissimo non ingratham esse hanc ex schola sumptā orationē. Cum autē intelligas, horiō studiorum conseruationem eos qui ad gubernacula sedent in Republica complecti debere: te oro, & propter ipsum decus literarum, & propter Reipublicæ salutem, ut tua consilia, tuam authoritatem ad hoc conferas, ut studijs tranquillitas moderatis consilijs restituatur. Qua in re præclarè de uniuersa Ecclesia, deq; omni posteritate mereberis. Est  
etiam

etiam magno uiro digna uirtus, homines doctos periculo liberare : qui cum cœlestia dona conseruant in terris, sintq; ( ut ait Plato ) τῶν θεῶν ἐπιμελούμενοι, rectè existimantur Deo curæ esse. Bene uale.

Viro optimo D. Ioanni Reineck, cui  
Mansfeldensi, patrono suo, Philip-  
pus Melanchthon S. D.

Cum uos propter eximiam uirtutem uestram plerique hic amemus plurimum, magnum dolorem concepimus ex interitu honestissimæ matronæ coniugis uestræ : præsertim cum cogitaremus eam tali tempore extinctam esse, cum uobis in his publicis miserijs aliud nullum esset solatium, quàm dulcissima consuetudo cum coniuge & liberis. Itaque & morte ipsius, & luctu uestro ualde perturbati sumus. Quare D. Martinus, pro suo summo erga uos amore, statim duxit ad uos scribendum esse. Ego uerò etsi sciebam in me non esse tantum autoritatis, quanta opus esse ad uos cōsolandos iudicabam: tamē addidi meas literas, ut studium meum & optimam uoluntatem uobis declararē. Scio autem uos & prudentia & grauitate præditos esse. Deinde ita instructos doctrina Christiana, ut quibus ex fontibus consolationes petendæ sint optimè perspiciatis ipsi. Etsi enim pium & honestū est dolere mortem



tem honestissimæ coniugis (nam & Deo placet hæc charitas erga nostros, ut inuiti ab illis diuellamur, et eorum incōmodis afficiamur.) tamen etiam illud Deo placet, ut moderemur dolorē. Sicut Paulus non uetat nos lugere: sed uetat sic lugere, ut gentes lugent. Non colligam, quantæ sint huius uitæ miseriæ, quantum præsertim in his temporibus impendeat calamitatum: ut mors etiam optanda uideatur, uelut portus aliquis in quo acquiescamus. Illud tamen rogo ut consideretis, quod Christus ait: Ne passeretis quidem sine Dei uoluntate uitam amittere. Debemus autem obedientiam Deo. Quare cum certum sit, Dei consilio et uoluntate exempta esse ex his ærumnis coniugem uestram: non decet uos uehementius Dei uoluntati repugnare. Deinde nos qui Christum agnouimus, meminerimus nos omnibus afflictionibus obnoxios, & ueluti uictimas morti destinatos esse. Non competit nobis sanctissimus uictimæ titulus, si recusamus subire afflictiones. Scitis & illud, nos oportere similes fieri imagini filij Dei. Quare cum ipse tam horribiles afflictiones nostra causa pertulerit, præstemus ei uicissim hoc officium, quod requirit, ut moderate feramus ipsius exemplo eas calamitates, quibus ecclesiam suam exercere uoluit. Iam hoc uobis magnam consolationem adferre debet, quod in agnitione Dei & erecta fide hinc discebit, ut uere

re sperare possimus eam consecutam esse aeterna  
 gaudia cum Christo, ubi iterum unà uicturi estis,  
 & inter sanctos fruemini illa aeterna et uerè iucun-  
 da consuetudine. Postremò Christianos scire de-  
 cet, & peccatum esse, frangi dolore, & irasci iudi-  
 cio Dei, & repugnare uoluntati eius. Has ego mihi  
 consolationes in multis meis casibus proponere so-  
 leo, quas scio uobis notas esse omnes. Quare non  
 scribere uolui prolixius. Collegi autem eas bre-  
 uiter, ut meum uobis studium ostenderem. Iubet e-  
 nim Paulus, ut doleamus cum dolentibus. Et uale-  
 re aliquid in Ecclesia, mutua fratrum cōsolatio de-  
 bet. Ideo rogo ut meas literas boni cōsuletis, uosq;  
 pro uestra sapientia & pietate erigatis, & dolo-  
 ri resistatis: & cogitetis nos Christianos non ad hu-  
 ius uitæ delicias, sed ad acerrima certamina uoca-  
 tos esse. neq; tamen de futurum nobis Christum, qui  
 ait: Non relinquam uos orphanos. Aderit & ipse  
 nobis, cum uerbo ipsius nos sustentabit, & eriget.  
 Bene & feliciter ualete. Anno 36.

Illustrissimo & fortissimo uiro, Tarno-  
 uio, capitaneo Cracouiensi, &c. Phi-  
 lippus Melanchthon  
 S. D.

Pergratum mihi fecit Ioannes uetus amicus,  
 quòd in conuentu Ratisbonensi, quo me fato for-  
 tassìs

tassis aliquo in certamine de doctrina Christiana  
 cum non leuibus conflitantem curis adiit. Senti enim  
 ipsius congressu, et dulcissimis sermonibus, me-  
 diocriter animum defessum recreari. Cum autem  
 de patria, et de hac sua militia, in qua nunc uersa-  
 tur, ea mihi narraret, quæ fortè requirebam: sepe  
 eum rerum series ad tuas res gestas ac uirtutum ha-  
 rum prædicationem deducebat. Quæ oratione cum  
 delectari me animaduertisset, hortator mihi fuit, ut  
 ad te scriberem. Gessi morem homini amico, præ-  
 sertim cum affirmaret literas nostras non ingratas  
 tibi fore. Ego cum de naturæ humanæ imbecilli-  
 tate et inconstantia cogito, sepe omnium in Euro-  
 pa gentium historias animo reputo, ac collapsa im-  
 peria, fractam uirtutem plurimorum deploro. Græ-  
 cia, quæ olim domicilium erat uirtutis et liberta-  
 tis, nunc barbarica seruitute oppressa est. Italia  
 non solum uetus imperij decus, sed etiam militiæ  
 studia amisit. In Germania, extincta ueteri discipli-  
 na et grauitate, qui nunc sunt clari duces? Hæc  
 cum cogito, mirari soleo gentem Henetam, quæ et-  
 si antiquitate cæteris antecedit omnes, nondum effocta  
 tot seculis, gloriam rei militaris et regni decus in-  
 ter florentissimas nationes tuetur, ac perpetuo cla-  
 rissimos duces gignit. Quam longa series esset, si  
 inde usque ab Antenore, aut Telepho, aut Silico-  
 ne, gentis Henetæ duces usque ad Casimiri regis eta-  
 tem

tem recensere uelim? Gratulor igitur perpetuā felicitatem genti uestræ, quæ nunc quoq; uirtute & ducum gloria cæteras nationes antecellit. Nemine enim hoc tempore duci Tarnouio anteferre possumus. Huius uictoria celebratur, & propter magnitudinem rerum gestarum, & propter utilitatē. Nam hic unus custos esse huius partis Europæ aduersus Scythicam barbariem existimatur. Hoc decus & reipublicæ Christianæ & tibi gratulor: & opto, ut Deus rerum conditor te seruet, & uocet aliquando ad res gerendas maiores, ac liberandam à Turcica barbarie & tyrannide uniuersam Europam. Ad hanc rem cum opus sit regum opibus & concordia, ei omnes uota faciāt, ut Deus regum animos excitet, ut tot gentiū Ecclesias tegere armis, consilio, & iunctis uiribus tandem uelint. Hæc ad te scripsi, ut meum studium tibi declararē. Nam cum arma uestra bonarum rerum doctrinam defendere debeant, uicissim decet ordinem nostrū uiros fortes amare & colere. Ego uerò in primis uestre gentis præstantes uiros amo. Quare me uicissim ut complectaris, te etiam atq; etiam oro. Bene & feliciter uale: Ratisbonæ, 9 Iulij. 1541.

Episcopo Cantuariensi S. D.

Reuerendissime præsul. Ex Osiandro, uiro optimo, & mihi ueteri amicitia coniuncto, & ex multis

tis alijs bonis et doctis uiris intellexi, te præclaram  
 doctrinæ laudem cum eximia pietate coniunxisse.  
 Itaq; sepe gratulor Britannia uestrae talem Episco-  
 pum: quales si haberet Ecclesia aliquanto plures,  
 non difficulter & concordia orbis terrarum consti-  
 tui, & seruari Ecclesia posset. Cum autem non du-  
 bitarem, quin ad ceteras uirtutes humanitatē sum-  
 mam adiūxisses: duxi tibi cōmendandum esse hunc  
 bonum uirum, Alexandrū Alesium Scotum. Is pro-  
 ficiscitur in Britannia, ut exhibeat R. P. T. quod-  
 dam meum scriptum. Scripsi & R. P. T. me conatū  
 esse ut & diligenter & utiliter explicarē, & quā-  
 tum possem mitigarem plerasq; controuersias. Sed  
 iudicium de toto scripto libenter & R. P. T. & si-  
 milibus uiris doctis & pijs permitto, à quorum iu-  
 dicio nunquam in Ecclesia Christi dissentiam. Ita-  
 que si uel studium meum, uel scriptū probabis, ro-  
 go ut R. P. T. adiuuet hunc Alexandrum, ut Regiæ  
 maiestati libellū exhibere possit. Caterum ipsius  
 Alexandri tanta est doctrina, probitas, & in omni  
 officij genere diligentia, ut nullam possit ad uirum  
 sapientē commendationē maiorem quàm suam uir-  
 tutem adferre. Proinde licet uerè sperem te pro tua  
 prudentia & potestate libenter amplexurum ho-  
 minem: rogo tamen, si quid literæ nostræ apud R.  
 P. T. ualēt, aliquid mea causa studij addas ad ea of-  
 ficia quæ tua uoluntate in eum collaturus es. Iudi-

cium uerò tuum de meo scripto, poteris mihi R. P. T. per hunc Alexandrum significare. Commendo me R. P. T. summo studio. Bene ualeat R. P. T. ad illustrandam gloriam Christi. Mense Augusto, Anno 1535.

Reuerendo uiro, eruditione, uirtute, & pietate uera præstanti, D. N. patrono suo cum obseruantia colendo.

Reuerēde Domine: Vt Ecclesia Dei uera tanquam orphana, inter hæc imperia mundi intuetur pios pastores, & ueros episcopos, & ab eis consolationē petit: ita puella nunc domini Pauli filia orphana necessario suo tempore, à quo imploraret auxiliū potius quàm à paterno amico, & uerè Episcopo? Quare cū liberalitatem erga eam exercuistis, pietas uestra Deo grata erit: & pro ea uicissim Deus his Ecclesijs et politijs bene faciet. Nos quidem & puellæ nomine, & sponsi, et nostro gratiam habemus: & Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi precamur, ut Ecclesias quæ constant ex puellis & pueris orphanis, defendat, ac reget: & seruet nos & alios pios doctores, tanquam oleas feraces in domo Dei: nec sinat extinguī lucē Euangelij & noticiam Domini nostri Iesu Christi: sed multorum pectora uerè accendat, ac pia studia doctrinæ

doctrinae ac morū disciplinam tueatur, ut ueris lau-  
dibus inter nos hac mundi senectū celebretur Deus  
aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, cum fi-  
lio suo & spiritu sancto. Has optimas res Deus im-  
pertire solet per ueros Episcopos, quos quidem uo-  
cat *συνόβρυς*, laboris socios. Quod nam potest ma-  
ius præconium excogitari, quàm diuina uoce dici  
socium diuini laboris? Veneremur igitur pios do-  
ctores, in quorum numero longo iam tempore uos  
quoq; R.D.V. seruire diuinitus uidemus: & ut diu-  
tius seruiat in domo Dei, optamus. Bene & felici-  
ter R.D.V. ualeat.

Dies nuptiarū filiae domini Pauli Reualt, ut sint  
faustae & felices, faciat Deus aeternus pater Domi-  
ni nostri Iesu Christi.

Clarissimo uiro, eruditione, & uirtute  
præstanti N.N. amico suo charissimo *καὶ*

*ἀδελφῷ φιλότῳ καὶ συμφιλοσόφῳ*, Phi-

lippus Melanchthon

S. D.

De Cosuiga erraui. Erat enim iter faciendum in  
Goten, ubi Ascanium de magnis rebus loquentem,  
uel potius quærentem liberè & sine aulicis inuolu-  
cris audiui. Dixi etiam de pace & bello, quæ iudi-  
co esse dicenda, coram uobis hos sermones expo-  
nam. Ibi etiam audiui à pastore Ecclesiae, hunc an-



num pariter fuisse fatalem apibus & scholasticis. Itaque tibi mitto cellulas, in quibus uidebis iacere mortuas apiculas. Vt enim è tauro nascuntur apes: ita nobis ex uictima Christi nostra examina renascantur. Apud Aristotelem est, ὃ πρὸ ἐπιτολῆς πλειάδος γίνεσθαι μέλι. Ergo ἐπιτολὴ est cosmicus ortus, quo tempore mella è fauīs quoq; eximuntur. Atq; utinam etiam habeamus ἐπιτολὴν πλειάδος tranquillā. De uersibus nostris statue quod uidebitur. Non prohibeo adscribi nomen meum.

Menij epistola sanè tragicè scripta fuit: sed quòd se in suo scripto cum Pontifice dimicasse ait, optarim alijs armis praelatum esse.

Senatus Norimbergēsis Camerario & mihi hospitium offert. Viti & D. Hieronymi Bomgartneri literas mitto. Ego non minus de te & de collegis aliquot alijs, quàm de me ipso cogito. Sed hæc coràm. Chartas operis Meniani mihi mittas. Bene uale. Datæ Scruestæ, 19 Februarij, 1547.

Reuerēdo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Casparo Crucigero, Doctōri Theologiæ, amico & fratri suo charissimo, Philippus Melanchthon  
S. D.

Et dilexi filiam & ὅγῃ diuinitus insita humanæ naturæ: & sensum amoris acuit misericordia, postquam

quam in tristissimam seruitutem uenit, praesertim cum uiderem multas in ea uirtutes adumbratas esse. Quare postquam ad cæteras calamitates mors immatura accessit, non possum non dolere. Auget etiam moesticiam recordatio mei errati. Non enim sua culpa, sed mea negligentia in tantas miseras incidit. Cum autem quotidie eam ueris gemitibus Deo commendauerim annos decem: & mihi perspicuo testimonio significatū sit, curæ Deo futurā esse: iudico diuinitus ex hac uita euocatam esse, ut ijs calamitatibus, in quibus fuit: liberaretur. Hæc cogitatio paternum dolorem quasi hebetiorem effecit. Itaq; & Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago, quod ostendit se gemitus nostros exaudire, & istam miseram in tranquilliorē uitam euocauit. De morbo & sermone morituræ fortassis scribet aliquis, qui planè nōdum oblitus est nostrorum officiorū: ac mittere tabellarium ad N. meo sumptu decreui. Tibi uerò gratias ago, quod & nostro dolore afficeris, & lenire eum studeas: à quo tamē me etiam cogitatio publicorū malorum abducit. Nec me tantum excruciant propria belli mala, quæ sunt innumerabilia: sed etiam doctrinae conclusionēs, & interitus literarum. Synodus telam exorsa est ad stabilienda impia dogmata, & habebit applausores principes & theologos ἐπαμφοτε εἰσортаς. In his tantis periculis cum sit

*Ecclesia, & manifestum sit sine ope diuina nõ posse doctrinæ lucē retineri: hac me spe sustēto, quòd nunc cū destituitur Ecclesia omnibus humanis auxilijs, Deus præsentiam suam ostendit mirandis liberationibus: quod ut nunc faciat, toto eum pectore oro. De refutatione Synodi ualde prodesset nos amanter colloqui. Bene uale. Die 29 Mar—*

*—tij, 1547. Seruestæ.*

*Clarissimo uiro, eruditione, & uirtute, & fide præstanti, M. N. N. amico & fratri suo charissimo Philippus Melan-  
chthon S. D.*

*Vt initium fuit Ecclesiæ Dei de semine salutari edito post Adæ lapsum: ita ἀναμνίας ἡμέρην annum orditur nobis tempus, quo semen illud salutare ex uirgine natum, & nobis exhibitū est: quod quidem oro ut faciat, ut hic ueniēs annus tranquillus sit, & Ecclesiæ & eius hospitij & nobis faustus & felix. Sed magnū bellum paratur, quod nisi caput serpentis conculcabitur à semine salutari filio Dei, magnam uastitatem faciet in tota Germania, quæ sola in terris retinet mediocre decus doctrinæ & disciplinæ. Itaque magno in dolore sum, quem in hac solitudine minus etiam ferre possum. Georgius uocatur Norimbergam, & datur Hieronymo Besoldo stipendium. Ibi etiam collectæ sunt aliquæ nostræ schedæ reliquæ. Aliquot enim pauperibus*

peribus scholasticis nostris hospitium & uictus datur in xenodochio. Et Vitus enarrat Esaiam. Ita cōfugient literæ in urbes honestas, desertis regionibus, qui perniciosis tumultibus & Ecclesias concutiunt, & sua fastigia euertunt. Scriptum Menij absolui: addidi etiam *πρὸς τοὺς ῥήτορας* nescio qualia. Quid enim hoc tempore scribi potest, cum non tantum supplicia nobis metuēda sunt, ut olim Timeus ab Agathocle in crucem actus dicitur, & pulsus in exilium Theopompus. Sed hoc quoq; formidandum, ne irritati scriptis, uel incensi Principes magis in Rempublicam seuiant. Scis quā sepe doluerim incendi eos ab ijs, quos oportuerat frenum iniicere eorum cupiditatibus. Pagellas adferet meus cursor, dandas typographo. Bene uale. In ferijs natalitijs, 1547.

Illud quoq; adscribendum esse duxi, quod petiturus eras, ne ligna in ædibus meis absumant milites: ne petito, sine ut lignorum usu frigus arceant, & cibos coquant. Frumentum & uinum tibi commendo, quibus te & socerum uti uolo.

Reuerendo D. Pastori, & Crucigero, & collegis salutem opto.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. N. N. amico & fratri suo, &c. Phil. Mel. S. D.

Hunc Pancratium Bauarum, honestum & do-

Atum uirum, præfecerunt principes Ascania in loco uicino Seruestæ. Quare ad uos mittitur, ut ueteri & diuinitus tradito ritu commēdetur ei ministerium Ecclesiasticum. Ut uictimis manus imponebantur: ita & Ecclesiæ ministri simili ritu uocantur, ut meminerint se esse uictimas. Simus igitur paratis animis ad ærumnas ferendas: & tamen speremus, cum diuinitus nobis impositæ sint manus, nos sustentari auxilio diuino, et tegi manibus Dei. Reliqui in ædibus tuis candelabrum & pixidem, quæ sum usus in spargenda arena madentibus chartis. Hec asserues nobis, aut huic Pancratio adferenda tradas. Bene & feliciter uale.

Assidebat hæc scribenti D. I. C. qui heri aduenit cum principe Georgio. Coniugem & familiam suam misit Arnstadium, ut inde mittat Norimbergam. Fortè enim Daschium inuenit Mersburgum, cui familiam adiunxit. Hodie dicitur huc uenturus Marchio Elector.

Nostræ filiolæ Catharinæ emito *Banxina's* plantulas in myropolio.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstati, P. Ebero, amico & fratri suo charis. Philipp. Melanchthon

S. D.

Sentio acriores dolores in hoc tristi spectaculo  
partus

partus coniugis Erasmi: quàm sentiebam, cum nunciari mortem filiae audirem, quæ mihi fuit charior uita mea. Nondum liberata est periculis Erasmi cōiunx. Et mulieres aiunt foetum in aluo extinctum esse: qui si eximi non potest, matri mors certa & atrox impendet. Deum æternū patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut mitiget priuatas et publicas misérias. Non est extrema malorum mors: sed hoc genus mortis multo tristius est ipsa morte. Coniungite uota uestra cum nostris. Bene & feliciter uale. Die quo Lazarus in uitam reuocatus est, ut nunc Paschatis tempora numeremus 1547. Scruestæ.

Optimo uiro Georgio Spalatino, amico plurimū colēdo, Philippus Melanchthon S. D.

Scis hæc tempora, Spalatine optime, in primis ferrea esse pauperibus scholasticis, quos oportebat foueri à Principibus & à Rebus publicis. Sed cū à potentioribus negligantur, nos, sicubi possumus, eos inuemus. Hic Coburgensis adolescens N. N. bono ingenio præditus est, & in Academia quadriennium iam uersatus, ac in literis bene promouit. Audivit nescio à quibus, in uicinia uestra desiderari alicubi scholarum moderatores, aut hypodidascalos. Si alicubi potest ei nidus inueniri, rogo ut eum adiues. Bene uale, 3 Decembris, Anno 43.

n 5 D. Geor-

D. Georgio Spalatino M. Ioannes  
Marcellus S. D.

Hic adolescens aliquandiu usus est disciplina mea, ubi cognoui eum singulari diligentia uersari in studijs literarum, & moribus optimis præditum esse. Neque uidetur ei deesse ingeniũ ad grauiora, quibus olim Reipublicæ uel Ecclesiæ præsidio esse possit. Nam postquam à me discessit, egregiam accessionem suis studijs fecisse uidetur, et pietatem et doctrinã religionis Christianæ colit ex animo. Sed quoniam præ egestate diutius hic ægrè potest hæ-  
rere, rogauit me, ut se tibi commendarem. Nam audiuit apud uos interdum uacare conditiones scholasticas: in quibus se cupit exercere, si daretur occasio. Et nouit ipse, eximiam esse de tua doctrina & pietate opinionem, non tantum apud me, sed etiam apud magnos uiros. Itaq; mallet, si fortè locus daretur, apud uos in schola seruire, quam alibi. Peto igitur illius adolescentis causa, ut, si potes ei esse adiumento, ut consequatur scholasticam conditionem alicubi apud uos, commendatum esse sinas. Ac omnino confido, te rectissimè collocaturum in eo beneficia tua. Spero enim eius ingenium & modestiam usui fore aliquando Reipublicæ uel Ecclesiæ. Et quoniam tanti te facit, ut debet & solet, spero te ex eius erga te obseruantia & gratitudine olim dignum fructum percepturũ. Ego certè, si eum  
iuxeris,



iuueris, magnum cumulum accepisse putabo ad ea beneficia, quibus iam olim abs te sum affectus. Et ego fretus tua erga me humanitate, cum adhuc essem apud Mutianum Gotthæ, libentius nunc ad te scripsi. Bene uale. Pridie Augusti. Anno 1542.

D. Leonhardo Fuchſio medico, Phi-  
lippus Melanchthon S. D.

Et propter ipsam rerū noticiā, & propter posteritatem, gaudeo crescere tuos hortos, longè amoeniores & utiliores Hesperidum hortis. Quis enim non letetur rerum naturam fieri notiorē, cuius consideratio mentes ad uirtutē & philosophiā fleſcit, et multa uitæ præsidia ostendit. Erudient autem & posteritatem hi tui horti, quia plantarum nomēclaturas & figuras optima fide tradis. Quare gratiam & tibi Respublica debet, & paſſim boni & prudentes hunc tuum honestissimum laborem laudant. Et si autem optarim eum candorē esse ingeniorum, ut bene meritis honos haberetur, et *ἡμίσηματα* sine liuore & sine maledictis emenderentur: tamen uetus est illud,

*ἔχ' ὅσια γονέῃ λιανὰ βᾶπτερ ἀλλήλοις.*

Vidi libellos contra te editos, & ingemui, ut puellæ flosculos in hortis decerpunt, & sine odio certant inter se, ut quælibet suæ coronæ thoros uenustissimè distinguat & ornet: ita nos in collatio-

ne herbarum decuit. Ego diu iam, etsi multi aduersus me scripserunt, tamen respondi nemini. De re dixi, quātum uel necesse fuit, uel potui in ijs locis, ubi explicatio instituta fuit, sine mentione ullius antagonistæ. Et hac philosophia perpetuò utar, ac iudicium prudentibus relinquam. Te etiam adhortor, ut cum iudicijs multorum intelligentium tuum opus quibus probetur, acquiescas: neque mouearis, si qui Momi pagellā unam atq; alteram taxāt, nec cum eis certes uerborum contumelijs. Valerium Cordum, Cordi filium, ingeniosum iuuenem, & in inquisitione totius naturæ mirè diligentem amisimus. Nam Romæ scribunt mēse Octobri mortuum esse. is de tuo opere sæpe honestissimè loquebatur. Mortem eius uerioribus lachrymis deploramus, quàm Bionis interitum deplorat Theocritus. De Cordo enim uerius illa dici possunt:

οὐρ ὑάκινθε τελεῖ τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλεον αἱ αἰ.

Multas naturæ partes adhuc ignotas, si uixisset, erutas ostēdisset. Tu nequaquā in Italiā te attrahi sinas. Ne quidē si, ut ad Artaxerxē Hippocrates uocabatur, amplissimis promissionibus inuitarere. Ioachimus Lypsiae feliciter instaurauit Academiam θεῶν βοηθῶντος. Cum autem difficile sit patrifamilias sæpe mutare sedem, non arbitror nunc quidem ad uos rediturum esse. Sed de suo consilio scribet ipse. Bene & feliciter uale. Die natali filij Dei,

qui

qui dies cum annum ordiatur, ex animo Ecclesiæ Dei et eius hospitij, et tibi et tuæ domesticæ Ecclesiæ, annum tranquillum, faustum & felicem opto.

Reuerēdo uiro, eruditione & pietate præstanti, domino Georgio Buchholtzero, docenti Euangeliū in Ecclesiā Dei in urbe Berlina, amico suo charissimo,

Phil. Mel. S. D.

Reuerende uir & amice charissime: Venit huc tabellarius ducis Vuirtebergēsis Caspar Schubart Cygneus, modestus homo, qui attulit Brentianam declarationem, in qua ostendit Brentius nomina—tim, quas corruptelas Osiandri improbet. Mittam uobis exempla, ubi descripserimus. Idem nūcius epistolam habet scriptam ab illustrissima cōiuge ducis Vuirtebergensis, ad illustrissimam sororem, ut mihi quidem uidebatur foris aspicienti inscriptionem. Iussi igitur nunciū ipsum istuc proficisci: quia hoc genus literarū singulari diligentia et fide exhibendum est. Petetis etiam responsionem: omnino gratificandum est mutuae pietati sororum. Me ha—tenuis impediuit editio Locorū doctrinæ Christianæ Germanica, quò minus Stancaricā responsionē absoluerim. Sed nunc rursus eam in manib. habeo. Exempla Locorū uobis mittam, cum typographus absoluerit. Nunc mitto alium libellum, non uestra

L. A. N.

lectione dignum, sed tamen ostendentem nostros labores in hac scholastica gubernatione: quam ut Deus adiuuet, toto eum pectore oro. Snepius copiose mihi de Mediatore scripsit: et defendit idem, Mediatoris et intercessoris officium non esse unius tantum naturæ proprietatem, sed personæ, secundum utranq; naturā. Sed hæc aliàs copiosius. Quæso ut per hunc tabellarium respondeas. Bene & feliciter uale. Die æquinoctij uerni, Anno 1553.

Venerādo uiro, eruditione & uirtute præstanti, domino Georgio Buchholtzer, præposito Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa, amico suo charissimo, Phil. Mel.

S. D.

Venerande domine Georgi, hunc nuncium mihi ad uirum clarissimum dominum doctorem Hieronymū: qui an sit Berlini, aut Francofordiæ, nuncio meo indicabitis. Literas autem, si quas mihi uolueritis mittere, huic tabellario tradite. Nos nihil noui habemus, nisi rediisse Ducem Saxonie Mauritium Electorē, et adducere Magistrū Theutonicū, ut uocant, ut cōducantur equites. Sermones hominum nō obscuri sunt de bello Heluetico, et de bello Saxonico. Deus reddat miseræ Germaniæ pacē. Bene ualete, et rescribite. Salutem reuerenter opto uiro clarissimo, domino Cancellario, Die Nicolai.

Eidem.

## Eidem.

Venerande domine Præposite, & amice charissime: Spero ingenium magistri Ioannis Birnstil utiliter seruiturum esse Ecclesiæ Dei. Ideo cum duci Megalburgensi commendavi: ac Deum oro, ut ministerium eius gubernet. De tempore autem profectionis magistri Ioannis, quid scribat Dux, intelligetis ex ipsius Ducis literis: quas unâ cum meis, ut exhiberi ei curetis, uos etiam atq; etiam oro. Nam ad uos ideo misi, quod nesciebam ubi ipse magister Ioannes Birnstil in urbe uestra quærendus esset. Nec quæquam in ciuitate uestra chariorem habeo, quàm uos: & uicissim me à uobis diligere existimo. Quæso igitur, ut hoc negociũ, quod quidem ad Ecclesiam pertinet, curetis, & mihi rescribatis. Si iam iter ingressus est magister Ioãnes, uxori literæ Ducis tamen legendæ erunt, ac deinde ad ipsum mittendæ. Quæso etiam ut mihi significetis, an Sabinus exhibuerit illustrissimo principi Friderico & uobis meos libellos. Pro uestro munere uobis ago gratias. Principi Friderico et uestris filiis mitto pagellas de Ecclipsi. Bene ualete, die 3 Nouembris.

## Eidem. •

Reuerende uir, & charissime frater: Scio te hominem officiosum libenter amicis gratificari. Ideo ad te mitto literas Sabino inscriptas, & libellũ: &  
te

te oro, ut ad Sabinum per nunciū fidelem fortè oblatum, sine tuo sumptu mittas. Hæc scripsi in urbe Brandeburga, quò filias Sabini ad uisendā auiam adduxi. Spero autem uos accepisse exempla nostri libelli: in quo si cætera non placuerunt, spero tamen placuisse Latinam adhortationem de cōcordia. Quanquam & de cæteris iudicia uestra cognoscere cupio. Et admonitiones uestras libenter audio. Utinam in Ecclesia amanter alij alios monerent, sicut scriptum est: Docete & emendate uos mutuò. Bene uale. Die septimo Decembris, in arce Brenni.

### Eidem.

Reuerende uir, & amice charissime. Illustrissimo principi Electori Marchioni respōsionē meam mitto de controuersia Stancari: & oro, ut uos ipsi exhibeatis illustrissimo Principi, uel exhiberi curetis per magnificum dominum Cancellarium, aut ornatissimum uirum dominum Thomam. Orabitur etiam, ut mihi uenia detur, quòd tardius mitto. Legerunt alij, & comprobarūt, sed subscriptiones nō petiui: quia nolui alijs attrahere certamina cū Stancaro, homine ualde maledico. Scripsit de me epistolas plenas arrogantiæ & crudelitatis, cum nunquam à me læsus sit. Sed mei labores Deo & multis bonis uiris noti sunt. Non moui dissidia: sed cū esset magna opinionum confusio, quæsiui explicationes ue-

tas & simplices, quæ intelligi possent, de toto corpore doctrinæ. Stancarus quid sentiat in uniuersa doctrina, nondum scimus. Bene & feliciter ualete, & curate mihi rescribi tantum hoc, ut sciam an sint exhibitæ meæ paginæ. Iterum ualete. Die primo Augusti.

Eidem.

Venerande & charissime domine Georgi. Mitto illustrissimo principi Electori, Marchioni Ioachimo, quasdam nostras deliberationes, quas oro ut ei mox exhibeatis: & mihi significetis, an sint exhibitæ. Potestis eas & uos legere, & spero uobis & omnibus pijs, qui legent, placituras esse. Bene ualete, et rescribite. Die Dominico, 13 Decembris, Anno 45.

Venerando uiro, eruditione et uirtute præstanti N.N. pastori Ecclesiæ in  
Tangermunda, fratri suo  
charissimo,

S. D. Venerande domine, & charissime frater, intelligo senatum Brandenburgensem de te uocando ad gubernationem suæ Ecclesiæ deliberare: ac à me petiuit, ut tibi hortator sim, ut ad ipsos commigres. Nihil mihi potentiæ sumo, sed opto ut uicina Ecclesia feliciter regatur. Et spero te in urbe Brandeburga utilius Ecclesiæ seruiturum esse. Nobis quoque propiorem te esse opto. Scriberem plura, nisi nunc

o cius



cus festinaret: & meas occupationes nosti. Bene  
& feliciter uale. 22 Ianuarij.

Magnifico D. Rectori, magistris ac docto-  
ribus Academiae Francofordianae ad O-  
deram, &c. Philippus Melanch-  
thon S. D.

Apud Xenophontem Cyrus cum proponit edi-  
ficari, ut agricolis parcat, addit causam: Quia in  
ipso etiam belli incendio perficiendum sit, ut quam  
minimum sit belli. Id suo quenq; loco imitari decet.  
Etiam si concutiuntur imperia, cuius rei multae sunt  
causae: tamen interim quaedam foedera religionis et  
naturae seruari oportere sciamus. Diligamus Eccle-  
siam, ubicunque est: diligamus cognatos ubicunque  
sunt, & eis leniamus arumnas. Ita in ipso bello mi-  
nus erit belli. Id cum ab illustrissimo Electore  
Marchione factum sit in hoc bello, qui et lenire mala  
publica studuit, et tanquam Nestor inter duces paci-  
ficator fuit, et priuatim multis opem tulit, uirtus e-  
ius praecipua laude digna est. Ego quoq; & publi-  
co & meo nomine ei gratias ago. Deinde quod &  
Academia uestra exemplum sui Principis imitatur,  
ac mihi in hoc exilio desert hospitium: uobis etiam  
pro ista erga me beneuolentia gratias ago. ac leua-  
tionem mearum miserationum magnam fore ducere,  
si contingeret in illa frequentissimorum ui-  
rorum,

rorum, qui omnium artium cognitionem comple-  
xi sunt, uiuere. Cumq; nondum certam sedem ha-  
beam, aliquāto post de mea uoluntate ad illustris-  
simum Electorem Marchionem et ad uos copio-  
sius scribam. Nunc accersitus sum Vitebergam, ut  
de tabulis nostri naufragij deliberemus, et ratio-  
nes quaedam referendæ sunt. Adsum etiam editioni  
quarundam lucubrationum, quas multo antè pro-  
pter utilitatem adolescentie institui. His absolutis,  
fortassis peregrinatio in alia loca suscipienda erit,  
quam ut Deus gubernet oro, ne studia doctrinæ ex-  
tingui sinat. Sed seruet tum alias Academias, in qui-  
bus rectè inuocatur: tum uerò uestram, quæ in his  
regionibus nunc unica domicilium est cœlestis do-  
ctrinæ et integræ philosophiæ. Bene ualete. Calen-  
dis Augusti, Anno 1547.

Reuerendo uir & uirtute præstanti, do-  
mino NN. pastori Ecclesiæ Dei in incly-  
ta urbe Brentæ patri suo charissi-  
mo, S. D.

Reuerende uir et charissime frater, et debeo  
et habeo gratias Senatui uestro, pro beneuolentia  
erga me: tam uerò etiam pro uino missio: teq; oro,  
ut meis uerbis reuerenter Senatui gratias agas. Mit-  
to tibi duo exemplaria disputationis, etsi nuper u-  
num ad te misi, quorum alterum dabis Secretario

*Senatus uestri. Nunc adest illustrissimus princeps archiepiscopus Meideburgensis. Aulici narrāt, du-  
cem Henricum Brunswicensem duxisse exercitum  
ad N. urbem. Bene uale, & rescribe. Quarto Maij.*

**Cuidam amico.**

*Sæpe audiuiſti, gratitudinem eſſe uirtutē com-  
positam ex duabus præcipuis uirtutibus, ueritate  
& iusticia. Veritas agnoscit & fatetur, unde sit  
acceptum beneficium: iusticia reddit aliqua offi-  
cia. Quòd igitur prædicas beneficia, quæ in te con-  
tulit Sabinus, uideo te amare & præstare gratitu-  
dinem, quam uult Deus intelligi & coli, ut ipsius  
beneficia agnoscamus, & ipsum celebremus. Sabi-  
no ego tuo nomine hîc gratias egi, & tuas literas  
ipsi monstraui. Ei te charum eſſe, ex ipso intellexi.  
Is tibi nulla in re defuturus erit. Vale, & rescribe  
an has literas acceperis. Id officium pro meo offi-  
cio reddito. Patri tuo, uiro optimo, mitto pagellas,  
quas cures ipsi exhiberi. Die Marci.*

**Viro optimo, domino Iohanni Span-  
genbergio, amico suo,  
S. D.**

*Si Leonardus uester expectasset nostrum redi-  
tum, & de ipso & de negotio matrimoniali ei lite-  
ras dedissem, Nam ipsi Leonardo opus est tua ad-  
monitione,*

monitione, ut diligentius discat doctrinam Christianam. Mira est iuventutis negligentia, in his tantis rebus cognoscēdis. Sed nos, ut si quos possumus, excitemus, de causa matrimoniali respondimus. Ambrosio gubernāti scholam, mittam hypodidascalos. Bene Vale, 14 Septembris.

Præstantissimo domino Ioanni Spangenbergio, docenti Euangelium in Northusa, amico suo,  
S. D.

Doleo exortum esse dissidium inter te & unum collegam. Neque dubito quin ea res magnopere te exerceat, intelligentem quantum officiat gloriæ Euangelij fama dissidij, et quos ludos præbeat aduersarijs. Colligerem autem omnia quæ arbitrarer ad te consolandum prodesse, nisi ea tibi nota esse statuerem. Multum in huiusmodi scandalis me cōsolatur, quod scio esse ἀνὰ γὰρ τὴν ἑκκλῆσιαν, quæ diabolus excitat odio Euangelij, ut deterreat homines à doctrinæ genere: & ut nos quoq; frangat, ne doceamus. Itaq; te contra has diaboli insidias erigere debes, & ingēti animo despicere has offensiones: et tamen ratione etiam atq; arte mederi. Facile uincas aduersarium, si dissimulatis iniurijs pergas docere ea quæ & utilia sunt conscientijs, & ornant gloriā Christi. Hoc enim doctrinæ genere retinentur au-

ditoria. Tuus aduersarius rixabitur de puerilibus illis spectaculis conseruandis, aut ulciscetur suos affectus. In concionibus, rem facit indignam isto loco. Non diu habebit populi studia. Ac si qui ei applaudunt, uidentur abuti eius impudētia. Incitant enim, non quia eius causam probent: sed quia iuuat eos, quod Euangelium malè audiat propter hanc dissensionē. Christus te gubernet, ut fortiter feras has offensiones. Bene uale, 1533.

Clariss. uiro, egregia eruditione & pietate præstanti, D. Ioanni Spangenbergio, pastori Ecclesiæ Northulanæ,  
domino ac amico suo uenerando, S. D.

Mitto tibi epistolam illustrissimi Ducis Prusiæ, in qua te ad gubernationem scholæ recens constitutum inuitat. Arbitror enim doctoris medici prædicatione te ei commendatum esse. Et profectò tua uirtus digna est fauore bonorum principum. Etsi arbitror te istic ab Ecclesia retineri, quæ antea etiā migrationem breuiorem deprecata est: tamen literas misi, ut deliberes, quid ex re tua esse ducas: ac mihi per fortuitum tabellarium quam primum poteris, respondeas. Princeps uult me hortatorem esse suscipiendi huius muneris, & optarim ei scholæ bene consultum. Sed tua ætas & familia quid ferre que-

at, considero. Tibi igitur deliberationem integram relinquo: teq; oro ut rescribas Principi, ac mihi litteras mittas, simulq; tuam sententiam significes. Salutem opto collegæ tuo Antonio, cuius silentium perpetuum miror. Bene ualete, 7 Nouembris.

Reuerendis uiris, eruditione & uirtute præstantibus, Ioâni Spangebergio & collegis ministerij Euangelici in Isleben, amicis suis charissimis,

S. D.

Reuerendi uiri, & amici charissimi. Optarim ad nos missum esse aliquem ex collegio uestro, cui coràm exponere totam seriem actionũ illarum potuissem, de quib. scribitis: sed ipsa aula nobis testis esse potest, nobis non probantibus insertum esse articulum de oleo & unctionibus. Et scimus consecrationes oleorum, quæ extant in libris Episcoporum, impias, & magicis similes esse. Id semper in de liberationibus à nobis dictum est, & constanter dictum est. Illi autem qui articulum de oleo inseruerunt, corrigi hæc dicebant: quia addiderunt, Remotis omnibus superstitionibus. Et in fine disertè dicitur, Reliquos esse aliquos articulos nõ conciliatos, de quibus cum Episcopis deliberandum sit, si has Ecclesias uelint regere. In his nondum conciliatis articulis numerari necesse est & illas conse-

o 4 cratio-

orationum & unktionum absurditates. Intelligantur ergo non comprobatae, sed ad illam deliberationem reiectae. Sed decebat esse magis ingenuam orationem \* diceris: stylus indicat, non esse illa scripta ab uno. Nos, Deo iuuante, uocem Euangelij incorruptam docebimus, & in nostra confessione semper sonabimus. Pagellas uestras uobis remitto. Bene ualete. Die 13. Ianuarij.

Reuerendis uiris, eruditione & uirtute praestantibus dominis, Ioanni Spangebergio gubernanti ecclesias Dei in comitatu Mansfeldensi, & pastoribus, & caeteris eorum collegis, amicis suis,

S. D.

Reuerendi uiri, & amici charissimi: Orat filius Dei in agone suo, ut aeternus Pater Ecclesiae cōsensus tueatur, ut unum simus in ipso: ut uerba, quae extant in ea narratione, recitem. Nec est irrita illa filij Dei precatio. Semper erit aliquis coetus custos, uerae doctrinae consentiens. Legi uestram deliberationem, quam iudico & piam, & cum nostris sententijs cōgruere. Etsi autem multi Ecclesijs nostris minitantur, et profecto horribilis crudelitas in Sueuia exercetur: tamen nec uerae doctrinae corruptelas unquam recipiemus, nec uitiosos cultus approbabimus. In alijs rebus adiaphoris, seruitutē quālibet duram tolerabimus. Nec propter leues causas occasio-



occasione præbendam censemus ijs, qui pellerē pastores conantur. Qua de re cū à multis interrogati simus, scripsi quid mihi uideatur. Quanquam autem scio, quibusdam horridiores sententias magis placere: hæc magna causa est cur seruitutem toleremus, ne fiat in Ecclesijs solitudo, qualis iam in multis locis est ad Rhenum et in Sueuia. Nulli sunt congressus, templa muta sunt, nec baptismus quidem in templis: trucidantur, rapiuntur aliqui, & coniuges aut filiae. Nec magistratus ulli opem ferunt suis pastoribus. Quidam etiam gaudēt eos excuti. Cū igitur uideamus quo in periculo sint non tantū docētes, sed etiam ipsæ Ecclesiæ, hoc est pijs coetus, tantisper donec piē possumus, manere apud Ecclesias studeamus, etiamsi tolerāda est aliqua seruitus, quæ tamē sit sine impietate. Oremus autē filiū Dei, ut ipse nos gubernet, et pœnas mitiget. Nō humanis cōsilijs aut uirib. retineri lux Euāgelij in genere humano potest. Sed Dei opus & beneficiū est, tanti boni cōseruatio. Ab ipso igitur petamus et expectemus auxiliū. Bene ualete. Die 23 Ianuarij.

Reuerēdo uiro, eruditione & uirtute præstanti, domino Ioanni Spangebergio, pastori Ecclesiæ Dei in oppido Eisleben, & gubernanti uicinas Ecclesias, ami-

co suo, S. D.

Reuerende uir, & amice charissime: Meministi

o 5 conso-

consolationem, quæ extat in Esaïæ concionibus, ubi inquit Deus : Ego Ecclesiam condidi, ego gestabo eam, etiam in senecta, & canescētem. Et quo maior senectæ infirmitas, eo magis ipsam curæ esse Deo speremus. Talibus consolationibus, ut te in hoc tanto dolore tuo erigas, ualde te adhortor. Etsi autem uideo qui terrores nobis proponantur : tamen spero filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum nobis adfuturū esse, inuocantibus ipsum, & moderatè necessaria faciētib. Vestram deliberationem cum nostris sententijs congruere iudico, qua de re in altera Epistola scripsi prolixius. Bene & feliciter uale. Die 22 Ianuarij.

Venerādo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Cyriaco Spangebergio,  
amico suo, S. D.

Reuerendum uirum, eruditione, pietate & omnibus uirtutibus præstantem, patrem tuum, dominum Ioannē Spangebergiū, & propter ipsius multa ornamēta, et quia fidelis et salutaris doctor fuit, dilexi, & ueneratus sum : & amicitia nostra spero in æternæ Ecclesiæ consuetudine fruemur. Etsi autem extant eius monumenta, & memoriam ipsius posteritas in Ecclesia retinebit : tamen gratitudinis est nostræ, talia de ipso scripta iuuentuti proponere, qualia & antè de bene meritis edidimus :  
quorum

quorum studia, mores, labores recensuimus ut honesta exempla. Puto te legisse epiccedion & orationem de Crucigero. Itaq; uellem isthic à D. Mencilio conscribi Epiccedion, & à uobis narrari ei domesticam consuetudinem in studijs, precatione, & similibus exercitijs: quæ si sciremus, curassem multo antè hic aliquid scribi. Publicos labores nouimus: sed ego libenter & quædam domestica exempla adspargo. Bene uale, et salutem dicito meis uerbis fratri & Mencilio. Die 16 Augusti, Anno 1550.

Reuerendo uiro, eruditione & pietate præstati, domino Ioanni Spangebergio, Episcopo & pastori Ecclesiæ Dei in Isleben fideli, amico suo colendo,

S. D.

Reuerende uir, et amice charissime: Magna consolatio pijs proposita est in dicto Psalmi: Generationi rectorum benedicetur. Hanc uocem dulcissimam in hac tua senectute intues, filios tuos honestos et eruditos, sæpe cogitato: ac Deo gratias agito, qui tuæ senectuti tales filios donauit. Nos libenter ei doctrinæ testimonium tribuimus, & loco ornauimus natu maiorum, ut uirtus etiam ipsius meretur. Nec depones beneuolentiâ erga nos tuam, propter falsos clamores quorûdam, qui calumnias contra nos spargunt. Ipsi filij tui testes erunt, nec doctrinæ uocem,

*cent, nec ritus in hac Ecclesia mutatos esse. Vicini libertate urbis contra nostras Ecclesias, & contra veteres amicos immodicè abutuntur. Vos oro, ut coniunctionem nostram non sinatis distrahi. Die 15 Februarij.*

*Renerèdo uiro, eruditione & uirtute præstanti D. Ioanni Aepino, episcopo Ecclesiæ Dei in inclyta Hamburga, Philippus Melanchthon*  
S. . D.

*Reuerende uir, & amice charissime. Quanquã publica mœsticia facit, ut sensus in priuatis doloribus sit hebetior: tamen in omnibus bonis ingenijs natiua sœgya minimè lentos motus ciet. Quare nõ dubitamus, te propter mortem honestissimæ coniugis tuæ magno in dolore esse. Nos quoq; cum ex literis uenerandi uiri Magistri Ioannis Garcæi intellexissemus, eam superatam doloribus partus extinctam esse, ualde augeri mœsticiam nostram propter tantum charissimi amici uulnus sensimus. Cum enim et uirtutib. omnibus quæ piæ matronæ cõueniunt excelluerit, et cõcordia inter nos perpetua, et cõsuetudo plena pietatis et suauitatis fuerit: et iam communi cura & amore liberi educandi essent, & tua ætas et ualetudo iam hanc uitæ sociã necessariò requireret, magnas doloris & desiderij causas te habere*

habere cogitabamus. Miserabilior etiam hic interitus co uidetur, quòd partus laboribus oppressa est. Itaq; etsi coniugis tuæ causa etiam dolemus, eam à te & à liberis auulsam esse: tamen uulnus tuum intuentes, singulari dolore adficiamur. Cumq; absentes non possimus alijs officijs tibi mederi, decurramus ad hoc remedium, quod omnium efficacissimum est. Dominum nostrum Iesum Christum, fontem & instauratorem uitæ oramus, ut te spiritu suo sancto consoletur, & seruet incolumem Ecclesiæ tuæ, domesticæ & publicæ. Oramus etiam, ut tibi liberos seruet incolumes. Scimus autem te non solum nosse omnia quæ diuinitus ad consolandam Ecclesiam tradita sunt, sed etiam uera fide amplecti. Cum igitur certissimò statuas, nec nasci nec extinguí nos casu: & tuam coniugem iam frui cœlestis Ecclesiæ consuetudine, in qua rursus eam complectêris, & cum ea de sapientia Dei colloquêris, cuius elementa à te didicit: habes mœsticiæ uera remedia. Vult Deus ut & doleamus, & ut desiderio nostrorum adficiamur. Sed uult simul, ut moderemur dolorem, & flectamus animos ad obedientiam ipsi debitam, præsertim cum lætissimos exitus Ecclesiæ proposuerit. Meminimus quendam amicum mortuo filio, cum in magno dolore esset, fortè in itinere, in recenti luctu incidit in psalmi locum: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Hæc ipsa commonesactio de

de prouidentia ita penetrauit in animũ, ut diceret, fuisse in corde suo diuinam quandam flammam subito, cum hoc dictũ legeret: ac postea mediocriter quicuit. Nec uerò dubitamus, quin tibi exercitia fidei talia & nota et usitata sint. Quare speramus, te intuẽtem in uniuersam doctrinam cœlestem, repugnare dolori: et tecum et cum tuis liberis Deum oramus, ut tibi adsit, & te regat et seruet incolumẽ. De alijs disputationibus nihil nunc scribendum esse duximus: & quidam inclementius nobiscum agunt, cum quidem iniuriam nostris Ecclesijs faciãt, & non ignorent nos de rebus magnis certamina sustinere acerrima. Bene uale. Die 10 Iulij, Anno Domini 1549.

Clarissimo & integerrimo uiro, prudentia & uirtute præstanti, domino Michaeli Meyenburg, amico suo charissimo,  
Philippus Melanchthon

S. D.

Hanc epistolam scripsi die festo, quo memoria publicè ascensionis filij Dei, quam multitudo magna eius temporis spectauit oculis, celebratur. Cogitabam igitur de dulcissimis consolationibus, quæ eo die leguntur. Sedet filius Dei ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus. Dabit igitur & nobis dona, inuocãtibz eum; descēdet, & seruabit Ecclesiam

clesian. suam. Mitto igitur partem meæ supellecli-  
lis, quam queso ut in ædibus uestris reponi sinatis:  
uel si quod mihi cōductum est tuguriolū, eò trans-  
ferri mandate. Bene & feliciter ualete. Die ascen-  
sionis filij Dei in cœlum, Anno 1547.

Venerunt huc dua boni & docti uiri ex Flan-  
dria, qui narrabant se propter pietatem & studiū  
doctrinæ Euangelicæ deseruisse uitam monasticā,  
cū fuissent Franciscani. Erant autē nudi & egeni:  
quare eis aliena liberalitate opus est. Si lingua su-  
periore utcunq; loqui possent, ambobus hīc condi-  
tiones in aliquibus Ecclesijs curassemus. Sed quia  
eorum linguam populus nō intelligit, alterum tan-  
tū retinuimus, cui uictum in Academia curabi-  
mus. Alterum ad uos mittimus: teq; propter Chri-  
stum rogo, ut eum excipias, & ei aliquē nidum cu-  
res: poteris, opinor, in uestris Ecclesijs eius indu-  
stria & labore uti. 15 Septembris, Anno 1548.

D. Philippo Gluēspies, de studijs optimè  
merito, Philippus Melanchthon

S. D.

Tanta fuit uirtus, tanta prudentia, & in omni  
officio moderatio, ac temperata humanitate graui-  
tas in socero tuo, ut suspicerent & amarent eum  
omnes boni, quibus notus fuit. Ego itaq;, etsi pro-  
pter beneficia quæ in me contulit, plurimū de-  
bebam:



beham: tamen ad eum inuitādum multo magis ad-  
 miratione uirtutis ipsius rapiebar, quæ erat ex-  
 cellens in omni genere. Pectus erat plenū pietatis,  
 & ardebat studio Euangelij Christi. Deinde inge-  
 nuitas summa erat: cumq; omnes longè uinceret  
 prudentia & diligentia, tamen à telis & sophisti-  
 ca longè aberat, & ueritatem in omni sermone &  
 actione lucere uolebat: nec morum æquitatem in a-  
 lijs maiorem uidi, et illam mediocritatē, in qua col-  
 loco Aristotelis decus. eminebat in eo singularis  
 grauitas, quæ tamen sine morositate erat: iram at-  
 que odia moderabatur ita, ut quanquam acer, mi-  
 nimeq; leuis esset, tamen affectibus suis nunquā la-  
 xaret frenum. At mihi non rarò uenit in mentem,  
 cogitanti de ipso, tales fuisse Lælium & Atticum,  
 quorū hoc genere moderatio maximè prædicatur.  
 Quid cætera? Rempublicam norat optimè, & or-  
 nabat & defendebat magno suo cum periculō. Fa-  
 miliam gubernabat singulari comitate, ac patrio  
 animo suos omnes amplectebatur. Quare uicissim  
 ab omnibus ut pater amabatur. Liberalitatē exer-  
 cuit erga Rempublicam, ciues inopes, et præcipuè  
 scholasticos egentes. Et ut uita erat castissimā, ita  
 sermo planè nihil habebat obscœnitatis: nec in se-  
 cundis rebus insolescebat, aut exultabat, nec frange-  
 batur aduersis. Etsi cum uidisset in Republica no-  
 uas tyrannides institui, prospiceretq; magnanire-

rum

rum mutationem, non leuiter angebatur eius animus: sed tamen ipse erigebat sese, & non incumbibat dolori, occurrebatq; illis malis singulari prudentia. Talem uirum quis non doleat extinctum esse? hoc est, quis non lugeret eius interitum, tanquã publicum damnum? Quare, mi Philippe, magnũ dolorem soceri tui mors mihi præcipuè attulit.

Cumq; ad cæteras meas misérias, quib. hoc tempore duriter exerceor, etiam hic luctus accesserit, qui nobis diuinitus & in eruditorum disputationibus proponitur: cumq; de morte soceri tui cogito, tuã etiam uicem doleo: uenitq; in mentem, quantũ oneris accedat ad cæteras tuas curas & ærumnas. Esi autem consolari te debebam: tamen plura scribere hoc tempore nõ poteram. Et tibi nota sunt ea quæ in Sacris literis tradũtur, et in Philosophia. Illa autem una sententia maximè consolari debet, quòd scimus homines nõ casu nasci, aut extinguí: Deoq; euocãti ex hac statione parendum esse. Deinde sperare debemus, socerũ tuum iam uersari in illa æterna sede, cum Christo, bonis angelis & sanctis. Cæterũ quorum consuetudine & sermonibus \* descessi ex hac uita, magis delectãtur quàm ullis rebus humanis, nec lōgo interuallo nos præcedit. Breuiter iterum eo fruemur, & fruemur iucundius quàm antea. Vale, 20 Iulij.

Anno 1538.

P

Egregia

Egregia pietate & uirtute prædita, D.  
 Hieronymo Vuellero, Doctori Theolo-  
 giæ, amico suo, Philippus Melanch-  
 thon S. D.

*Et si Ecclesiæ causa longissimam uitam bonis do-  
 ctoribus optare debemus: tamen obtemperandū est  
 uoluntati Dei, si quem hinc tanquam ex statione e-  
 uocet, atq; abducatur: præsertim cum illos sciamus uo-  
 cari ad immortalitatem, qui sustinent curam & la-  
 borem docēdi Euangelij. Ego quidem cogitans de  
 morte Nicolai, sic sum affectus, ut si quando in pa-  
 triam dimitto amicos. Horum enim discessus & de  
 charitate patriæ me admonet, & cupiditate quadā  
 accendit me proficiscendi in loca iucundiora. Sic  
 mors bonorum & piorum admonet me de expe-  
 ctanda immortalitate: ac desiderium in me exusci-  
 tat, unā cum illis in illam æternam sedem ac lucem,  
 in qua sine peccatis, sine errorib. sine caligine Dei  
 sapientia fruamur, proficiscendi. Quare te quoque  
 adhortor, ut animum à luctu abducas, et iam de ad-  
 iuuanda Ecclesia uestra cogites. Vt in acie milites su-  
 perstitēs non decet frangi animo, si quos uident an-  
 te se extinctos esse, sed ut in eorum succedant uesti-  
 gia: sic nos non deferamus traditam functionem: et  
 precemur Deum, ut nobis adsit. Scis Christum Do-  
 minum nostrum resurrexisse, ut nos qui ipsum in-  
 uocamus gubernet: ascendit in cœlum, ut dona det  
 homini-*

hominibus. His cogitationibus ut animum erigas, te etiam atq; etiā obtestor. D. Martinus aberat, cum tuæ literæ adferrentur: postea non potui occupatum ad scribendum hortari. Saluta Dominum Paulum. Bene uale.

D. Vuenceslao Lynco, Doctori Theologiae, Philipus Melanchthon

S. D.

Misit huc ad Principem nostrum dux Georgius, exemplum cuiusdam epistolæ à te scriptæ, ac uidetur uehementer iracundus auctori. Id tibi significandum duxi, ut cautior esses in posterum in \* aduersandis literis huius generis. Plena sunt omnia fucatis amicis, quorū simulatione uide ne alijs in rebus decipiāris. Miror quis sit, qui hanc epistolam nō ueritus est ad Georgium perferre. Tu suscipi facile poteris. Neq; enim ignoras, cui ad transscribendū dederis. Inde ratiocinari cætera poteris. Quæso te significes mihi, per quos tam latè propagatam esse hanc epistolam existimes. Vale, ex Buciano.

D. Ioanni Pomerano Philippus Melanchthon S. D.

Valde gratam rem mihi fecisti, quòd ad me tam diligenter de rebus tuis scripsisti. Ego uicissim scri-

p 2 berem.

berem, si quid haberem, quod magnopere te scire  
 arbitrarer. Primum redij ab inspectione Ecclesiasti-  
 ca. Permisisit enim nobis Princeps, ut paucis tantum  
 praefecturis in Thuringia perlustratis, domum re-  
 diremus. Ego mallem rectè ad uos: sed retinent hic  
 me negocia scholae. Utinam locus propior Viteber-  
 ga electus esset, in quem recessissent adolescentes.  
 Nunc enim cum iam procul peregrinandum est, sit  
 ut dilabantur scholastici, & multis ex praeceptoribus  
 non fuit commodum tam longinquam peregrina-  
 tionem suscipere. Commendaſti mihi quendam  
 adolescentem: is mihi curae erit. non desunt occa-  
 siones prospiciendi bonis uiris. Sed ego deinceps ne-  
 minem mittam quòquã, nisi auditum à me. Non enim  
 credis quàm inepta multi doceant: tam malè imi-  
 tantur optima scripta à Lutherò & alijs bonis  
 uiris edita. Ego cum primum potero, rebus hic ali-  
 quo modo cõstitutis, proficiscar ad uos: neq; enim  
 meos liberos tam iuuat uidere, quàm uos. Vale.

Reuerendo uiro D. Vuenceslao Linco, ui-  
 cario Augustanae professionis, suo patro-  
 no, Philippus Melanchthon

S. D.

Reuerende Pater: Temere accidit, cur plura non  
 potuerim scribere. Pater noster charissimus uiuit.  
 Ex priore audies, quae mihi comperta sunt. Tu ui-  
 de,

de, ne tui sis unquã dissimilis. Dicitur parari proscriptio horrenda: sed hoc ipso fortasse neruus rumpe-  
 tur, ut solet. Ante quadrantem horæ accepi lite-  
 ras ex Norico; dicuntur signatæ chartæ proscriptio-  
 nis circiter bis mille, missæq; ad Oenipontem: sed  
 senatum Cæsarianum ibi nolle publicare, ne uulgus  
 irrideat. Tu confortare, et esto robustus. Orabis  
 pro me, qui certò tuus sum ex animo. Vale.

Iacobo Micyllo Philippus Melan-  
 chthon S. D.

Cum polliceretur se Princeps scholam confir-  
 maturum esse, uidebam nobis in primis opus esse a-  
 liquo, qui non infeliciter carmen conderet, ut ad il-  
 lius imitationem se comparent adolescentes elo-  
 quentiæ candidati. Nam mihi quidem de nullo disci-  
 plinarũ genere rectè iudicaturus uidetur, qui Poe-  
 ticen non attigit: uideoq; in soluta oratione frigere  
 eos, qui non degustarunt poeticen. Porro genus  
 uersuum tuorũ semper amaui. Quare de te accer-  
 sendo diligenter agebam, cupiebamq; ea in re pu-  
 blicis literarum studijs consulere, quibus in hac fre-  
 quentiã scholæ nonnihil opis adferri posse arbi-  
 tror. Nam scholæ tuæ Francfordianæ suffecerit ali-  
 quis plebeius lector. Verè iurare possum, hoc unũ  
 in consilio esse, cur te in Saxoniam redire tantope-  
 re non cupiam. Vides autem, optime Micylle, quo

p s in

in discrimine fuerint nostræ literæ, nisi summa ope  
 à tui similibus defendantur. Quare te iterum, quic-  
 quid possum, per hoc rei literariæ studium rogo, ut  
 si honestè queas, commigres ad nos. Nam quod ex-  
 cusas, uereri te, ut sis ad prælegendum satis tempo-  
 ris.\* magna facultas, uercundè tu quidem. Sed nos  
 iam non tam prælectionis causa te accersiuimus,  
 quàm ut tua consuetudine formarentur hi, qui ad  
 poetice idonei sunt. Nam satis prospicis consilium  
 nostrum. Si quæri iubeas professorē, qui sophisti-  
 co more uulgo suam garrulitatem ostentet, ὁ μοι  
 μέλει τῶν τοιούτων. Et quanquam uideam istud  
 tuum genus solutæ orationis propter subtilitatem  
 ad docendum, & Scholas appositum esse: tamē hoc  
 agimus, ut habeat iuuetus, ad cuius exemplum uer-  
 sus adsuesfaciat facere. Eobanus Norimbergā accer-  
 situr, satis honesta conditione: alioqui huc inuitas-  
 semus. Cæteræ disciplinæ habēt tolerabiles profes-  
 sores in hac urbe: sed mihi tota Schola sordebit,  
 nisi tui copia cōtigerit. Sine igitur abs te Remp. im-  
 petrare, ut operam nobis tuam adducas: & cum te  
 Reipublicæ nomine uocamus, puta cœlesti aliqua  
 uoce uocari ad honestissimam prouinciam. Vale.

Ioanni Riui Philippus Melan-  
 chthon S. D.

Accepi literas tuas ad 16 Calēdas Martias, quas  
 legi



legi libentissimè, plenissimas amoris, humanitatis  
 & officij. Itaq; me plurimum tibi debere iudico,  
 quòd in tantis occupationib. tuis, tamen etiam ami-  
 citiæ nostræ rationem habendam ducis, mihiq; tam  
 amanter respōdes. Feceris mihi autem gratissimū,  
 si crebrò ad me scripseris. Sentio enim me pluri-  
 mum ex literis tuis proficere: quarū elegantia tan-  
 ta est, atq; puritas, ut exemplum earum mihi imi-  
 tandum maximè putem: & facilius uideor mihi hu-  
 iusmodi exempla quàm uetera effingere. Neq; uerò  
 tantum ad orationem prosunt, sed moribus etiam  
 conducunt. Præscribis enim mihi præcepta de om-  
 nibus officijs huius ætatis honestissimis, in quæ pro-  
 fectò incumbam omni animi cogitatione et studio.  
 Nam autoritas tua plurimum apud me ualet meri-  
 tò. Quare te quantum possum oro, ut institutā scri-  
 bendi consuetudinem conserues. Etsi autem in hoc  
 genere non paruum tibi possum referre gratiam,  
 seu, ut Poeta scribit, \* ἄτω τῷ μέτρῳ: tamen polli-  
 ceor, me si quo officij genere potero, olim declara-  
 turam esse, hoc tuum beneficiū mihi fuisse gratissi-  
 mum. Neq; committam interea, ut in scribēdo desi-  
 derari in me officium possit. Vidi hic Bembi quos-  
 dam Dialogos de Terentio: qui si tibi ignoti sunt,  
 significes uelim mihi. describā tibi exemplum, pro-  
 pterea quòd, cū optimum authorem in delicijs  
 habeas, arbitrer te omnes omnium eruditorum si-

ue annotationes siue disputationes de eo et studio  
se inquirere, & legere libenter. Quantū aut Bem-  
bo tribuant hoc tempore studiosi Latinae linguae,  
non ignoras. Præter huius Bembi libellum hîc nihil  
habemus nouorum scriptorū, quod quidem aut nō  
uideris, aut non sine molestia uidere possis. Vale.

Guilielmo Reiffenstein Philippus

Melanchthon S. D.

Nepotes uti cupiebant ad te proficisci, quia hîc  
formidabatur Anglica pestis, quæ peruagata est se-  
rè totam Saxoniam. Dimisi itaq; eos non inuitus.  
Tuum erit, efficere, ne studia prorsus intermit-  
tant. Scio patris fuisse consilium, ut Theodoricum  
ablegaret in aliquam decuriam scribarū, ubi disce-  
ret usum, qui nunc in admiratione magis est, quàm  
doctrina. Ego tamen putavi meum consilium tibi  
etiam indicandum esse. Talia fundamenta iecit in li-  
teris, sic etiam ingressus est in Iuris studium, ut spe-  
rem eum cōsecuturum solidam in ea re doctrinam,  
si non abstraxeritis eum ab eo studio. Melius & di-  
gnitati & utilitati cōsuleret, si præferret perfectam  
doctrinam illiterato usui scribarum. Vide quanta  
sit discentium paucitas: mihi crede, magno erunt in  
precio pōst solidè eruditi. Hæc scripsi admonendi  
tui causa, non docendi. Nihil malo, quàm ut hæc stu-  
dia retineantur: quibus amissis, nulla erit legitima  
forma Rerum publicarum. Vale foeliciter.

Guiliel-

Guilielmo Reiffenstein Philippus  
Melanchthon S. D.

Accepi tuas literas à uobis, de missione Erhardi. Quesiui igitur uobis alium pædagogum, non omnino (ut spero) deteriore Erhardo: est ei nomen Marcellus, & Frācus ex oppido Königsberg, ac uobis iam diu optimè notus. Mores sunt castissimi & honestissimi, & minus habent Saxonica ferocitatis. Doctrina in his artibus iuuenilibus, & in philosophia aliquanto, ut ego existimo, maior quàm in Erhardo: fortasse minus cōposita est ad ostentationem. Sed hoc non requiritur. Spero itaque uobis placiturum esse hominem, quem quidem inuitus ex schola dimitto. Nondum aliquid promissi Marcello, sed tibi: cum uideritis hominem, liberum erit uobis hominem aut recipere, aut remittere. Bene ualete.

Eidem.

Martinus obtulit mihi tuum munus: quod cum sit amplissimum, nescio quibus uerbis tibi gratias agam. Sic autem effusa erga me liberalitate es usus, ut si me tibi Atticum in nexum obligem, satisfacere pro tot beneficijs nō possim. Nunc aureum hoc munus, me magis etiam obligat. Dabo tamen operam ut intelligas, hæc in hominem gratum & memorem collocata esse. Rhetorici libelli iam exi-

p s bunt,

bunt, dedicati tuo nomini: ac spero, si qua est futura posteritas, hos Dialecticos libellos & Rhetoricos in manibus hominum futuros esse. Nam ego nō definam eos expolire: qui qualescunq; sunt, tamen omnium in hoc genere scripta aliorum uincunt: quod simplici animo, & apud amicum. Nam alioqui nolim de laudibus aliorum detrahere quicquā. Audio te deliberare de schola tua huc transferenda. Scis autem meum cōsiliū semper fuisse, ut diutius domi retineres imbecillem ætatem: & in hac sententia adhuc sum, tamen metus pestilentie aliud suadet. Apud nos Ambrosius plurimū ornauit suæ ædes. Quæ tibi commodissimæ uidentur fore: si tamen eos huc mittere constitueris, de quo tibi etiam atq; etiam deliberandum censeo. Ex Sarmatia scribitur mihi, Turcam tyrannum rediisse Constantinopolim. De Cæsare nihil habemus quod tibi sit ignotum. Aduentus eius in expectatione est. Macedo dicitur dimittere milites, & mutasse consiliū apparandi belli: de quo si quid habes, quæso mihi significes. Mitto tibi dispositionē Epistolæ ad Romanos, exiguum opus in specie, sed nō sine magno labore scriptum. Si posses per occasionem mittere exemplum Comiti Nouæ aquilæ, gratam mihi rem faceres, si ei mitteres. Vale feliciter.

Philippo

Philippo Eberbaccho Philippus Melancthon S. D.

Gratulor tibi mi Philippe, cōiugium, optoq; ut incepto faueat Christus, Es enim uitæ genus laboriosum fortasse, at sanctū ac piū ingressus. Scis esse quoddam nouum Monachorū genus, *μισανθρώπων τινὰς θιολόγος*, qui sibi mirificè religiosi uidentur, dum impudentissimè insectantur et execrātur cōiugium: ego uerò cum cogito, uitæ sociam uiro diuinitus, & uiri partem mulierem esse factam: non possum non uehementer irasci his, qui non omni officiorum generi e muliebrem sexum prosequuntur. Me quidem in communibus huius uitæ necessitatibus non leuiter consolatur hæc cogitatio, quòd sentio quiduis uiro perferendum esse, dum illi sociæ uitæ, dum liberis, quorum causa uidemur in coniugium ingressi, consulat. Nec mediocre beneficium me diuinitus accepisse statuo, quòd materiam dedit, de muliere bene merendi: quòd sobolem etiam ex illa donauit. Proinde opto, ut cōiugium sit tranquillum, fœlix & fortunatum: & ut alacri animo sanctissimā sarcinam, si quid fortasse uidebatur oneris, perferas: et illam uxorem tuam, putes esse nō modo tui, sed etiam eiusdē gratiæ (ut Petrus dicit) tecum participem. Ego in subito huius tabellarij abitu nō habebam quòd mitterē muneri, uerū curabitur. Interea habeto hanc epistolam, pignus uoluntatis

luntatis meæ: quam spero gratam fore propter amicitiam nostram. Nondum enim memoriam ex animo effluxisse arbitror. Nihil facies religiosius, quam si summa fide & cura puero primas literas doceas, quæ certè & uirtutis & religionis sunt incunabula, & elementa. Mittimus ad te adolescentem nō leuiter doctū, ut petijsti per literas à Reiffenstein. Is tecum philosophari Græcè & Latine poterit. Mores sunt candidissimi, & non contemnenda facultate docendi præditus est. Vale.

Chiliano Reiffenstein Philippus  
Melanchthon. S. D.

Cum Martinus noster profecturus esset isthuc, dedi ei duo exemplaria Rhetorices, exhibēda tibi, & filijs tuis, quibus dedicaui: teq; rogo, ut exiguum munus boni consulas. Nondum perpoliui hos libellos Dialecticos & Rhetoricos. Impedior enim maximis & miseris negocijs, ut scis. Si quid tamē contigerit ocij, breui utrosq; recudi curabo, ita ut non multū desideraturi sint homines docti. Certè ad iudicandum spero hos libellos nunc quoq; plurimum conducere. Sed iudicium tibi uiro doctissimo et prudentissimo relinquo. Scripsissem filijs, nisi cum hæc scriberē, miserrimis & acerbissimis doloribus fuisset oppressus. Amabò te, si quid afferes de Francofordia, aut alijs rebus, quarum me cupidū esse scis,  
per



per Martinum significes. Nam etsi Lipsiam proficisci cupio: tamen uereor ut id mihi permittāt χαλκίονες, qui adhuc cudunt Germanicam Apologiam, in qua emendanda nonnihil habeo negocij. Vale.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstati, domino Ioachimo von der Heiden, secretario inclyti Electoris Ducis Saxoniae, &c. patrono suo, S. D.

Clarissime uir, dulcissimi sunt uersiculi Euripidis, de misericordia erga calamitosos:

εἰ μὴ γὰρ ὦρ ἄνθρωπος εἴπε τύχαις  
ὑπηρετήσω, δὲ φανήσομαι φεινῶν.

Nec uerò hos uersus ideo recito, ut de ipso officio, de quo loquuntur, te admoneam: sed quia te uirum doctum, commemoratione talium dictorum delectari scio. Vt quisq; maximè intelligit uirtutē, ita maximè amat tales descriptiones, et quasi εἰκῶνες uirtutum. Est omnino, ut uersus illi dicunt, conueniens hominum naturæ, lenire miseris calamitates: quod cum facias, agnosco uirtutē tuam, & tibi gratiam habeo: & opto, ut uicissim tibi Deus beneficiat. Oraui ruper, ut si defatigatum animum aulicis occupationibus nostri congressus nonnihil exhilarare possent, ut quoties libet, ad me uenias. Idem  
rursus



rursus significo: ac nunc te D. Paulus ad philosophicam cœnam uocat, daturus nobis lepusculum, quem ipsius lepos condiet. Bene uale.

Guilielmo Reiffenstein S. D.

Quæso te mi Domine Guilielme, ut pro tua summa humanitate, ac singulari erga me beneuolentia ignoscas, si tibi hoc tempore, quo alioqui multis negocijs districtus esse soles, meis quoq; literis molestiâ exhibere uidear. Nā profectò me res ad scribendum impulit, quæ nisi sit honestissima, patiar ut me summæ temeritatis accuses. Sin uerò satis ad scribendum causæ tibi quoq; esse uidebitur, oro & obtestor, ut pro tua humanitate tum æquo animo has literas accipias, tū nōnullo officio iuues, q̃ hac à te epistola petere cōstitui. Hic q̃ tibi has reddū literas, tuius Ienēsis optimus uir est, quantum ex aliorū prædicatione intellexi: et ipse hoc tēpore quo Ienis fuimus, expertus sum. Quia uerò mediocres habet facultates, easq; tum cōseruare, tū et augere nōnihil cupit: Francofordiā ad mercatum proficisci statuit, ut ibi pannū, aliasq; necessarias merces coemat. Cum igitur nunc primum eò proficiscatur, à me petijt ut se alicui amico meo cōmendarē, à quo pdisceret rationē Frācofordiēsis mercatus. Audiuit enim maximas esse imposturas quorundā mercatorū, q̃ isthic uersantur, ut uix quisquā sine iactura inde redire, præsertim si q̃s ignarus fraudiū istarū, & tanq̃ tyro eò ueniat, possit. Iam uerò, mi D. Guilielme, cum me

moria

moria teneā, te antea plurimū officij ac beneuolen-  
 tiæ in simili causa Ambrosio nostro, fratris tui com-  
 mendato literis, præstitisse: et persuasissimū habeā,  
 te tanq̃ singularē meū fautorē in huiusmodi peti-  
 tione, nō defuturū mihi: uide qd in animū induxe-  
 rim. Hunc bonū uirū, me umq; populārē tibi cōmē-  
 dare decreui: oroq; ut si qua in re me uelis adiutū,  
 si ipse in tali negotio ibi uersarer, huic q̃ meū cōsi-  
 lium opemq; implorauit, præstes. Primum, ut nōni-  
 hil de ratione Francofördiēsis mercatus informe-  
 tur: deinde, ut iuues cū in cōtrahenda noticia cum  
 mercatoribus. Hoc enim in primis scis ei necessariū  
 esse. quantā enim adulterinis mercib. comparādis,  
 dum homines nō satis nouit, iacturā faciet? Postre-  
 mō, ut et (quod uel maximē oro) si res ita postula-  
 ret, spōdeas pro illo ad proximas usq; nūdinas. E-  
 go uicissim me tibi pro eo obstringā fideiussorem.  
 Neq; enim dubites, ne sit soluēdo. Nam et habet un-  
 de det: & bonus uir est, cui ab omnibus fides habe-  
 tur: multiq; hīc ciues suos fundos, uineasq; nō du-  
 bitāt pro eo pignori exponere. Quamobrē mi Gui-  
 lielme, p̃ tuā humanitatē, quā summā in te cogno-  
 ui, oro, ut hūc uirū, nobis omnib. q̃ hīc hospites uer-  
 samur, beneficū, cuiq; ego prolixē de tua uolūtate  
 et studio erga omnes bonos pollicitus sum, iuues, et  
 quacunq; re possis necessario suo tēpore subleues.  
 Ego omnia ea officia, quæ huic præstiteris, eo loco  
 habebo, ut aliquādo tibi tuisq; si qua in re queam,  
 gratias referam. Vale.

Reue-

Reuerēdo uiro, eruditione & uirtute præstanti, domino Ioanni Bugenhagio Pomerano, doctori Theologiæ, pastori Ecclesię Dei in oppido Viteberga, patri suo colendo, Philippus Melanchthon

S. D.

Ingentem dolorem annos totos decem circumtulisti, in quo de paterno adfectu erga natos cogitanti sæpe in mentem uenit, has *τορῶν* naturæ hominū insitas esse, ut sint cōmonefactiones de amore Dei patris erga filium, & deinde erga nos. Remoueamus igitur à Deo Stoicam toruitatem, & uerè nos diligi statuamus: cum condita *τορῶν* in natura hominum testetur, in sese etiam uerum & flagrantem amorem esse. Etsi autem de filię morte eas consolationes propono, quas scribitis: tamen cum et sensus aliquis maneat paterni desiderij ac doloris, & ad domesticum uulnus accedant publici dolores multo acriores, hęc me concursus miseriarum duriter excruciat. Sed Deum oro, ut publicas & priuatas calamitates nobis mitiget. Ago etiam ei gratias, quòd filiam meam in tranquilliores uitam euocauit. Vobis etiam gratias ago, quòd in meo mœrore tam patrio animo mecum doletis. Et Deum oro, ut uos uestrę Ecclesię domesticę & publicę seruet incolumes: & uobis Ecclesiam domesticam & publicam seruet. Scriptum Boiemicum ad uos intra paucos

paucos dies adferam: & de refutatione synodi uobiscum deliberabo. Reuerendissimo D. Episcopo Naumburgensi salutē opto. Bene & feliciter ualete. Die 29 Martij, Scructæ.

Guilielmo Reiffenstein Philippus  
Melanchthon S. D.

Remitto tibi alterum ex numismatis aureis: id uidelicet, quod recens factum est. Quod si alterum propter uetustatem tibi magis placet, libenter illud restituā. Non enim mihi tanti est ullū numisma, ut pluris quā amicitiam tuam faciam: alterū si mihi reliqueris, erit apud me inter multā alia hoc quoque tuæ erga me beneuolentiæ pignus. Nuper tibi per Northusanum quendam misimus literas: si accepisti, intellexisti quæ causæ fuerint, cur tam serò fidem meam liberem, tibiq; tuam restituum. Mirificè cupiebā propter multas causas te in his nundinis uisere. Sed hīc me quædā publica negocia obligant. D. Michaeli dicas meis uerbis multam salutem: quem quidem ego, si ad nundinas uenissem, nō dimissem, nisi empto murrhino uase, quo genere supellectilis mirè delectatus sum aliquandiu. Sed ignoscas mihi iocanti. Vale.

Indole & uirtute præstanti C. M. Philippus Melanchthon S. D.

Charissime Christophore: Angeli in his ferijs

q præci-

*præcunt nobis hymnū, ut Deo gloriam cum ipsis tribuamus uero pectore, & uera uoce: quod sine agnitione et doctrina fieri nō potest. Quare, ut tu quoq; cum angelis idem carmen sones, discito doctrinam coelestem, quæ uerissimè & uerè testatur, nos Deo curæ esse. Bene uale. Salutem opto dulcissimis fratribus tuis.*

*Egregia indole & uirtute prædito Christophoro M. amico suo, Philippus Melanchthon S. D.*

*Epistolam tuam non tantum libenter legi, quia amicitiam nostram perpetuam esse uolo: sed etiam, quia te in literis proficere animaduerto, quarum studia nequaquaquā abijcito. Mitto autem tibi orationem, in qua multarum uirtutum laudatio est: quas intelligere iam discas, & amare, ut cogitatione earum te ad decus exuscites, ut mores tui et Deo placeant, & sint patri et matri uoluptati. Breui, ut spero, ad uos expaciabor. Bene & feliciter uale. Die 13 Februarij.*

*Iusto Vualhausen Philippus Meláchthon, S. D.*

*Non solum ex alumnorum literis, sed etiam ex tuis, coniecturam facio de tua fide, & tua sedulitate. Video enim te operam dare, ut ipse docendo*

do discas, teq; ipsum meliorem reddas. Nam epistola tua ita est scripta, ut superiores tuas epistolas facilitate atque elegantia uincat. Ita autem quisq; studiosissimè docet, si se quoq; meliorem reddere conetur. Cum autem uideam te tali natura atque ingenio esse, ut consequi genus orationis probabile possis: non dimittam te quin adhorter, ut omnibus uiribus in hanc rem incumbas, ut in ratione dicendi elaborares. Itaq; te uelim conferas summo studio ad imitationem Ciceronis. Interdum tamen te epistolas Erasmi legere uelim: & de ipsa ratione imitandi scribam ad te plura, si cognouero te hoc studio delectari. Eodem autem uocandus erit alumnus tuus, cuius natura ad eloquentiam uidetur idonea. Vale.

D. Hieronymo Beitnero Philippus  
Melanchthon S. D.

Quòd rarius ad te scribo, uir optime, quiduis putes in causa esse, quàm obliuionem tuæ beneuolentiæ. Ego enim te propter excellēs ingenium tuum feci plurimi: & cum me semper omni officij genere coli senterim, ingratus sum, si dissimulè me tibi non debere plurimum. Sed hæc tempora, quæ te quoq; (ut uideo) non leuiter exercent, non solum hæc nostra officia, sed etiam planè euertūt omnia. Legi epistolam tuam non sine magno dolore, in qua & si

q 2      gnificas,

gnificas, quæ te causæ moueāt, ut de descenda Republica cogites. Eſſet illud quidem his temporibus optādum nobis, ut latēre liceret: neq; ego tibi quicquam præcipio. Sed tamē uides mi Hieronymē, in qua quaſi ſtatione collocatus ſis: quam, niſi Republica prorsus oppreſſa eſſet tyrannide, nolim te deſerere. Sed nō uacat nunc multa ſcribere. Spero te conſilia tua ad publicam uilitatem accommodaturum eſſe.

Hic iuuenis ſatis literatus eſt, petit unum ex ſtipendijs minoribus: qua in re ut eum adiuues, te etiam atq; etiam oro. Vale.

Egregia eruditione & uirtute prædito uiro, D. Bernharde Baumgartnero, magiſtro Philoſophiæ, docenti optimas artes in oppido Vlcenſi, amico ſuo chariſſimo, Philippus Melanchthon

S. D.

Chariſſime Bernharde: Eſt tantum eſt miſeriarum publicarum, ut bene agi cum ijs exiſtimādum ſit, qui ex hac uita euocantur, præſertim cognita doctrina filij Dei: tamen magnum nobis dolorem & luctum attulit mors Chriſtophori Coſmāni Vlcenſis, diſcipuli tui. Nullum in tota Academia ingenium ipſi prætuli, ſiue ſcriberet ſolutam orationē, ſiue uerſus: ita ut ueterum laudatorum ſcriptorum

uilitorem



nitorem referret: in Philosophia uera & doctrina Christiana: ita promoueret, ut docti differētem magna cum admiratione audirent. Et has dotes ornat bat modestia, & pietate morum eximia. Gratulabamur Reipublicæ & Ecclesiæ, quod tibi ingenium, paulo post doctrinæ etiam salutaris defensio propugnatrix commendata sperabatur. Sed ô spes hominum fallax. In hoc cursu optimorum studiorum adolescēs febris oppressus cū decubuiisset, dies quatuordecim inter uotum & inuocationem Dei, naturam Deo reddidit: nec enim dubito, eum iam in alia longè eruditore & tranquilliore Schola esse, ac ipsum audire & uidere Christum, Prophetas & Apostolos. Quare etsi ipsi nihil mali accidit: tamē Ecclesiæ causa doleo: & propter ipsius matrē, cui te, & si quem uoles adhibere alium, quā fieri potest mollissimè mortem filij significare uolumus, et adhibere consolationes ueras ex cœlesti doctrina sumptas: Deo euocanti nos parendum esse. Et filio etsi optanda longior uita fuit: tamen iam fuisse adeptū ea bona, quæ præcipuè homini expetēda sunt: & propter quæ ætas grandior optanda est, ueram doctrinam cœlestem. Hanc iam didicerat, norat Deum, & filium eius: et sciebat uerè inuocantes spiritu sancto renasci ad uitam æternam. Ardebat eius mens fiducia filij Dei, quem uerè inuocabat: & sæpe alios docebat. Hic uitæ cursus uerè dignus est

laude: & prius discessit, quàm implicitus est negocijs, ut nos, in quibus non possunt nõ accidere scandala. De morbo, audio similem febriam fuisse, qualis anno superiore Lutheri filiam extinxit. Tantus in eo pudor fuit, tanta mei reuerentia, ut mihi indicare noluerit, se ægrotare. Sed tamen medicos consuluit, qui (ut audio) statim iudicarunt lethale malum esse. Noui hoc genus febrium. nam biennio aliquot sic mortui sunt: his ardet pectus, & ardescunt & inflammantur fauces & lingua. Cæterum nec dolor magnus sentitur, nec mentis error accedit. Lutheri filia, ut Christophorus, placidissimè de Deo & immortalitate ac Christi beneficijs disseruerat, penè usq; ad extremam spirationem. Talis cum fuerit Christophori morbus, temporis aut fati deploremus casum: nec quæramus alias causas. Plena sunt humana miseriarum omnia, & in Ecclesia nouimus causas ueras: Philosophia ignorat. Deus enim proponit, & placidè iubet ferre ærumnas: et pollicetur se nobis adfuturum esse, idq; in tribulatione, inquit. Bene uale, charissime Bernharde. Pri die Nicolai, Anno Domini 1543.

Adolescenti nobili & optimè indolis, Io  
anni Rittesel, Philippus Melan-  
thon S. D.

Mirror te, mi Ioannes, nihil literarum ad me de-  
disse

disse pro nostra amicitia, cum quidem scires huc ab optimo uiro patre tuo nuncium esse missum. Decebat autem te tum exercendi styli, tum etiam humanitatis causa, libenter ad amicos scribere. Quare te adhortor, ut ad me & ceteros amicos tuos aliquando aliquid literarum mittas. Deinde ualde te oro, ut cum Deus dederit tibi ualde præclaram indolem, et ingenium aptum honestis rebus: cures, ut bonam naturam doctrina expolias, nec studia literarum abijcienda esse putes. Ad laudem et decus uiam tibi doctrina factura est. Bene uale.

Venerabili uiro, eximia eruditione & pietate prædito, domino Georgio Buchholtzer, præposito Ecclesiæ Berlinensis, amico suo,

S. D. Fui his diebus Torgæ in aula, ubi diligenter inquisiui de negotio ad finis tui. Narrarunt igitur mihi, scriptum esse ad præfectum, & exemplum epistolæ Principis protulerunt, quod iussi tibi describi. sed nō sciebant, an literæ Principis peruenerint ad præfectum. Quare me iusserūt exemplum ad præfectum mittere: qui si non accepit literas Principis, ut est nunciorum magna negligētia, polliciti sunt se rursus petituros à Principe obsequationem. Cras igitur mittam nuncium ad præfectum Slicbēsem. Res mihi curæ erit, ut perficiatur,

Deo iuuante. Nam mihi probabilis causa uidetur,  
leniendæ seueritatis in hac re. Consulendum est ani-  
marum saluti, quod scio etiam Principem libenter  
facere. Reuerendus D. Doctor Martinus iussit amā-  
ter tibi salutem optare suo nomine. Bene uale. Die  
22 Maij. Anno 45.

Clarissimo uiro D.N.N. ami-  
co suo,

S. D. Aliquanto minus deformis est Ecclesia,  
cū multi nostri ordinis pium consensum tuentur,  
& coniunctionē amant. Quare cū uideo aut au-  
dio bonos & doctos uiros, & iudicijs & uoluntati-  
bus nobiscum cōgruere, & Ecclesiæ & nostra cau-  
sa gaudeo. Sum igitur et honestissimi uiri patris tui  
congressu, & tuis literis ualde delectatus: et utriq;  
gratiam habeo, quòd beneuolentiam mihi uestram  
ostendistis. Fratris studia inspiciā, & cum N. de eo  
colloquar, ac meum iudicium tibi significabo. Pro-  
fectò enim maximè opto, ut iuuentus rectè & or-  
dine discat: quod te quoque iam sæpe cogitare non  
dubito, considerantem quantum onus sustineat is,  
qui format tenerum ingenium Principis: quo in labo-  
re Deus et tua cōsilia, et mentē discipuli regat oro.  
Quantum bonum sit bonus & salutaris princeps,  
non obscurum est. Nec dubium est, singulare Dei  
donum & opus esse talem principem: sed tamē do-  
ctrina

*Strina preparari mentes Deus iussit. Ad eam militiam cum te uocauerit, spero etiam tibi affuturum esse: & ut tuos labores adiuuet, cum oro. Vale. Die secundo Ianuarij, anno 1557.*

*Mitto pagellas, quarum tibi lectionem non insuauem fore arbitror.*

*Amico cuidam S. D.*

*Τέτλιξ μὲν τέτλιγι φίλος, μύρμαχι δὲ μύρμαξι,*  
*inquit Theocritus. Ita & nos consociationem nostri agminis amemus, & quantum possumus tueamur. Prodest etiam Ecclesiae & Reipublicae, docentes sententia & beneuolentia coniunctos esse: ac in his qui sunt sine ambitione, durabiliores sunt amicitiae. Pie igitur facis, quod interdum de beneuolentia tua ad nos scribis. Mitto tibi pagellas non insuaues lectu. Bene uale: & significa, an has literas & libellum acceperis. Die 6 Iunij, quo ante annos 1909 Alexander Macedo natus est, qui est exemplum humane infirmitatis: quia cum ingentes uirtutes & dona Dei contaminaisset magnis uitijs, citò et uitam & regnum amisit.*

*Reuerendo uiro, &c. D. Georgio, pastori  
 Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, fratri  
 suo charissimo.*

*Reuerende uir, & charissime frater: Scitis scriptum esse, Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Cum igitur*

*q s tur*

tur eximia sit beneficētia illustrissimi Principis Electoris Marchionis & uestra erga Sabinum, qui hoc tempore sine sua culpa in calamitatem incidit: uicissim Deus illustrissimo Principi & uobis benefaciet. Et ut clemēter seruet incolumem illustrissimam Principem, et eum gubernet, Deum toto pectore oro. Sabinus recens mihi scripsit, se prorsus expectare exilium. Ad nos nuper missæ sunt deliberationes Prussiæ, de quibus responsiones nostras uobis mittam. Commendo uobis hunc Paulum Vrsinum, uirum honestum, doctum & candidum. Mitto pagellas, meo more. Bene ualete, Calend. Ianuarij, 1555.

Clarissimo uiro, prudētia, eruditione & uirtute præstanti, domino Thomæ Matthiæ, consiliario inclyti Principis Electoris Marchionis, &c. fratri suo charissimo, S. D.

Clarissime uir, et charissime frater: Extat dulcissima uirtus apud Clementem Alexandrinum, quam citat ille scriptor ex Sophocle: quanquam in his tragædijs quas habemus, non legitur. Sed tibi & alijs bonis non dubito sententiam, uelut insignem gemmam, placere, ἀπὸ τοῦ χερσὶν τῶν ἰσχυρῶν ἔχει φύειν: id est, Boni retinent similes naturas & uoluntates, nec fortuna mutantur. Est igitur specimen bonitatis

nitatis in tua natura, quòd in hac confusione temporum, & in tot distractionibus, tamen beneuolentiam erga me & meos perpetuam retines: id & mihi gratius est, quod etiam iudicio te moueri statuo, ne à me alienari animū tuum patiaris. Cumq; sciam meos labores tibi notos esse, & uoluntatē erga Ecclesiam perspectam, hanc commemorationē omitto: ac potius gratias ago, quòd in nostra amicitia constantiam præstas, & meis benefacere studes. Nā D. Sabinus summo candore tua erga se officia prædicat: quæ quidem cum ad me quoq; pertinere statuam, tibi & debeo & habeo gratiam: teq; oro ut deinceps nos quoq; tuearis, memor dulcissimæ uirtutis, quā citaui: ἀπὸν τὸ χρυσὸν τὸν ἰσχυρὸν φῶς. Mitto pagellas. Sed post paucos dies rursus edetur enarratio Epistolæ ad Romanos, cuius exemplum tibi mittam, quod uolo te quoq; ut censorē legere. Fuit enim hoc meū studium, ut simpliciter recitarem doctrinam Ecclesiæ necessariā: & quæstiones omitterem nō necessarias, in quibus ostentant aliqui acumen, qui absurda mirātur, & despiciunt usitata: sicut de suis ciuibus dicit Thucydides, esse eos contemptores usitatarum, & applausores nouarum. quales nunc multi sunt. Sed oro Deum, ut nos gubernet. Bene uale, 13 A-

prilis, 1556.

Clarif-



Clarissimo uiro, eruditione & uirtute  
præstanti, D. N. N. docenti illustrissimū  
Principem Marchionem N. N. &c.  
charissimo fratri suo.

Clarissime uir: Nosti Musarum cantilenam, ὅτι  
καλὸν φίλον ἐστὶ. Quod cū ita sit, ne fieri quidem  
potest, quin te ualde amē, cū orationis tuæ suau-  
tas eximia sit. & character est animi orationis for-  
ma. Quare cū naturæ tuæ bonitas & orationis  
splendor inuolent me ad te diligēdum, scias me tuæ  
amicitiæ ualde cupidum esse: tibiq; gratiam habeo,  
quod beneuolentiā mihi tuam, quæ mihi gratissi-  
ma est, prior significasti. In tantis dissidijs gene-  
ris humani optandum est, ut plurimi boni, eruditi,  
amantes publicæ concordie, sese coniungant, ut mi-  
nus deformis sit Ecclesiæ species. Vides quò tendat  
petulantia multorum, qui taxatione disciplinæ &  
literarū uituperatione uulgi plausus captant. Sed  
interpellat tabellarius. Te oro, ut sæpius ad me scri-  
bas. Et si autem uincor abs te orationis nitore: tamē  
amore & officio scribendi uinci me non sinam. Be-  
ne uale. Quarto Ianuarij, anno 1558. qui utinam no-  
bis omnibus faustus & felix sit.

Clarissimo uiro, eruditione, &c. D. Chri-  
stophoro Pannonio, professori Fran-  
cofordiæ cis Oderam.

Doctissime uir, & charissime frater. Quòd de

mea uita solliciti estis, agnosco tuam & aliorum beneuolentiam: ac debere me uobis gratitudinem fateor. Utinam uerò possem illustribus officijs uicissim meam beneuolentiam uobis ostendere. Sed uerè sum omniàs ὅναρ, ut Pindarica descriptione utar. Verùm donec Deus in hac statione me uult seruire, iustum est me obtemperare: ac ipsum oro, ut me gubernet. Amicitia uerò nostræ semper memor ero. & in hac uita militia, & illa æterna Academia, in qua fruemur nostra cōiunctione dulcius, & habebimus doctores et collegas cum quibus suauius philosophari potuerimus, quàm habet hæc uita. Scribo breuiter: quia subito luctu animus meus occupatus est. Heri enim ancilla generi mei, modesta puella, in horto, cum nos in templo essemus, fulmine icta periit. Moueor non solum hoc trisli casu, sed etiã omine. Sed oro filiū Dei, ut publicas & priuatas pœnas nobis leniat. Bene uale. Die 8 Iulij.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Paulo Ebero, amico suo  
& fratri charissimo.

Et uos liberatos esse miserijs obsidionis, & oppidum utcunq; seruari gaudeo. Ac utruncq; assiduè & ueris gemitibus & uotis à Deo petiui. Nec in hoc meo exilio magis de meis miserijs, quàm de Pastore, de Crucigero, de te, deq; cæteris inuocantibus

bus Deū in illa dulcissima patria nostra, in qua manere summo cum periculo uoluistis, cogitavi. Nec procul discedere potui: familiam tantum in oppidum Northausen duxi. Ego in iugis Hercinijs non inter feras erro: sed inter homines honestissimos, socios nostri luctus & doloris versor. ibi exitum obsequii expectare uolui. Nam quadam coniectura ducebar de tempore, ut coram narrabo. Cursorem meum ad uos misi, ut de statu oppidi, deq; uestris consilijs scribatis. Etiam si autem longius exilium erit suscipiendum: tamen colloqui antea uotum meum decessi. Optarem nos in eadem Academia uiuere posse, ubicunq; Deus sedem aliquam nobis attribuet. Si istic manebit Pastor & Cruciger, de reditu & ipse cogitabo. Sed prius audiam, quid tu statueris, & quid mihi faciendum iudices. Omnino mihi morte acerbior est hæc distractio nostri coetus: & tamē ferendum est, quod mutari non potest. Quæso rescribite copiose. Vale, 26 Maij.

Reuerendis uiris, pietate, eruditione & fide præstantibus, D.D.N.N. & N.N. artium M. & pastoribus Ecclesiæ N. pie concordibus & constantibus, suis fratribus charissimis.

Reuerendi uiri, nota uobis uox est filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, in ultimo precantis, w e e r  
τ ω ρ

τῶν πιστῶν συνόντων διὰ τὸν λόγον αὐτῶν εἰς ἡμῶν,  
 ἵνα πάντες ἐν ὡσείῃ ἐν ἡμῶν. Cuius precalionis effi-  
 cacia haud dubiè, quicquid est piè concordie inier-  
 docentes, reliquum manet in Ecclesia in his diabo-  
 li furoribus, conantis ita tetrìs dilacerationibus di-  
 uellere consensum docentium. Gratias autem Deo  
 agimus, quòd inter aliquos tamen coniunctionem  
 animorum esse uoluit, quæ incorruptam Euange-  
 lij doctrinam in his regionibus huc usq; conseri a-  
 uit: & precamur eundem Deum, qui est ipsa dile-  
 ctio, ut piàm consociationem alat & confirmet, &  
 discordiam ex harum Ecclesiarum nidulis procul  
 pellat. Cùm autem uos à multis annis sæpe testati si-  
 tis, nobiscum in Deo cōcordes esse: petimus, ut hoc  
 nunc quoq; manifestum faciatis, cùm N.N.N.N.N.  
 N. & mibi publico ritu conferetur titulus docto-  
 rum in Theologia, quòd Deo adiunante, fiet septi-  
 mo die Decembris, postridie Nicolai. Ad eam re-  
 nunciationē publicam ut uos quoq; adsitis, & pre-  
 ces uestras nostris adiūgatis, orātes ut Deus clemē-  
 tissimus pater hoc nostrū institutū fortunet & gu-  
 bernet, ut cedat ad gloriā nominis sui, & Ecclesiæ  
 aliquam utilitatem, quanto possumus studio et dili-  
 gentia à uobis cōtendimus. Eo quo officio promit-  
 timus uobis perpetuam gratitudinem, studium, &  
 animum paratū ad quæcunq; obsequia, quæ in hac  
 tenuitate nostra à nobis præstari poterunt. Deo

HOS

uos commendamus. Datæ Vitebergæ, pridie Andree, 1559.

Reuerêdo uiro, eruditione & uirtute præstanti, Domino N. N. pastori Ecclesię Dei in inclyta arce Bremi, suo charissimo.

Reuerende uir, & charissime frater: Mitto tibi & reuerendo uiro Kitelio propositiones Eberi, et aliorum quorundam. Cumq; existimem uos ad publicam testimonij renunciationem & ad precationem communẽ uocari, quæso ut huc ueniat: quod eò facietis, quia quædam de publicis audieris, quæ scire uos refert. Vrbs Treuerica circumfessa est ab Episcopo. Nunc audio deliberari de ea liberanda: quod si fiet, me uo hoc bellum fore exitu sup̄tragediæ annorum triginta. Oro autem filium Dei, ut pœnas leniat, & seruet Ecclesiis, quarum uidemus in hac delira mundi senectâ ingentes ærumnas esse. Sed confugiamus ad Deum, qui dixit: Etiam in senectâ gestabo uos. Bene uale, & ueni. Die 19 Nouembris: quo, hodie manẽ, filiulus, Dei beneficio, meo genero natus est.

Reuerendo uiro, &c. D. Georgio Buchholtzer. S. D.

Reuerende uir, & amice colende: Scio uobis nõ deesse consilium: & habere istic fideles homines,  
qui

qui utilia suadere possunt: tamen pro nostra sincera amicitia ego uobis suadeo, ut si inspectores offerunt pensiones annorum quinque, sitis contenti hoc munere, nec pugnetis de summo iure. Videtis quam turbulenta insistent tempora. Quare Deo commendemus nos, & nunc de institutione iuniorum pia cogitemus, quibus qualem Deus Rempublicam post aliquot annos daturus sit, nunc scire non possumus. Sed habeant uaticum, scilicet pietatem & eruditionem, ut possint usui esse Ecclesiae, qualiscunque forma erit impertorum, quorum timeo ruinas non leues. De Prusiacio negotio quaeso ut hoc agatis, ut communis responsio mittatur à nobis & à uobis, & Marchionis Ioannis concionatoribus: ne maiora dissidia oriantur. Die Octobris 27.

Turcicus exercitus profligatus est. Oremus filium Dei, ut nobis adsit. Bene ualete, die Andreae.

Reuerendo uiro, D.N.N. pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Bremi, fratri suo charissimo, S. D.

Reuerende uir, et charissime frater: Præterita uituperari possunt, mutari non possunt. Ideo nec de clade, nec de causis disputo: sed doleo extinctum esse Principem, cuius excellens uir: us fuit: ut in hac postrema pugna etiam ostendit, in qua proditus et desertus, Deo iuuante uicit tamen. & oro filium Dei,

r ut

ut Ecclesias harum regionum protegat & gubernet. Magna mutatio totius Germanici imperij impendit. Rege Angliæ mortuo, iam regnum Angliæ cum Imperatori commendatum est: & ipse occupatus noui regni constitutione, sinet Germanos inter sese tumultuari. Sed Deo curæ erit Ecclesia, sanguine Filij redempta. Nos uerò tot exemplis horum annorum commonefacti, simus ardentiores in inuocatione. Te oro, ut quoties erit occasio, ad nos scribas. Stoltius ex Prussia cum reliquo comitatu redijt. Menius propter febrem iter facere non potuit. Utinam redeat saluus & incolumis. Sed nihil responsum est, nisi principem curaturum, ut synodus in Germania habeatur: hæc responsio est  $\chi\acute{\upsilon}\mu\alpha\ \pi\omicron\lambda\iota\tau\iota\kappa\omicron\nu\ \tau\tilde{\varsigma}\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , ut Thucydides nominat. Bene uale, die 20 Iulij. Salutem opto D. Kitelio collegæ, & alijs amicis.

Clariss. uiro, D. Christophoro Pannonio, fratri suo charissimo

S. D. Clarissime uir, et charissime frater: Multa exēpla humanæ infirmitatis intra octo annos uidimus, quæ mihi ingentē dolorē attulerūt. Sed profectò ualde anxietas me interitus uiri præstantis sapientia & uirtute, doctoris Hieronymi Schurpffij, & propter alia, et quia priuatim eum uerè dilexi. Ad-

iunxerat



iunxerant, ut scis, ad illam perfectam cognitionem suæ doctrinæ, etiam Ecclesiæ doctrinæ. Et uox eius in grauissimis deliberationibus profuit, & deinceps profutura erat. Memini, nos de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis sæpe familiarissimè colloqui: atq; utinam in hac nostra senectæ diutius mutua inter nos familiaritate frui potuissimus. Sed hoc quoq; tristica fata impedierunt. Deo nos commedemus, & petamus ut nos gubernet. Tuam Præfationem his diebus scribā. Bene uale, die Petri & Pauli apostolorum, Anno 1554.

Consolatoria ad D. Ioannem Pseffingerum, de morte filij, Licentiati Theologiae.

Ideo Deus humano generi & opus indidit, ut sint communes factiones de ingenti amore suo erga filium, & erga nos: & ut sint uincula societatis humanæ. Vult igitur adfici nos desiderio nostrorum, et in luctu pietatem probat. Sunt autem in optimis naturis & opus expressiores. Quare non dubito te, amisso filio (tali præsertim uiro, in quo non tantum indoles laudabatur, sed qui & omnium artium doctrina excultus erat: & non solum natura ad uirtutem incitabatur, sed etiam diuino spiritu regebatur: & iam in hoc studium ingressus erat, ubi ingenium eius ad artium propagationem profuturum

r 2 erat)

erat) magno in dolore esse. Qua in re non equidē accuso molliciem animi tui, ac pietatem potius agnosco & probo: & tecum ipse ualde doleo, cū tua, tum Reipublicæ causa: præsertim cū uideam in hac paucitate rectè discantium, Ecclesiæ defutura esse seminaria doctorum. Sed tamen pro sapientia tua scis utrunq; à Deo præcipi, et ut lugeamus, & ut sit modus mœsticiæ. Ac primū statuamus, cū hos euentus regi diuino cōsilio certum sit, flestendos esse animos ad obedientiam Deo debitam, ut etiam in aduersis rebus ei placidè obtēperemus.

Non iam de Physicis causis mortis dicam. Et si natura fuit obnoxia multis morbis, tamen & uoluntatem Dei intueamur: & non quid nobis acciderit incommodi, sed & quæ bona, quòd ex hac misera uita, & quidem tristissimis temporibus euocatus sit, cōsideremus. Nam si ipsum uerè dileximus, fauendum est eius bonis. Imò si sentimus ueram esse Ecclesiæ doctrinā, gratulari ipsi cœlestis Academiae consuetudinem debemus, in qua non iam dilutos riuulos sapiētiae, ut in hac uita, bibit: sed corā fruitur immenso ac purissimo fonte sapientiae, audit filium Dei, Prophetas & Apostolos: & inenarrabili leticia Deo gratias agit, quòd citò in hunc coetū & in hanc pulcherrimā Academiā abductus sit: de qua cogitantes nos quoq;, mox euolare ex hoc carcere malleamus.

Auget

Auget fortasse dolorē tuum, cogitatio de ipsius ingenio, eruditione, uirtute: & dulcissimam talis filij cōsuetudinē desideras. Sed hoc ipsum decus minuere luctum debet. Quia et his uirtutibus scis eum in hoc breui curriculo multis profuisse, nec fuisse inutile onus terræ: uidisti testimonia pietatis lucen-  
tis in uita, & in hoc agone, quæ ostenderunt initia coelestis uitæ in eo accensa fuisse, & hanc eius migrationem fuisse iter ad coelestis Ecclesiæ consuetudinem. Imò quoties hæc filij ornamenta cogitabis, gratias ages Deo, qui declarauit se & tibi et ipsi fauere, cum hæc in eum contulit munera, quæ sunt omnium summa. Est enim gratæ mentis, non tantum aduersa, sed etiam beneficia recordari.

Cum igitur scias, & uolūtati Dei obtēperandū esse, qui iubet moderari dolores: & filio nihil mali accidisse iudicandū sit: harum causarū cogitatione paulatim te erigito, & mœrori repugnato. Mouentur etiam animi hominū exemplis. Quia iustum uidetur, non defugere communia onera, quæ quasi cōmuni lege generi humano imposita sunt. Quāto tristius spectaculum fuit primis parentibus interitus Abel: quo interfecto, simul uiderunt Ecclesiam uirilē in sua familia extinētā esse. Quanto hi grauiores dolendi causas habuerunt in illa prima solitudine generis humani, quā uos, qui reliquam habetis familiā, in qua signa sunt pietatis nō obscu-

ra? Et in illis gemina uulnera fuerunt. Nam scelere impij fratris magis excruciabantur, quàm alterius morte.

Innumera exempla ex omnium temporum historijs repeti possent. Sed senem Babylam episcopum Antiochenum intueamur, cui tres filij à tyranno Decio trucidati sunt, cum quidem astarent pater & mater: nec tantum oculis crudelitatem aspicerent, sed etiam adolescentes sua uoce confirmarent. Postea mater spectatrix fuit necis coniugis, et complexa filiorum & mariti corpora, pio ritu ea in terram condidit.

Meministi et Imperatoris Mauricij historiam, qui tacitus spectator fuit necis filij & filiae: cumq; ad coniugem uentum esset, luctans cum dolore, inquit: iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Semper sapientes mirati sunt, cur tanta mole ærumnarum onerata sit imbecilla hominum natura. Sed nos, qui scimus causas diuinitus patefactas, obtemperemus diuino consilio, & remedia diuinitus monstrata teneamus. Hæc autem cum colliges, & hoc domesticum exemplum tibi proponito.

Si quando euocatus, menses aliquot peregrè à familia abes apud insuaues homines, leniuntur molestia & desiderium spe reditus ad tuos. Ita nunc desiderium feras modestius, quia aliquanta pòst in illa pulcherrima academia cœlesti filium rursus complectèris,

plectêris, & quidem ornatum honore splendido-  
re, quàm sunt hi gradus, uidelicet luce diuina: et col-  
locatum in agmen Prophetarum, Apostolorum &  
cæterorum, qui laude doctrinæ floruerunt. Ibi unà  
uiuētis in omni æternitate, fruētes conspectu Dei,  
& dulcissimis sermonibus Christi, Prophetarum  
& Apostolorum. Hanc æternitatem intueamur in  
hac ærumnosa peregrinatione, tanquam metam, et  
fortius has misérias feramus: quia et breue curricu-  
lum est: & ad illam æternitatem, in qua sapientia  
& iusticia Dei fruēmur, non ad fugacia huius ui-  
tæ bona conditi sumus.

Quæ cum tibi uiro docto & bono nota sint, bre-  
uius ad te scripsi: ac Deum oro, ut et animi et cor-  
poris uires tibi augeat. meministi enim dictum: In  
ipso sumus, uiuimus & mouemur. Vale.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchhol-  
tzer, præposito Ecclesiæ Dei in urbe  
Arctoa, amico suo co-  
lendo.

Reuerende uir: Cum Dux Prussiæ ad multos eo-  
dem argumento scripserit, utile esset ab his uicinis  
principibus ita institui deliberationē, ut unà com-  
munis responsio mitteretur, ne postea ex his ini-  
tijs maiora dissidia oriantur. Et hoc meum consi-  
lium uelim indicari inclyto principi Electori Mar-

r 4 chioni.

chioni. Ego hætenus non uolui accendere discor-  
dias. Ideo multas multorum iniurias pertuli, meq;  
hac uoce consolari soleo : Quod est ex Deo, non  
dissoluetur. Simplici & pio animo quæsiui & reci-  
taui summam doctrinæ Ecclesiæ. Et mihi nec poten-  
tiam, nec opes quæsiui. Et oro filium Dei Domi-  
num nostrum Iesum Christum, ut me regat, & ser-  
uet harum regionū Ecclesias. Quæso ut mihi scri-  
batis, an uelit illustrissimus Princeps Elector Mar-  
chio, ut unā communis responsio mittatur. Bene et  
feliciter ualete. Die 26 Nouembris, anno 1551.

Cogitauī de forma pia, & quam sperarem con-  
cordiæ profuturam esse: & nō grauatim ueniā ad  
colloquiū, de re tanta cum alijs conferendi.

Eidem.

S. D. Venerāde domine Georgi: Videtis hunc  
annum fatalem esse & multis principibus, & mul-  
tis doctis & bonis uiris. Si igitur exēpla aliquo mo-  
do mouēt animos ut feramus æquabilius talia, qua-  
liā alij mediocres & non mali ferunt : hanc etiam  
consolationem cogitate. Sed habemus alias conso-  
lationes potiores, quarū præcipua est, quòd Deus  
adfirmat sese habitare inter adflīctos, inuocantes  
ipsum. Scripsi ad uirum clarissimū, dominum Can-  
cellarium : sed quantum mea intercessio hoc tem-  
pore uobis prodesse possit, uos ipsi iudicare pote-  
stis.

stis. Si irasci uolet uictor omnibus, quorum reperiuntur literæ significantes uoluntatem non alienā à nostris Ecclesijs, aut principibus: nimis durus erit in uictoria. Iulius totos literarum fascēs, priusquam legerentur, iussit cremari. Idem uictoris clementiam deceret. Bene ualete, in Pentecoste 3056, Anno 47.

### Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: Etsi gratulari debemus ijs qui in inuocatione filij Dei ex his miserijs ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem euocantur: tamen Reipublicæ causa dolendum est, bonos & utiles uiros à gubernatione abduci. Gregorium dilexi propter multas eius uirtutes, & doleo Rempublicam eius ingenio orbatam esse. De uestris decretis quid scribā? Opto Ecclesiæ piā tranquillitatem, & spero Illustrissimū Principem quædam mitigaturum esse. Nondum scripsi de Canone, impeditus alijs negocijs. Adolescentē filium consulis commendauī uiro docto Franco. Illyrici libellum mitto. Mitto et filio uestro orationes, quarum ei lectio non inutilis est. Bene ualete, idibus Martijs, quibus ante annos 1592 Iulius interfectus est: quo exemplo Deus nos monuit, ut in secundis rebus moderati simus, & petamus nos diuinitus regi. Serua ô Deus miseras Ecclesiæ tuæ reliquias, inuocantes te, & gementes propter superbiam pontificum,



ficum, qui ueritatem delere conantur. Opitulare ō  
Deus, ueritati tuæ.

Eidem.

S. D. Venerāde domine Georgi: Non sum Stoi-  
rus. nec fatali neceſſitate tantum iudico nos in has  
miferias incidiffe, in quibus ſumus: ſed accerſi pœ-  
nas noſtra culpa, multo antè & uidi, & dolui. Se-  
pe optauī, ut & doctores & principes Eccleſiæ et  
ſibi melius cōſulerent: idq; adhuc opto. Etſi autem  
nunc in tam calamitoſo euentu neceſſe eſt me mul-  
to maiore dolore adfici: tamen me ijs conſolationi-  
bus, quas Deus nobis tradidit, utcunq; ſuſtento. Eo  
etiam minor eſt animi mei conſternatio & con-  
fuſio, quòd mihi conſcius ſum, me in his publicis di-  
ſcordijs nihil quæſuiſſe, niſi ut rectè explicata ex-  
taret doctrina. Illuſtriſſimo Principi Electori Mar-  
chioni reuerenter meis uerbis gratias agite, quòd  
hoſpitiū mihi clementer offert, quo uſurum me eſſe  
ſpero, poſtquam Lutheri uiduam & liberos alicu-  
bi collocauero. Illa me ſecuta eſt Brunſuigā, ac la-  
chrymans petijt ſibi nidum aliquē quæri. Moueor  
pietate, & debere nos gratitudinem Luthero iudi-  
co: quare eam Regi Danico commendari cupio. Be-  
ne ualete: die ſexto Maij, Brunſuigæ.

Eidem.

S. D. Scio in hoc tanto tumultu diuerſa iudi-  
cia

cla esse de belli causis, & spes dissimilimas multorū  
 de exitu. Sed nos Deum æternum patrem Domini  
 nostri Iesu Christi oremus, ut exitus sit Ecclesiis sa-  
 lutaris, & ne deleatur uera doctrina. Quòd uerò  
 pretextus fingitur, non quæri ueritatis oppressio-  
 nem: oremus etiam Deum, ut ipse, qui est inspec-  
 tor cordium, ostendat etiam in aduersariis ~~idum~~ fucū  
 sibi displicere. et ostensurū esse non dubito. Etiam-  
 si multa his uiginti annis dicta & facta sunt minus  
 moderatè: tamen non propterea ueram doctrinam  
 abijciam, ne laudabo parricidarum consilia. Spe-  
 ro etiam mediocre exitum. Gratiam uobis habeo  
 pro pagella, quam misistis: & eam per proprium  
 tabellarium, cui ego mercedem dedi, remitto. Bene  
 ualete. Pridie calendas Augusti, 1546.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: Ideo  
 Deus inseruit humano generi *ἡμετέριος*, id est amo-  
 rem erga sobolem, ut sint commune factiones de a-  
 more in ipso erga filium, & erga nos. Ac sæpe ma-  
 gnā mihi cōsolationem attulit hæc cogitatio, con-  
 sideranti: sic nos à Deo diligī, sicut nos ipsi sobolem  
 diligimus. Quòd igitur paterno dolore lugetis fi-  
 liū, præsertim ingeniosum, pietas est. Sed uult Deus  
 utrunq;: & adfici nos dolore ac desiderio nostro-  
 rum, & tamen moderari hunc dolorem: præsertim  
 cum

eum pij non moriantur casu, & uocentur ad coelestem Ecclesiam. Obtemperate igitur Deo, & cogitate filium iam frui uera beatitudine coram sapientia Dei. Scio fuisse mentem in eo ardentem fide & luce agnoscente filium Dei Dominum uostrium Iesum Christum, & mores erant sine turpitudine. Quod autem uisus est minus obsequens, ætatis & nature hæc erant, quæ dedita poeticis studijs, nolebat hæc impediri alijs negocijs. Sed mihi sæpe dixit, se Deo in scholis aut in ministerio Euangelij seruiturum esse. Et ut uidetis, ante mortem et in scholis, & in Ecclesia docuit. Rursus igitur eum complectemur in coelo, aliquanto post: & ipse uicissim tibi patri gratias aget, quod ad agnitionem & inuocationem ueri Dei, teneram ipsius mentem instituisi. Hac spe futuræ cōsuetudinis leniamus dolorem. Amisi & ego hoc anno amicos aliquot, & discipulos, quorum fuit excellens uirtus. Nec disputate uobiscum de commoratione filij, cum manserit ut Ecclesiam desertam doceret: manerem & ipse tali loco & tempore. In Abrahamo uidetur mihi indoles mitior esse: hunc curate in studijs philosophicis et doctrina Ecclesiæ diutius exerceri: quem spero uobis uoluptati, & Ecclesiæ usui fore. Et filium Dei oro, ut ipsum & totam uestram domesticam Ecclesiam seruet incolumem. Trado iam in prælectionibus considerationem de Mediatore, propter

Stancari

stancari disputationem. De N. etiam ex Vratisla-  
uia ad me scriptum est: utinam hoc breui curricula  
in littore Baltico foelicius usus esset. Quid enim  
illustrauit? Ac potius mentes abduxit à conspectu  
meriti ac obedientiae filij Dei, & fidem noluit esse  
fiduciam misericordiae. Sed hæc aliàs.

Historica de bellis, notiora sunt uobis quàm mi-  
hi. Ante triduum literas accepi, in quibus mihi si-  
gnificabatur, Marchionem Albertum reconcilia-  
tum esse Imperatori Carolo, & ducere exercitus  
partem contra Gallos.

In Vngaria Turci propter pestilentiam iam quie-  
scunt, quæ inter ipsos etiã grassatur. Oremus Deum,  
ut ipse pro Ecclesijs Pannonicis & nostris pugnet:  
quia uidetis qualia gerant bella nostri bellatores.  
Seruabit filius Dei reliquias Ecclesiæ suæ: & ut ser-  
uet, toto cum pectore oro. Bene & feliciter uale-  
te, Die Elizabetæ, matronæ Pannonicæ, 1552.

Eidem.

S. D. Reuerende & charissime frater: Cer-  
tissimum est, à Deo, qui miranda sapientia & boni-  
tate genus humanum condidit, insitas esse storgas  
erga cognatos: & uelle eum, ut sint cõmonefactri-  
ces de suo amore erga filium & erga nos. Vult nos  
adfici desiderio nostrorum. Ideo pietas est, quòd  
in morte sororis, honestæ matronæ, non sine mœ-  
sticia

sticia estis: sed sit modus. Et cogitandum est, nos debere acquiescere in cogitatione uoluntatis Dei. Sit et hæc consolatio in cōspectu, quod accessit ad dulcissimam consuetudinem Ecclesiæ cœlestis, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Cogito et ego quotidie de hoc itinere, et auidè expecto illā lucē, in qua Deus erit omnia in omnibus, et procul aberūt sophistica et psychopatica.

Quod longiorem enarrationem dictorum Pauli scribi uis: eisi in re manifesta non opus est longa disputatione, tamen in præfatione de illis Pauli dictis, propter iuniores, aliquid intertexam. De conuicijs nihil respondebo: sed sequar Psalmi uocem: Illi maledicebant, ego autem orabam. Scio me, Deo iuuante, uera docuisse et docere, et iudicio Ecclesiæ me et mea semper subieci: fugi absurda et hyperbolica, quæ sunt perniciofa iunioribus, etiamsi in uulgo plausus cient. Te etiam adhortor, ne petas institui colloquium cum aduersario nostro, sed tuo loco dicas necessaria: ut Ioannes apostolus cum Cerintho rixari noluit. Vincet ueritas, quantumuis premere eam maledici conātur. Mitto uobis exempla orationis proximæ. Bene uale. Deus confirmet illustrissimo Principi et uobis animæ et corporis uires. Historica recētissima hæc habeo: quod Romanus pontifex regi Gallico Henrico, qui ante paucos die mortuus est, tribuit ante mortē ius oc-  
cupancæ

cupandi Angliam : quia armari eum uoluit ad de-  
lendas & Anglicas & nostras Ecclesias. Filius Dei  
protegat & gubernet nos. 10 Augusti, Anno 1559.

Reuerendo uiro, N. N. pastori Ecclesiæ  
Dei in arce Bremi ueteri, fratri suo  
charissimo.

S. D. Reuerende uir, et charissime frater: Non  
solum alij multi, sed etiam *ὁ ὑπάγιος* ad me scripsit  
*περὶ βωμολογίας* N. & quidem consolationem ad-  
didit. Delectatus sum ipsius iudicio & beneuolentiæ.  
Consolationes uerò mihi in hac senectâ multo antè  
cogitatæ sunt. Scio Deum uelle, ut rectè docentes,  
& rectè facientes, placidè ferant se uiciam tyrāno-  
rum & præstigiatorum. & fero alios magis ra-  
biosos. Scripsi τῷ ὑπάγιῳ, me opponere omnium  
inimicorum clamoribus bonam conscientiam, & iu-  
dicia piorum & doctorum in Ecclesia. Adiunxi &  
hanc consolationem, cum sciam Deum ueritatis de-  
fensorem esse, non passurum esse spero, ut ueritatē  
extinguant isti sophistæ, etiam me pulso aut inter-  
fecto. Vetus uersiculus est,

*ἄγει δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χεῖρες:*

quod rectius diceretur,

*ἄγει δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν θεός.*

Recito a-  
micis & hanc Tertulliani uocem: Si apud Deum  
deposueris iniuriam, ipse ultor est: si damnum, re-  
stitutor

stitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Hanc sententiam adscripsi, quia tibi iucundam fore sciebam.

Clariss. uiro, D. Conrado Cordato, doctori Theologiæ N. compatri suo  
charissimo,

S. D. Ut igitur Loth erat in Sodomis, & uicinus erat Sem, egressus iam annum quadringentesimum, & Abraham: ita tu Euangelij uocem sonas, & colligis Ecclesiam aliquam Dei inter hostes: ac oro Dominum nostrum Iesum Christum, ut te seruet incolumem, & confortet. Vbiq; multæ & magnæ sunt difficultates. Doleo uicem N. regionis in qua degis: quæ non solum premitur tributis, sed etiam alijs miserijs. Vbicunq; ero, donec uiuo, si ullo genere officij possum tibi seruire, summa fide seruiam: & uolo te forti animo esse. Christophorum spero tibi fore obsequentem: & delaturum honorem, qui seni & bene merito in Ecclesia debetur. Bene uale. Die 27 Septembris, quo primum coepit quiescere arca Noë, ante annos 3840. Deus quæque nunc det quietem Ecclesiæ.

D. D. Medlero superintendenti Braun-  
suicensi, amico suo charissimo,

S. D.

Clarissime domine Doctor, et amice charissime.  
Etsi



Et si scio tibi non deesse consilium: tamē propter amicitiam scribendum esse duxi, de contentione inter te & Morum orta. Naturam alterius noui: ideo cōsulo tibi prorsus, ut nihil scribas contra eū. Si res cognosceretur præsente D. Crucigero, moderatē dicas, quæ necesse est dici. Cæterum cum illo homine nihil contendas. Nostram epistolam ad Morum tibi mitto, etiam de Rectoris sententia. Sed Mori epistolam noluimus cuiquam ostēdere, quæ quidē magis ipsi Moro nocere possit apud prudētes, quā tibi. Scis me non rudem tyronem esse in hac re tolerandarum iniuriarum: nec me pariter simulasse & obruisse silentio insulsiſſimas calumnias: et omnibus amicis idem do consilium. Quia Deus tandem profert uera, & defendet eos qui propter publicam utilitatē priuatæ iracundiæ frenos iniiciūt. Bene uale, & rescribe. Datæ die letiſſimi congressus Mariæ & Elisabethæ, Anno 1547.

Honestissimo uiro, sapientia & uirtute  
præstanti, Ioanni Botigero se-  
niori, S. D.

Honestissime uir, & amice chariſſime, conſolemur nos uoce diuina: Generationi rectorum benedicetur. Nam in tantis confusionibus generis humani, nulla familia conseruari potest solis humanis consilijs & præſidijs. Sed Deus protegit aliquas  
s                      piorum

piorum familias: ut protexit Israelitas in Aegypto, cū iussisset limina conspergi sanguine. Ita et nostras familias Deo curæ esse credamus, et petamus ut ipse nos gubernet et seruet. Mea officia filio uestro non deerunt, præsertim cū eius integritas mihi nota sit. Bene ualete. Die Paschatos, quod est ab exitu ex Aegypto Pascha 3067.

M. Sinapio, Philippus Melancthon S. D.

Deum æternū patrem Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis, et resuscitati, conditorem humani generis, et uerum authorē coniugij ac dulcissimæ societatis maris et foeminae, unde Ecclesiā sibi perpetuam propagare uoluit, oro, ut tuis nuptijs faucat, et tibi et sponsæ tuæ det tranquillū et felix coniugiū: sicut promisit Ecclesiæ, se hæc uitæ genera diuinitus instituta, ad Ecclesiæ conseruationem seruaturum esse. Ego si possem hinc expaciari, istuc uenirē. Sed nunc, ut scit Clemēs, me multæ causæ publicè et priuatim detinēt. Expecto cōuentus Spirensis decreta, quæ tamē spero tranquilla fore. Nam adhuc quidem spes est, Imperatorem edicti Augustani auctoritatem mitigaturū esse: hoc est, doctrinā confessionis nostræ, quæ Augustæ exhibita est, non esse persecuturum. Clementi consiliū dedimus D. Pastor et ego, ut mox ad te proficiscatur.

scatur. Nam subito ordinari publicis ceremonijs non potuit, postea uerò remittes eum: sed Ecclesiam decet largiri ei uiaticum. Bene uale, Die 20 Iunij, Anno 1544.

Amico cuidam Pastori S.

Credas mihi hoc, reuerēde domine Pastor, uerē affirmāti, me summa uoluptate fuisse ad uos accessurum, ut & nostræ non fucatae coniunctionis testimonium publicè ederem: & quod collegæ tuo officium, id etiam tibi æqualiter deberi à me, & promptissimè ac merito tuo præstari, ostenderem: & simul auulsus ab occupationibus, respirandi aliquantulum pauculos dies, & recreandi me uestris dulcissimis sermonibus, mihi sumerē. Sed simul ingruunt hisce paucis diebus tot negotiorū fluctus, uel æstus potius, præsertim post aduentum ducum Pomeranicorum, ut mihi nulla ratione sit integrum hoc tempore abscedere: imò ne quidem tantum mihi nunc uacui temporis conceditur, ut illa ipsa impedimenta occupationum recēseam, atq; me de absentia satis purgare queam. Fretus autem candore tuo, quem noui, sicut scio tibi aduentum meum gratum futurum fuisse, ita non dubito te etiam non uenienti daturum esse ueniam, & nihil inde mali suspicaturū. Quod igitur solum nunc absens possum, & tue pietati debeo, præstabo sedulò, ut ardenti-

bus uotis, uobis in auspicijs istius coniugij filiae honestissimae tuae assistam: & Deum orem, ut illud largiatur uestris faustum, felix, laetum, foecundum & salutare. Addo etiam exiguum munusculū, quod filiae sponsae meo nomine & filiae meae, cum pia salutatione offeres: & me amplissimo Senatui quoque uestro excusabis, & gratias ages pro testificatione suae erga me benignitatis. Deus pater, & Dominus noster Iesus Christus, cum spiritu suo sancto adsit uobis, ac nobis omnibus. Datae raptim idibus Maij. Cupio reuerenter saluari collegam tuum, dominum N. N. & consules utriusque oppidi.

Clarissimo uiro, D. Thomae Matthiae, consiliario inclyti Principis Electoris Marchionis, &c. amico suo ueteri & charissimo,

S. D. Existimo te saepe audiuisse me recitantē epistolā Nazanzeni, in qua se excusat, cur non accedat ad synodum: Quia, inquit, magis accendunt synodi dissidia, quā tollunt. Et ita saepe fit. Vnde miror, quare conuocaueritis dissidentes Stancarum & Musculum, tanquam ad certamen instituendum. Multo utilius esset, diligenter lectis eorum scriptis, & re pie & grauitè iudicata, mandari silentium de falsis opinionibus. Ego uerò non defugio congressum: sed hoc tempore senatus Augustanus nunc

cium

cium ad me misit, ac significant Carolum Imperatorem concessisse, ut ciuitas constituat Ecclesias ad normam Augustanæ confessionis: sic nostram nominat. Petunt igitur idoneos doctores indicari. Hac de re Lipsiæ me cum Sarcerio & alijs colloqui oportet. Quare oro ut Illustrissimus Princeps mihi ueniam det, nunc non accedenti. Miror Lipsici mercatus tempore nos uocari, quo aurigas etiam difficulter inuenire possumus. Ac si controuersia est de propositione, An Christus sit mediator tantum secundum humanam naturam: iam dico meam sententiam planè, errorem esse, dicere Christum tantum secundum naturam humanam mediatorem esse.

Quia ad Mediatoris proprietatem pertinent, non tantum mors, sed ut sit æquiualens precium, & sit uictor mortis. item, ut sit sacerdos, ingrediens in sancta sanctorum: id est, in arcanum consiliū diuinitatis. item, ut sanctificet dato spiritu sancto. Hæ sunt proprietates diuinæ naturæ. Denique longa hac de re commemoratio institui potest. Nec recusò lectis utriusque scriptis, aut coram aut per literas meam sententiam confiteri. Alij etiam ante hoc tempus mecum de hac propositione locuti sunt, qui eruditè de proprietatibus Mediatoris disputabant. Sed hæc coram, uel in scriptis publicis copiosius. Bene uale, & me Illustrissimo Principi reuerèter commendato. Die 3 Octobris.

Venerando uiro, Georgio, præposito Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa ad Spræam, amico suo,

S. D. Venerande domine Georgi: Adolescens, qui literas uestras & pisces attulit, promiserat mihi se ad me rediturum esse postridie, ut petiueram: ac dixerat: me responsurum esse: sed nō redijt. Nunc igitur serò respondeo. Sed tamen semper apud me beneuolentiæ uestræ memoria durat, & manet ac mansura est amicitia. Pro piscibus ago uobis gratias. & mitto enarrationem in Ioannem, editam à domino Crucigero, in qua fortassis alicubi se aliquis uobis locus offeret non insuauis. Mitto & filio uersus de Luthero. mitto ei & aliud dulcissimū Stigelij carmē: cumq; malo exempla talia imitari, ubi Musa libera sententias argumento conuenientes splendidè explicare potest. Bene ualete: Die 6 Maij, Anno 46.

Iusto Ionæ S. D.

Non dubito quin magnopere mireris, cur nihil ad te literarū adhuc post meum reditum dederim, præsertim cum nuncios habuerimus: & ego non ignorem, earum rerum te cupidissimū esse, quas requiris. Ac planè in tam pertinaci silentio dissimilis mei uideri possum. nā aliàs in hoc genere satis officiosus existimari uolo. Ego uerò, mi Iona, sic sum acerbissimis doloribus oppressus, ut omnia officia,  
omnia

omnia studia mihi excutiantur: atq; mortem oppre-  
tere malim, quàm has misérias ferre. Omnes dolo-  
res inferni nos oppresserūt: sed tamen spero, Chri-  
stum remedia his rebus ostensurum esse. Historiam  
narrabo tibi totius conuentus, non ut populus re-  
citât, sed ut nostri ordinis homines, qui occasiones  
& consilia observant: inde intelliges, quæ res me  
in tantum luctum coniecerit. Nemo scit præter me  
& Pontanũ, quæ fuerint totius cõuentus Spiræ ne-  
gocia: una res nocuit nobis, quòd diutius procrastina-  
ti sumus, cum à nobis postularetur ut edictũ ad-  
uersus N. comparemus. In ea contatione, quantum  
mali fuerit, non possum epistola complecti: quan-  
quam iniquitas principum qui nobis malè uolunt,  
causam illi cõtationi aliquam præbebat. Nunc hor-  
ribiliter angor, cum animo pericula reputo, & me-  
tior quæ ex ea re existũt. Christus faciat, ne ex hac  
offensione totius Imperij mutatio sequatur. Omni-  
no infinita sunt, quæ me horribiliter afficiunt his  
de rebus cogitantem, & nunquam non uersantur  
ob oculos. Hic res scholastica pristinum statum te-  
net: Lutherus Dei beneficio ualetudine utitur me-  
diocri. Nouum Testamentum Germanicum reco-  
gnosimus summa diligentia. Alhis iterum intume-  
scit mirabiliter. In Hassia uidi magnũ saxum ui flu-  
minis & testudine templi ita eiectum, ut si arte es-  
set exemptum. Minantur alioqui signa multa. Chri-  
stus



stus respiciat nos, ego non leuiter commoueor his  
rebus. Tu uale feliciter : Vitebergæ, Die 11 Iunij,  
anno 1529.

Ad D. Georgium Schultetum, pa-  
storem in Gebersdorf, prope  
Dama,

S. D. Venerande domine Georgi: Et ipse mini-  
stros Euangelij ex animo ueneror: & ubi possum,  
libenter eis benefacio: & sum hortator omnibus  
meis auditoribus, ut sint memores dicti diuini,  
quod ait, Duplici honore dignos esse eos qui rectè  
docent. Si igitur tibi possem prodesse, facerem  
summa uoluntate. Sed mea simplex uerecundia fuit  
ingrata nescio quibus in ea aula, in qua tu pecuniã  
petis. Nec meis literis responsum est, quas reueren-  
ter scripsi. Et semper Principes illos honorificè  
predicaui: quod bono studio facio, ut alij reueren-  
ter de Principibus etiã loquãtur. Cùm igitur in eo  
loco prodesse non possim, quæres alios deprecato-  
res, quorum ibi plus ualere oratio potest. Scis uo-  
luntatē Principis esse piã: sed mihi apud eum ad-  
uersatur homo nunquam à me læsus, & potius mul-  
tis beneficijs adfectus. Deo meas & publicas ærum-  
nas commendo. Bene uale, 22 Decembris,

1553.

Clarif-

Clarissimo uiro D. Georgio Sabino, in  
inclyta Academia Fracofordiana,  
genero suo charissimo,

S. D. Non solum editio scripti de Norimber-  
gensi cōtrouersia, iter meum ad uos impediuit: sed  
etiam aulicæ compedes mihi iniectæ sunt. Postea ro-  
gatus à tua matre, filias tuas huc in tuam patriam  
adduxi: cras, Deo uolente, reducturus sum eas ad  
meam familiam. Mitto tibi epistolas, quæ mihi ex  
Augusta Rhetica allatæ sunt: addidi & exemplum  
mei libelli, quem recens edidi: in quo in postremis  
pagellis adhortatio addita est de concordia, quam  
optarim tam efficacem esse, quàm fuerunt Terpan-  
dri carmina ad lyram decantata, quibus seditio ci-  
uium sedata est. Bene & feliciter uale. Die septi-  
mo Decembris, 1555.

Reuerendo uiro, Georgio Buchholzer,  
præposito Berlinensi, amico & fra-  
tri suo charissimo,

S. D. Reuerēde uir, & charissime frater: Oro  
filium Dei, ut tribuat faustum & felix coniugium  
pudicæ filiæ uestræ, & genero. Venissem ad sacrū  
nuptiale, si eo tempore fuisset domi: sed profectus  
eram aliquanto antè ad egrotantem Mathesium,  
in uallem Ioachimicam. Illa sola causa impediuit,  
quo minus ad uos uenerim: sed dono testabor meā  
s s benquo.

beneuolentiam, cum primum habebō nuncium mihi notum. Mitto de toga & pallio, quæ subito scripti: nam nuncius properabat. Illud miror, uos suspiciose interpretari, quod non ueni: diligere à me homines Marchicos, multa signa sunt. Habeo filias Marchicas uirtute & forma diuinitus ornatas, quæ mihi certè sunt charissimæ. Multis officijs coniunctus sum cum multis præstantibus uiris in Marchia. Et si quid tribuitis meis scriptis: hæc etiam ostendunt reuerentiā erga illustrissimos Principes Marchiones, ortos à nobilissima Guelforū stirpe: propterea suspiciones istas cum dolore legi. Et ego homo apertus, non delector hoc genere interpretationū, cum S. Paulus dicat: Dilectio non sit suspicax. Bene ualete.

Magna pars Constantinopolis terræmotu disiecta est, et multi homines oppressi sunt ruinis. Deus protegat et gubernet nos. Datæ 4. Iulij, anno 1556.

Eidem.

Reuerende uir, & amice charissime: Prorsus nō aliud respōdeo ad tam atrocem criminationem, de qua audiui etiam antè quàm legi uestras literas, nisi hoc quod Demosthenes dicit: Si uos ipsi, quibus mea uita nota est, talem me esse existimatis, qualem me esse calumniator describit, nulla prorsus defensione utar. Sed profectò unde sit tanta acerbitas

tas odij, ne quidem suspicari possum, cum medio-  
 cria fuerint mea erga ipsum officia: & in hac ipsa  
 deliberatione modestissime indicauerim, me opta-  
 re, ut Ecclesie harum regionum non turbentur. Mul-  
 tas etiam disputationes condonaui publicae paci. Sed  
 nunc non disputo: tantum ad iudicia piorum & eru-  
 ditorum apud uos & alibi prouoco. Video princi-  
 pes uelle certum statum constituere, nec impedio:  
 qui si putant me tollendum, aut interficiendum es-  
 se, ut scio de me tollendo fuisse sermones: fera, Deo  
 iuuante, quicquid accidet. Sed mihi non deesset con-  
 silium refutandi criminationem, si non parcerem  
 Reipublicae. Nihil seditiose, nihil immoderate fa-  
 ciam. Sed donec uiuam, modestè dicam necessaria:  
 & res ostendit, multas à me controuersias non par-  
 uo labore, nec sine periculo explicatas esse. Et hunc  
 ipsum librum Augustanum legens, aliquoties agno-  
 sco in meis uulneribus meas pennas, ut in antiquo  
 prouerbio dictum est. Si uiuam, scribam ad uos plu-  
 ra, & saepius, ubicunque ero. Nam has contumelias  
 non perpetuò dissimulabo. Remitto uobis exemplum  
 libri Augustani, quod ad me misistis: quia ipsi ex-  
 pla multa habemus. Habemus & alium librum, cui  
 titulus est Reformatio, qui uelut interpres est libri  
 prioris. Totam hanc causam, Ecclesiam, & nos o-  
 mnes Deo commendo: quia scio salutaria ab homi-  
 nibus effici non posse, nisi datum sit à Deo: quem  
 quidem

quidem oro, ut uos regat. Pro poculo, quod miseris orphanis meis misistis, ago gratias. Salutem opto uiris integerrimis, qui meo dolore adficiuntur. Bene ualete.

Formulam recitandam ante Canonem, nō legi: nec habeo exemplum. Ideo iudicare non potui.

Schedula tabulę collegij adfixa, ubi causam indicat, cur legere non possit.

Optima quęq; dies miseris mortalibus æui  
Prima fugit, subeunt morbi, tristis q; senectus  
inquit Poeta. Me quoq; senem, & confectū uarijs  
doloribus, lædit iam facilē uocis contentio in hac  
assiduitate: meq; heri grauitē læsum sensi. Quare  
hodie hora nona nō prælegam, sed cras (Deo dan-  
te) prælecturus sum. Die Iouis, post festum Catha-  
rinæ, anno 41.

Reuerēdis. D. D. Ioanni Hornburg, Epi-  
scopo Libusianæ ecclesiæ, excellenti sa-  
pientia & uirtute, &c. patrono suo  
colendo,

S. D. Reuerendissime domine. Quinquā pro-  
pter publicas discordias multorū animi alieniores  
sunt à doctrinarum studijs, tamen scio R. D. T. pro  
sua excellenti sapientia uelle non deleri literas, qua-  
rum

rum cognitio omnibus temporibus necessaria est,  
 & aliquando ad concordiam proderit. Cùm igitur  
 hic Simon Proxenus Budincensis carmen ad R. D.  
 T. eruditè & grauitè scripserit, & mores eius sint  
 honesti & placidi: dedi ei hanc epistolam ad R. D.  
 T. profecturo, ut orarem propter literarum amo-  
 rem, ne grauatim carmen, quod offeret, R. D. T. ac-  
 cipiat. Semper talibus laboribus & officijs sapien-  
 tes gubernatores fouere se ostenderunt. Quare &  
 huius adolescentis officium spero non ingratum fo-  
 re R. D. T. præsertim cùm uena ipsius sit digna lau-  
 de. Mitto & ego carmen de proxima Eclipsi, quæ  
 profectò nouas cõtentiones mimatur: quas ut filius  
 Dei leniat, toto eum pectore oro.

Non plus fata etenim, quàm pia uota ualent.

Bene & feliciter ualeat R. D. T. Die 6. Decem-  
 bris, 1554.

Ex epistola D. Philippi Melanchthonis  
 ad Georgium Raw iuniorem, quæ-  
 dam desumpta.

S. Et quidem cùm in schola sedes, memento te  
 non solum inter æquales sedere: sed unà uersantes  
 purissimos angelos, spectatores esse studiorum ue-  
 strorum, et custodes corporũ. Sic enim inquit Chri-  
 stus: Angeli eorum semper uident faciem æterni Pa-  
 tris. Sic uos comitantur in ludum, assident unà, &  
 redu-

reducunt. Hoc sodalitiū te uereri decet: quod quidem mirificam uoluptatem capit ex assiduitate discentiū, & pijs studijs & sermonibus: & Deo predicat uestra studia, cūq; uos commendat. Quare cauebis, ne uel inertia tua, uel mali mores offendant, & abigant hos uigilantissimos custodes.

Illustrissimo Principi ac Domino, D.N.  
N. Marchioni Brandenburgēsi, Duci Stettinensi & Pomeraniæ, &c. & Burgrauio  
Norimbergēsi, &c. domino suo clementissimo,

S. D. Illustrissime & clementissime Princeps.  
Non dubiū est, legitima imperia & salutare Principes Dei opera & beneficia esse. Id grati cogitare debemus, ut confirmetur in animis reuerentia pulcherrimi ordinis. Adolescentes etiam Principes eo maiore se doctrina & uirtutum exercitijs instruere debent, ut ad munus in genere humano summū accedant non rudes & imparati. Scriptum est enim: Erudimini, qui iudicatis terrā. Gaudeo igitur C.T. optima doctrina de Deo, & de omnibus uirtutibus excoli. Et quidem cogitatione doctrinæ, Deus sese animis piorum communicat. Oro autem Deum, ut studia C.T. adiuuet: et efficiat, ut olim patriam feliciter gubernes, & tua uirtus prosit uniuersæ Germaniæ, sicut multi Principes Marchio-  
nes



nes ornamento Germaniæ fuerunt. Quod C. T. mihi clemēter & scripsit, & aprum misit, ago gratias & pro beneuolentia & munere. Et uiciſſim labores meos Ecclesiæ & Reipublicæ offero. Bene & feliciter ualeat C. T. Die quarto Ianuarij, anno 1558: qui annus ut sit faustus & felix Celsitudini uestræ, & Ecclesiæ, & Germaniæ, faciat filius Dei Dominus noster Iesus Christus: Amen.

Reuerendo uiro, D. Georgio Bucholtzero, fratri suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Scis magnum & singulare Dei beneficium, sobolem, capacem doctrinæ, & habentem inclinationes ad uirtutem firmas. Talis cum sit Ioachimus Blanckēfeld, & patri & adolescenti ipsi talem naturam gratulor. Et Reipub. causa gaudeo, esse aliqua talia ingenia: ac Deum oro, ut hunc Ioachimum & alios honestos adolescentes seruet & gubernet, et faciat ut multi sint uasa misericordiæ, & organa salutaria. Audiui enim eum de aliquibus dialecticis questionibus disputantem, de quibus non solum rectè respondit, sed etiam ornat responsiones moderationis. Ac patrem rectè facturum esse iudico, si eum diutius in studio literarum retinebit, et iubebit initia iuris ciuilis discere, etiam si post bien  
nium

nium uellet eum abducere à studio. Cum autē ipse adolescēs cupiat procedere in doctrinis: multo magis iudico nō abducendū esse à literis. Sed placet mihi, ut sit apud uirum eruditum in iure, ubi incipiat eius doctrinæ principia reflē discere: ac Deū oro, ut & consilium patris, & totum cursum uitæ et studiorum adolescentis gubernet. Bene uale 16 Februarij, 1556.

Iussi ut ad me scriberet de sua uoluntate. Eam epistolam patri legendam exhibeas. Hamburgensis multis ægrotis fuit gratus: ideo illo munere delectatus sum. Ego non admodum frui soleo, sed beneuolentiam honesti uiri magnifacio: & ubi gratificari potero, uicissim meam beneuolentiam declarabo.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater: ut ueniens annus sit faustus & felix Ecclesijs nostris, & eorum hospitij, & pijs Principibus, & tibi & ecclesiæ tuæ domesticæ, faciat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui & ordinē in natura instituit, et metas annorum distinxit, ut testimonia de se illustria ostendat. Profectō metuo hoc anno tribus horrendis bellis arsuram esse Germaniam, Turcico in Pannonia, Gallico in Belgis, uicinali ad Moenum. Nam astrorum positus, eclipses, prodigia, & hominum furores mimitatur bella & rabiem

rabiem docentiū. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet & seruet. Quod filius tuus in Silesiā ad docendam iuuentutem uocatus est, gratulor ei hanc militiam: & sum hortatus, ut in hoc labore utili & grato seruiat Deo: teq; ut hoc consilium comprobet, adhortor. Vtinam ego, etsi tantum fuissē humilis pædagogus: tamen in tali pædagogia ætatis imbecillioris mansissē, de qua dicit filius Dei: Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Quantum solatiū est pro pædago, sedere in hoc coetū iuniorum, qui Deo placent: & docere tenera ingenia, ut rectē inuocēt Deum, & deinde fiant organa utilia Ecclesiæ. Tales coetus aliquos protegat filius Dei inter imperiorum ruinas. Bene uale, Die 20 Decembris, 1555.

Venerabilib. & optimis uiris, uerbi Dei ministris in Northusio, fratribus suis in Domino charissimis, Gratiam & pacem in Christo.

Optimi uiri, uidetis ipsi, quātas in Ecclesia turbas ubiq; excitet Sathan, tot scilicet opinionibus ferē regnantibus, quot sunt ministrorum capita. Vnde & ad me peruenit rumusculus quidā, esse inter uos quoq; subortas quæstiūculas de rebus ualde leuiculis. Nam de summa pietatis, fama uestra adhuc integra est. Nihilominus ut est rude uulgus, &

t      pī

pietatis uniuerſæ contemnens, facile occasione rapit detrahendi, & blaſphemandi etiam ſummos articulos fidei: præſertim apud eos, apud quos ſunt Papiſtæ inflammantes & exacerbantes, & ex ſcintilla incendium conſtantes. Quare uos propter Chriſtū oro, in quo uiuimus & gubernamur, in cuius ſpiritu unum ſumus, ut uelitis gratiā Dei agnoſcere & pōdere, qua nos cōcordes fecit, et hætenus ſeruauit in ſumma pietate, et in præcipuis articulis: & ſicut Paulus ait, nulli offentionē dare in rebus iſtis externis & indifferentibus, imò (ut nunc ſunt Papiſtæ furioſi) noxijs & periculofis ſermonib. apud infirmos, pernicioſis aut apud induratos. Sic erit Chriſtus meus, & regnat inter omnes, cuius mortem & ſanguinē debemus meritò præferre noſtris cogitationibus, ſeu potius diaboli temptationibus. Sed ſicut cœpit in uobis opus ſuū: ita ſeruet et perficiat uſq; in illū diem ſpei noſtræ: Amen.

D. Martinus Lutherus.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholzero, &c. amico & fratri ſuo chariſſimo,

S. D. Reuerende uir, & amice chariſſime: Oro quotidie filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, uetcrem illum ciuem Samariæ, quem uidit in ſcala ſtantem

stantem uiator Iacob, ut ipse uulnera nostra sanet,  
 et non sinat fieri maiores distractiones Ecclesiarū.  
 Multas iniurias etiam propterea dissimulo, cū mi  
 hi non desint arma. Vos etiam adhortor, ut incli-  
 tum Principem Electorem Marchionem oretis, ne  
 sinat edi scripta, quæ sint classica nouarum dissen-  
 sionum. Si noster cursus est ex Deo, non uincēt ca-  
 uillationes futes, ut multæ nobis obiectæ sunt mul-  
 tis annis. Deo iuuante redibo Vuitebergā ante Ca-  
 lendas Ianuarij. Sed de mittendis filijs expectate  
 meas literas. De Repub. nihil noui scio, nisi quod  
 scribitur ex Noriberga, decem naues in mari Tyr-  
 rheno à Gallo captas esse: et magnam esse poten-  
 tiam classis Turcicæ in mari, et periculum esse Ita-  
 liæ et Hispaniæ. Impendet finis regnorum. Oremus  
 Deum, ut seruet Ecclesiæ reliquias. Bene ualete, die  
 14 Decembris. Torgæ, Anno 1553.

Salutem opto reuerēter uiro optimo D. Docto-  
 ri Hieronymo, et toti eius ecclesiæ domesticæ, et  
 D. Matthiæ, et uobis omnibus. Iterum ualete.

Clarissimo uiro, D. Christophoro Pan-  
 nonio, amico suo charissimo,

S. D.

Cordatum uenerandum senem tibi commenda-  
 ueram, sed Deus iter eius ad uos impediuit. qui si  
 istuc uenisset, et uidisset exortum ex causa non mæ

xima tantum dissidium inter duos professores doctrinae coelestis, profectò magno in dolore fuisset. Doleo & ipse diuelli nostra agmina, & uoluntates hominum à doctrina coelesti alienari, propter non necessarias contentiones. Hortatus sum Musculum, ut aut omittat propugnationem suae opinionis, quam uideo displicere multis bonis et doctis uiris: aut certè agat lenius. Quid opus est eum inferre bellum omnibus omnium nostrarum Ecclesiarum doctoribus, & anteferre illis idolorum cultores: propterea quod dicunt, temperantiã esse necessariam, & ieiunium ceremoniale non esse necessariam: ieiunium certi temporis bidui aut tridui, ut loquitur? Quæso ut tu quoq; ei sis hortator, ut communem cõcordiam tueatur. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem tibi non ingratam fore arbitrabar. Bene uale, & rescribe. 1546.

Venerando uiro, D. N. N. Diacono Ecclesiae Dei in urbe Stendalia,  
amico suo,

S. D. Reuerendus dominus pastor Ecclesiae nostrae, doctor Ioannes Bugenbadius cupit te in Pomeraniam, in aulam episcopi Caminensis mittere, ut ibi non solum cõcionatoris munere fungaris: sed etiam usui sis in Ecclesiasticis controuersijs audientis: meq; iussit ad te scribere, ac explorare tuam uoluntatem.

luntatē. Omnino locum honestum, & ingenio tuo, de quo ambo præclare sentimus, dignam tibi promittit. Et spero utiliter te patriæ in ea gubernatione servitutum esse, si mandari tibi eam functionē fines. Quæso, ut mihi respondeas. Literas mittere D. Hieronymus Staude, aut Magister Laurentius poterit. Bene uale. Die 12 Augusti.

Nobilitate generis & studijs literarū or-  
nato, Vuolfgango de Eisenberch, a-  
mico suo,

S. D. Mea officia non defutura fuissent adole-  
scenti, de quo scribis, si ad me cum tuo testimonio  
uenisset: libenter enim amplector tuos, propterea  
quòd de tuo ingenio semper bene existimaui. Sed il-  
le adolescens, quisquis est, si non habet certam con-  
ditionem: meo iudicio rectius faciet, si non prope-  
rabit ad gradum. Titulus aliquid habet oneris. ui-  
des meum exemplum: nemo me perpellere potuit,  
ut illum quamlibet honorificum titulum Doctoris  
mihi decerni sinerem. Nec ego gradus illos parui-  
facio: sed ideo, quia iudico esse magna onera & ne-  
cessaria Reipublicæ, uerecundè petendos esse, &  
conferendos, sentio. Ad D. Georgium ideo nōdum  
pastorem misi, quia cœlibem adhuc inue-  
nire non potui. Vale, 6 Maij, An-

no 47.

t 3 2 Reue-



Reuerendo uiro, D. Georgio Bucholtzer, fratri suo charissimo,

S. D. Reuererēde uir, & amice charissime. Scripsit hic Simon Proxenus carmen de Moyse feriente petram. Id offerre decreuit Episcopo Libusiano. Quæso, ut adolescentem consilio et commendatione iuuetis. Ego etiam uobis carmen de eclipsi mitto, quæ profectò minitatur noua certamina. Sed oremus filium Dei, ut nos regat, & in his regionibus semper Ecclesiam aternam sibi colligat: & tribuat salutarem gubernationem, pacem & concordiam Ecclesijs & imperijs harum regionum. Nuper exhibui pecuniā, quam Ionæ filius attulit, filio uestro: ut significasse etiam uobis arbitror. Bene ualete, Die 6 Decembris, Anno 1555.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Et si arbitror uos iam uidisse exemplum nostræ admonitionis de libro Augustano, scriptæ communi deliberatione breuiter & modestè: tamen quia petiuiſtis, mitto. Nec prohibeo ostendi omnibus, qui uidere uolunt. Imò doctissimos uiros in Academia Francofordiana iudices esse facile patior. Nec dubito uirum clarissimum D. doctorem Hieronymum, de iustificatione desideraturum in libro Augustano sinceritatem.

ceritatem. Mitterem & ipsum librum Augustanū,  
 si plura exempla haberem. Sed mihi credite, multa  
 futilia sophismata libri Augustani prorsus non at-  
 tigi. Opto & ego pacem & concordiam Ecclesia-  
 rum. Sed liber Augustanus nec ad ueritatem, nec ad  
 concordiam erit utilis, ut aliquanto post res ipsa o-  
 stendet. Meum igitur consilium eò spectat, ut cum  
 hac uia, quam liber Augustanus proponit, nō pos-  
 sit illa aurea ætas, quam nobis promiserunt literæ  
 quorundam ex conuentu Augustano scriptæ, con-  
 stitui: potius nulla fiat mutatio in Ecclesijs harum  
 regionum, nec pellantur pij & docti pastores, nec  
 turbetur inuocatio piorum hominū. Nec tamē cer-  
 tamina mouebo, si alij uolunt mutare Ecclesias: sed  
 discedam, Deo gubernante, in alia loca: quia seui-  
 tiam, quæ suscipietur aduersus pios pastores, ne-  
 quaquā adiuuare uolo. Bene ualete. Die natali Du-  
 cis Ioannis Friderici, iusti & pij Principis.

Egregia doctrina & pietatē prædico, D.  
 Georgio Sabino, pastori in Tangermūd,  
 magistro honestarum & liberalium  
 artium,

S. D. De scripto Illustrissimi Principis, iam  
 sepe & alijs respondi. Probo Articulos doctrinæ:  
 & probare eos hīc etiam cæteros intelligo. De ce-  
 remonijs uerò humanis audio uisitatores etiam

*neav* adhibere: ideo non deferres etiam Ecclesiam, Spero Principem, his qui cum iudicio & modeste quosdam inutiles ritus, quos in scripto retinuit, abijcient, nō aduersaturum esse. Vbi sunt abolita, non restitutorū esse opinor: eaq; de re ad quosdam magnæ autoritatis viros scripsi, et tibi alias scribam copiosius. nunc enim impediō oculorū morbo. Hunc scholasticum, qui istic erit hypodidascalus, tibi & scholæ gubernatori commendo. Saluta reuerenter meum conterraneum Hieronymum Stauden: mit- tam eius liberis, rogatus à Cordato, præceptorem. Bene uale, & rescribe. Die 13 Septembris, 1540.

#### DE CHRISTI VESTITV.

Reuerēdo uiro, D. Georgio Buchhol-  
tzero, fratri suo charis-  
simo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Cū nuper breuius scriberem, non addidi, quæ de cæte- ris uestium figuris aut nominibus addenda erant. Toga fuit Romana, & distincta figura ab aliarum gentium uestitu: & aiunt Arcadicum fuisse, & exi- stimo ab Euandro in Italiam illatum esse. Pallium fuit Græcorum & multarum gentium exterior ue- stitus: & aliud longum erat, aliud uerò breuis pe- nula. *φαινόλης* fuit seruorum, cursorum, publica- norum, &c. uestitus.

Præter

Præter has figuras fuit exterior uestis senatoria, quæ fuit prorsus similis tunicæ honesti sacerdotis, longæ: cum manticis nec angustis, nec laxis, sed mediocribus, ut antiquæ statuæ ostendunt. Et tali ueste usum esse Christum, est consentaneum: quia ciuis fuit in municipio Capernaum. Non igitur in-cessit palliatus, ut Pharisei aut uulgus: sed indutus tunica senatoria, ut honesti homines in municipio Romano.

Latinis nomen stola de muliebri uestitu usurpatum est, quod tantum ostendit textus in Iure: sed in Græca lingua stola est illa longa honestior uirorū tunica. ideo in Euangelio de filio prodigo, fit mentio stolæ primæ. Et apud Xenophontem Cyaxares mittit Cyro stolam, audituro legatos in uestitu senatorio. Itaque rectè iudico Illustrissimum Principem de ueste Christi existimare, non pallio usum, sed illa honestiore seu senatoria tunica. Scribā aliàs plura. Bene uale, Die Laurentij, Anno 1556.

### Amico cuidam.

S. D. De etymologia nominis Mariæ, accuratius cogitandum censeo. Etsi autem multi interpretantur amaros dies: tamē hanc etymologiam rectior rem iudico, Miria seu Maria doctrix populi. Ideo nomen magis conuenit & sorori Moisi, & matri Christi. Nā mater Christi ubiq; repræsentat Eccle-  
t s siam.

fram. Hæc uerè doctrix est populi. Hanc omnibus officijs ornemus. Hæc breuiter nunc tibi scribo : ac uolo te mihi significare, an meæ literæ in Margarithi monte sint redditæ. Bene uale.

### Amico cuidam.

S. D. Nomen oppido Perleberg, quod patriæ tuæ uicinum est, non ab urſa, ſed à margarito derivari uolo. Cùm filius Dei Euangelium margarito conferat, nominis ſonus eruditis gratior eſſe debet. Scribitur autem, margaritum gemmam naſci in concha ex rore: & generoſiſſimum eſſe, cum ros excipitur inter tonitrua & fulgura. Sic Eccleſia paſcitur rore cœleſti, inter afflictiones. Etymologia eſt amara cruſtula, margarith : quia Euangelium eſt fermo crucis. Indica gens non adpellat margaritum, ſed Bargarith, quod eſt puriſſima cruſtula. Hanc commemorationem ſcripſi ſenatui Perlebergenti, quem hortatus ſum, ut Margaritum uidelicet ornet ſcholæ conſervatione, communeſactus nomine urbis. Eas autem literas ad te mitto, ut cures ſenatui Perlebergenti exhiberi. Hoc tuum officiũ mihi gratum eſt. Patri tuo, uiro prudentiſſimo, ſalutem opto. Bene uale: quarto Maij.

### De conſuetudine cibum capiendi apud ueteres.

Fuit antiqua cõſuetudo, ut accumberet ad menſam:

Sam: sicut Christus sedet, quando mulier peccatrix (Lucæ 7) contrectauit eius pedes. Pedes erant positi in scamno, seu lectulo. Pictores nõ rectè imitantur pingentes Mariam Magdalenam, quæ non sub scamnis, sed in lectulo Christi pedes osculata est.

Triclinium uocatur: quia fuerunt tres lectuli ad mensam collocati. Fuitq; hæc consuetudo: homines sapientes defatigati laboribus, semel comederunt. Venientes uerò ad mensam, quo melius acquiescerent, unusquisq; occupabat integrũ lectũ: sic mensa debet esse locus quietus, & non Centaurorũ stabulum. Ideo assidebant tres: quia numerus ternarius conueniens est colloquijs. iuxta uetus prouerbum: Tres conuiuium, nouem conuiciũ. Item dialogi sunt plerunq; trium: duo sunt colloquentes, tertius est quasi arbiter interloquens: ut est in dialogis Platonis. Omnia exempla antiquitatis uerè habent aliquam pulchram & grauem causam.

Illud autem dictum, quòd antiquitas tantum semel comederit, non est intelligendum de messoribus, seruis, aut pueris. nam tales sumebant ientacula. Sed honestiores, grandiores natu, et occupati cõsilijs, non coenabant: inde sunt hi ueteres uersiculi: Sex horæ tantum tribuantur rebus agendis:

Viuere post illas litera zetha monet.

Tempus matutinũ à sexta usq; ad duodecimam horam deliberationib. & negocijs tribuebatur: de  
inde

inde se relaxabant, lauabant, ita ut circa horam secundam aut circiter comederent. Vesp̄eri uerò citò se cubitum conferebant, ut postridie uenirèt promptiores ad negocia. Ille ordo cōueniens est naturæ.

EPGRAMMA, DOCENS QVQ-  
modo Romani diē transegerunt, & quos  
labores seu negocia singulis horis  
attribuerunt.

Prima salutantes, atq; altera detinet hora:

Exercet tantos tertia causidicos.

In quintam uarios extendit Roma labores:

Sexta quies laxis, septima finis erit.

Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,

Imperat extructos frangere nona thoros.

Hora libellorum decima est euphema meorum;

Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Et bonus æthereo laxatur nectore Cæsar,

Ingentiq; tenet pocula parta manu.

Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti

Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

Venerádo uiro, D. Gregorio Prętori, pa-

stori Ecclesiæ Dei in Gebersdorff,

amico suo,

S. D. Venerande uir. Est quidē ualde reprehenda  
populi impietas, qui fidelibus Euangelij mi-  
nistris,



nistris, ne quidem debita stipendia soluit. Sed nō minus accusandi sunt magistratus, qui populum non cogunt, ut soluat debitum. Tu tamen petito auxiliū à tuis magistratibus. Circumspēctes ipse etiam locum commodiorem: ac si ego nactus fuero aliquam occasionem te iuuandi, libenter tibi opem feram. Iustissimum enim officium est, & maximè necessariū, pios Euangelij ministros diligere, iuuare & tueri: sicut Paulus iubet excellenter eos diligi. Bene uale: Die 13 Februarij.

Reuerendo uiro, D. Ioanni Bugenhagio,  
doctori Theologiæ, Pastori Ecclesię Dei  
in oppido Vitebergę, patri suo char-  
rissimo, S. D.

Reuerende domine Pastor. Etsi in tanta sollicitudine uestra de periculis publicis non libenter onero uos negocijs: tamen causa uiduę Martini æconomi, indiget uestro patrocinio. Erit felicior defensio, si erga uiduas & orphanos erimus benefici. Scripsi de bobus ad quæstorem, & ad consulem. Tantū hoc petimus, ut negocium illis commēdetis. Rem petit iustam, ut aut emanent ibi boues, aut conce datur ut ipsa abducat eos. Bene & feliciter ualete: Die 22 Nouembris.

Clarif-

Clarissimo viro, D. Ioanni Marcello, col-  
legæ & amico suo charissimo,  
Philippus Melanchthon

S. D.

De adolescente qui furtum fecit, audiuius de-  
cretum esse, ut Argeliam transfuehatur: haud dubiè  
*διὰ τὸν βασιλισμὸν*. inquirèt, quos habuerit sub-  
ornatores & socios delicti, quale sodalitiū, qui ser-  
mones \* *τραλλονταὶ ἐν πλειθὰ*. nosti quàm sunt in  
hoc genere diligentes aulæ. Deinde delictum eo ma-  
ius est, quia in arce factum est: & muneri Princi-  
pis, & xenio reginæ dato, manus iniectæ sunt: & il-  
lud Homericum meministi,

*Δενὸρ ἦ μένος βασιλῆιον ἐστὶ βλάβηεν.*

Itaq; cū frustra nos deprecatorios esse iudica-  
rem, & aliquid turpitudinis & suspicionis habi-  
tura deprecatio uideretur, omittendum esse censui.  
Discat iuuetus, non semper eludi posse legem, quæ  
minis & metu poenarum coherceat errantes impe-  
tus. Et uult Deus in poenis politicis nobis omnibus  
proponi commonefactiones. Cedamus igitur uolū-  
tati Dei, & legibus: & Deum oremus, ut nos re-  
gat, & has exiguas & miseras Ecclesiæ suæ reli-  
quias seruet.

Deliberationes hic fuerunt honestæ, ne Eccle-  
siæ turbentur instauratione uitiosorum rituum, ut  
coram narrabo. Spero etiam nos hodie iter ingres-  
suros

paros esse, quod narrabis hospiti nostro Hieronymo Stauden, amico & uiro integerrimo : cuius animum in hoc luctu ut à mœrore omnib. officijs et suauitate sermonum abducatis, magnopere uos hortor. In ea re ad uestra officia meum studium adiungerem, si isthic essem. Nunc absens Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ, oro, ut nunc adfirmet, se inter mœrentes, qui ipsum inuocant, habitare: seruet & regat Hieronymum, & cœlesti læticia pectus eius exuscitet. Electionem magistratuum Academiæ opto faustam & felicem esse. Bene uale, 19 Octobris, Anno 1548.

BERNARDO MAVRO  
S. D.

Ad Dialecticæ & Rhetoricæ studium, item Erasmi de Copia & Chiliadum lectionem hortatoria.

Fœcunda fuit epistola tua, mi Bernarde, quæ senas unica literas hætenus apud me tibi peperit. Illas uerò, siue tuarum literarum elegantia emerebatur, siue amicitia nostra, plurimi quidem fiet utrumque: hoc, quod ab amici officio absens, nō cecideris: illud, quod in literis adhuc tuis, hoc est, bonis, quibus antè solebas cum tecum agerem, uersari uideris. Quod cum re ipsa dignum est laude, tum pro

usu studiorū tuorum difficiē. Sic enim existimo, magna ex parte ad impuras istas & indoctas literas animum cogi tuum, quæ solæ hoc tempore dicuntur philosophicæ. Vincit enim persuasio hominum nostrorum, ut *πρὸς γυμνασια* bonorum studiorum degenerem quandam & dilutam philosophiam præscribant. Ibi si ingenio non uoles abuti tuo, & id quicquid est uel ocij uel temporis, lucrificare reliquis studijs tuis: necesse admodum erit, acri iudicio rem adeò insynceram temperes, & astu quodam hanc Lernam adoriare. Nam crede mihi, alia est literarum ratio, qua ingenium, qua mores, qua rerum communium sensum erudias. Et paulum quæso auoca animū à uulgi opinionibus, suoq; literas pede metire: tum intelliges, & impuras illas multis profectò modis noxias esse, & his honestis uerè illud ipsum *τὸ καλὸν* suæ & natiua facie percipi, quam ferè res bonæ aliæ nube quadam tegūt, et nescio in quam *ἄϊδος* *λευρόν* claudunt solæ literæ sub lucem, sub bonorum oculos *ἀνίβλητον* & non adulteratam tantum non undiq; conspicuam exponunt. Dolet animo, eas iacere literas, quibus deuictis, sacra omnia & prophana conspurcari cœperūt: quod ut intelligas, ab ipsis puericiæ rudimentis coniecturam cape. Publicus quondam mos fuit, percepta re grammatica, rhetorum curæ pueros commendare: quibus authoribus, omni genere humanorum

manorum studiorū alebantur. Sic uniuerſa tractari ſolebāt, ut eorum eſſet uſus aliquis dicendo, iudicando. Exercebatur iuuetus pulcherrima ratione, cum propoſitis thematis declamaret: qui labor & animū & uires augebat. Ibi ſuus literis honos conſtabat, ibi fructum literarū ſentiebant ſcholæ. Quid enim refert commemorare, quā multa, quā felicia monumenta ex illis uſq; ſcholis noſtra ætas habeat? Rhetoribus ſucceſſerunt, qui iuuentutem dialecticis illis inconditis, ut modèſtè dicam, imbuunt: quam ſanè probaturus eram, ſi aliquem ipſi uſum eorum agnouiſſent. Nam & dialectica amo: & ſic mihi de illis uidetur, neminè rectè erudiri poſſe, qui non & illa diſcat. ſed nugæ horum temporum nolo, quibus factū eſt, ut pro Apoſtolicis literis, ſophiſticas habeamus: pro Nazianzenis, Auguſtinis, Lyranos, Carrucanos, Sententiariorū ſex milia. Quos ut non eſt meum, nec in ordinem cogere, nec eximere numero: ita hoc, quanquam & fortiter & audacter ſatis, auſim dicere, parū admodum in ijs eſſe, quod cum ſpiritu illo Euāgelico rectè cōueniat. Ex quo grege ſunt, quibus nondum ſatis Eraſmus probatur, qui primus, etiam doctorū iudicio, Theologiam ad fontes reuocauit. Capnionem factio iſta non eſt paſſa, à flammis, ab incendio pulcherrimas bibliothecas aſſerentem. Martinum Lutherum ferre non poteſt, quòd recta moneat, Adcò ex uerè do-

Etis nemo est, cui non fuerit haftenus ab audaci im-  
 peritia periculum. Sed reflorescunt favore superum  
 bonae literae, et erigunt sese passim. Quanquam ad-  
 huc partes egregie suas tutantur, qui uulgo scho-  
 lis ἀνθρώπων philosophica pendunt: quae si qua  
 fortuna possent castigari et purgari, magna fie-  
 ret accessio (sic enim uidetur mihi) bonis studiis.  
 Ac nisi me fallit opinio mea, ex dialectica pendent  
 omnia, quae ut sunt initia studiorum, reliqua ex suo  
 modo temperant. Vigebant literae quondam, quum  
 et illa esset salua, hoc est, cum paribus officiis diale-  
 ctica et rhetorica iuuentutem erudirent. Iam explo-  
 sa est scholis rhetorica, uide quam sit exigua, quam  
 sit manca, quam sit inutilis dialectica: ut uel hinc  
 agnoscas, quanti referat, οὐτὶς δὲ ἐρχομένῳ.  
 Est apud nos in Saxonibus uir quissimam iuxta bo-  
 nus ac literatus, cui crebra est de rectis literis men-  
 tio, qui per iocum rogans quendam ex isto gene-  
 re professorum, quam sibi frugem uideretur ex A-  
 nalyticis posterioribus Aristotelis fecisse? Tum il-  
 le, architectona factum: qui nescio quas illic geome-  
 tricas demonstrationes didicerat. Ridiculè quidem,  
 sed uerè. Quid enim aliud peteret ex hoc tam cæ-  
 co et inadito specu, ut ne ad limina quidem tuto  
 peruenire liceat? Id genus exempla si uoles, et à  
 tuis pete. Perpauci enim sunt, qui hoc ipsum ge-  
 nus studiorum intelligant, quo aluntur: sic enim abu-  
 timur

timur Musis. Quare uisum est mihi paucis, idq; dā-  
 biter tantum, notare, qui dialecticorum, qui rheto-  
 ricorum usus sit: & illa quomodo è suis authori-  
 bus peti commodè possint. Fortasse uideber nu-  
 gari aliquibus: sed ueniam mereor, qui hisce quali-  
 buscunq; nugis in uiam reuocare studiosos conui-  
 tor. Alioqui satius fuerit interim, si quid erat ocij,  
 felicioribus nugis impendisse. Primum omnium, ut  
 dialectica non ulla ratione alia discuntur, quàm  
 ut horum temporum moribus satisfiat: ita sunt qui  
 rhetoricam arbitrantur modum epistolarum scri-  
 bendarum, aut falsas principum laudes: ipsorum e-  
 nim uerbis utor. ubi, te quaeso, quid istis facias ho-  
 minibus? Equidem hæc inuitus cōs ἐν ὁπ̄ ἔσῃ, et  
 præter decorū attingo: sed admonitos oportet stu-  
 diosos: & interim mei rationem non habebo, dum  
 illi sapere incipiant. Nam ut scias quæ sit ratio stu-  
 diorum de quibus dico, commune argumentū est et  
 rhetori & dialectico. hic intra fines propositi ne-  
 gocij uelis paulū contractioribus nauigat, ille e-  
 uagatur liberius: huius ad docendum, illius ad mo-  
 nendum est accommodata oratio: quem in modum  
 fertur Zeno, quicumq; is fuit, cum dialectica rheto-  
 ricam contulisse. Proinde dialectica primum tra-  
 denda sunt, in quibus iudicium artis, et τῆς μεθόδου  
 fines, inuentionis loci, argumentorum figuræ, col-  
 locandi ratio facilius cernitur. Est enim dialectica,

u 2 cuiusq;



cuiusque thematis propositi exacta & artificiosa  
 peruestigatio. ut si de officio dicendum sit, exigit  
 ars, ut primum finitione declares officium. deinde  
 subijcias partes: quas si inter se cōpares, erūt qua-  
 dam officio affinia, quædam contraria. Quo exem-  
 plo, si quicquid omnino incidere agēdum, trahes,  
 dialectici munere fungēris. Fuit hæc quondā exer-  
 cendæ iuuentæ consuetudo. unde sunt adhuc in no-  
 stris scholis congressus illi, quos disputationes uo-  
 cant. Tum si iecerit fundamenta *διαλέξεως* usus,  
 omnino ad communes causas perducendum adole-  
 scentem censeo. In his locos cōmunes uitiorum, uir-  
 tutum, fortunæ, mortis, diuitiarum, literarū, & si-  
 miles exerceat. Quo futurum est, ut animū ad sum-  
 mas disciplinas instructum efferat: de aliorum scri-  
 ptis non improbè iudicet, ipse commentari noua  
 possit. Ad hoc plurimū cōducet, formas locorum  
 cōmuniū diligenter notatas in manibus habere, ut  
 si quam sententiā, si quod adagiū, si quod *ἀπόφθεγ-  
 μα* dignum quod in Tabulas referatur, exceperis,  
 suo recōdas loco. Accedūt fabulæ, quæ ut plurimū  
 possint, allegoriæ præstant: cuius generis Plato, et  
 qui ad illum proximè accedunt, artifices sunt. An  
 potuit explicari Homericū moly prudētius, quàm  
 est à Maximo Tyrio expositum? Et uides quantum  
 in Silenus Alcibiadæ sit Erasmus. Vt in alijs admi-  
 rādus, sic ea declamatione, nescio quo modo seipso  
 mihi

mibi maior uidetur, ac planè γυνόισι τοῖς πλείοσι,  
 & ut Sophocles ait, Δεινὸν πρὸς ὧν πορ referre. Inte-  
 rim è manib. tuis ut excedāt Erasmi de Copia, Chi-  
 liades adagiorum, ne committe. Dici non potest,  
 quàm ijs operam sis locaturus utilem. In hoc studio  
 ram ueluti campo qui iuventam exercuerit, uiriū  
 sanè multum ad sublimia feret. Organon dialectica  
 ministrabit, ut si qua inciderint fortè, habeat ceu  
 syluam orationis, & artificium, quo argumenta  
 rectè dispēsset. Augebit splēdore rhetorica, quæ om-  
 nium sibi artium ornamenta asserit. Atq; ex his est  
 demonstratio, quam in dialecticis docet Aristote-  
 les: id est, euidentis & ordinata rei cuiusq; exposi-  
 tio: unde omnium argumentorū riui ut è fonte du-  
 cuntur, ampliſſima differendī materia. In hoc Ari-  
 stotelis dialectica debebant legi, in hoc à Cicerone  
 multa, multa à Fabio scripta sunt, quæ partim im-  
 peritia nostrorum hominum iacent neglecta, par-  
 tim indoctis commentarijs obscurata sic discuntur,  
 ut præstiterit ea non attigisse. Sed hæc ego for-  
 tasse longius. Quanquam ita sit conditio rei, ut nisi  
 obtundas & frangas hoc hominum uulgus, nihil  
 agas. Ego uerò de rhetoricis pauca, neque per o-  
 cium, ob hoc potissimum scribo, ut doceam qui sit  
 dialecticæ usus, nec probari mihi ulla ex parte no-  
 stri seculi commētarios: tum si qui recta uia literas  
 aggredi uolent, ad rhetorū præcepta statim se con-  
 uertant,

ferant, nihil in ullo genere studiorum promoturi, nisi hæc meditata teneāt. Tu quoq; è re tua feceris Bernardè, si è nostro consilio studia comparaueris tua. Vale, Vuitembergæ in Saxonibus, mense Ianuario, Anno 1519.

### Amico cuidam.

Intellexi te uxorem duxisse: quòd si ita est, precor ut consilium tuum Christus fortunet: quandoquidem ipsius authoritatē in eo uitæ genere ingrediendo, maximo cum periculo sequi uideris. Neque uerò duxi, te aduersus inique hominū iudicia mea ratione cōfirmatum esse. Non enim dubito quin & prospexeris antea, quæ dimicationes, quæ tēpestates subeundæ essent in hac causa: nisi contra omnes casus atq; impetus non solum ratione, sed etiam pietate muneris prospexeris. Quod cum ita sit, nolui de hac re scribere longius. Tantum illud duxi admonendum esse, quòd ad consolationē, meo quidem iudicio, non est inutile. Tuum exemplum ad alios bonos uiros in causa optima confirmandos plurimos ualebit. Atque inter cæteras causas quæ te bene sperare iubent, hanc quoq; cogites: quòd aliqua ex parte ad publicum Ecclesiæ exemplum pertinet. Quare & gratius Deo iudicandum est, & diuinitus singulari clementia defendetur. Bene uale.

Amico

Amico cuiusdam, P. M. S. D.

Reuerende uir. Non dubito te, ut cæteros bonos uiros, in hoc tam triste bellum intuentem, et præsentem ærumnam magnarum gentium, et magnam confusionem gubernationis futuram ad posterum, magno cum dolore recessisse. Verè nunc illud tempus est, de quo Esaias inquit: Angeli patris amare flebunt. Incidit ætas nostra in mundi senectam, de qua prædictum est, maiores nunc confusiones piorum et Ecclesiæ futuras esse. Sed tamen hac consolatione nos sustentemus, quòd Deus semper sibi aliquam colligit Ecclesiam, et seruabit (ut Esaiæ uerbis utar) semē sanctum: quod in eo coetui seruabit in quo erit doctrina Euangelij. Hæc spe et ipsi doctrinam propagemus, et adiuuemus discipulos, donec possumus: quod te isthic fideliter facere intelligo, cum et in templis et in scholis doctrinam gubernes. Cum autē intellexissem isthic quosdam iuuenes scholā, Dei beneficio, et grauissimo consilio Senatus, bene constitutā, turbare: dolui, et tibi et alijs ad mœsticiam communem etiam hanc molestiam accdere. Deq; ea re quid mihi uideretur, amanter ad te scribendum esse duxi. Etsi enim neminem decet in aliena Republica πολυπραγμοῦν: nec ego mihi hoc sumo, ut neq; isthic aliquid præcipiam, cum fœdus commune esse debeat docentium. Speraui te meas literas boni consulturum esse.

esse. Audio quosdā de noua schola instituēda deliberare. Et si cōsiliij causas penitus non noui: tamē arbitror ad Ecclesiæ & ciuitatis concordia, & ad iuuenturis disciplinam retinendam melius esse, in eadem schola, uelut in ijsdem castris, omnes doctores & auditores conuenire. Nam diuersa docētium agmina haud dubiè discordias accēsura essent. Quare, ut ego existimo, habebunt consules rationē concordie publicæ: si eris hortator, ne præsens schola diuellatur, præsertim cum in ea rectè instituta sunt studia, & disciplina honesta sit, & doctores sint concordēs. Vidi ordinem lectionum: noui eruditionem & facundiam eorum, & iudico eorum industriam iuuentuti prodesse posse. Sed hæc turbulenta ætas ut alia multa mala, ita etiam ingenia iniquita non pauca genuit. Facile igitur credo, bonis uiris isthic docentibus non deesse obtrectationes. Ac nominatim audio N. sedulitatem, qui erotemata edidit. Ipse autem usu comperi, prodesse discētibz talia interrogationum exempla. Nec dubito peritorum iudicia hac de re cum meo iudicio congruere. Ideo initio probaui editionem libellorum. Audio et alias fabulas, quas cum res ipsa refutet, nō est opus longa oratione apud uirum grauem. Et scholæ gubernatores ipsi prædicant tuam erga se beneuolentiam, sese tua authoritate defendi narrant. Quod cum tuo iudicio fiat, nihil opus est mea cohortatione:

tione: sed tamen ad te scripsi, ut nostra quoq; probari ingenia, & eruditionem illorum qui nunc iuventutem erudiūt in urbe nostra, scires. Teq; oro, ut & ipsos & scholæ authoritatem & concordiam tueri non desinas. Scimus genus humanū præcipuè cōditum esse ad agnitionem Dei, non solum philosophicam: sed etiam ad illam ueram, cui præluet doctrina, in qua Deus prodiens ex arcana sede hominibus se patefecit. Ideo harum rerum cognitio præ omnibus rebus humani generis præcipuè est ornamentum. Quare iustissimum est, & fideliter defendi eos qui rectè docent. Cæterum cum hoc tempore Academiæ in his regionib. dissipatæ sint, mihi placeret uestræ scholæ addi lectorem, qui Arithmeticen & elementa de circulis cœlestibus traderet, ijs qui iam Gramaticè didicissent. Et hunc lectorem uelim Rectori parère. Nam ataxia mali exempli est. Vt olim poetæ finxerūt, Iusticiam pulsam è magnis urbibus, rure aliquandiu mansisse: ita nunc literæ pulsæ ex principum ditionibus, in quibus delentur bellis ornamenta multa, rursus in ciuitatibus honestis hospitem quæerunt. Ac omnes potentes, quantum possunt, decet omnibus uiribus literas ab interitu uindicare. Quia extinctis literis, etiam doctrina cœlestis amittitur: quæ ut seruetur, præcipua cura omnium hominum esse debet.

Postremò te oro, ut hanc epistolā summo cando-

De animi scriptam boni consulas. Bene uale, Anno 1547, die 27 Aprilis, quo Nohe egressus est ex arca, ante annos 3850. Vidit Ecclesiam mirādo modo seruata[m] esse: quam ut nunc quoq; seruet Deus in magnis periculis fluctuum, & nos ardentibus uotis oremus. Et sicut ille senex nauclerus suæ familie optima fide tradidit: ita nos quoq; literas & Euangelium ad posteritatē transmittamus. Iterum uale.

Clarissimo uiro, &c. Ν. Ν. συμφιλοσόφῳ, amico & fratri suo charissimo,

S. D.

Gratum mihi fecit Syluester, quod cū Ioachim[us] Philyra discessisset, eum apud Ascanium quaesivit. Attulit autem & à Ioachimo & à Ν. literas, quarum utræq; nihil nisi querelas continent, ἢ τίς ἡ ἀκαρπύου ἀγᾶξις. Sed tamē lenit dolorem, illa inter amicos quasi laxatio animi. Rescribam Ioachimo, eumq; hortabor, ut animum à summo dolore abducatur. Primum, quia Deus non uult nos indulgere in cœsticiæ, sed in expectatione cœlestis auxiliij aliquantulum acquiescere: & discere, non omnia regi humanis consilijs. Deinde, si querimus τὰ λυτὰ λόγου, nobis plus periculi est. Nam et alter dux adducet peregrinas gentes: et noster, ut in pace, ita & nunc quoque, negligit μετεϊότητά. Sed hæc coram. Bene uale. De mea uxore scribas, quando redi-

tura



tura sit. Iterum uale. Salutem opto Casparo Crucigero, cui & Ioachimi literas ostendito.

### Principi cuidam iuueni.

Illustriſſime Princeps. Gratiam tibi habeo, quòd ad me tam amanter ſcripſiſti. Mihi enim nihil optatius eſt beneuolentia mei Principis, cui præcipue et debeo & cupio omnia uitæ meæ conſilia et omnes actiones probari. Tibi quoq; honeſtum eſt, et ſuſpicere ſubditorum mores, & delectum habere, ut uites eos quorum cõſuetudo tibi dedecori eſſe poſſit, ut in ueteri uerſu dictum eſt:

Principis eſt uirtus maxima, noſſe ſuos.

Erunt autem literæ apud me tuæ, tanquam beneuolentiæ erga me tuæ pignus. Ac uiciſſim omnibus ingenij neruis, & omni animi cõtentione perficiã, Deo uolente, ut bonis moribus & uirtute fauorem tuum & aliorum honeſtorũ hominum tuear. Hortarer autem te ad literarum ſtudia, et ad uirtutem, ſi mea ætas plus autoritatis haberet. Sed habes domeſticos monitores tui officij. Primiũ autẽ ac præcipue patrem tuum, qui propter ingenij præſtantiam ac ſapientiam, authoritatem habet apud omnes reges: & patrem ac uirum grauitate ac moderatione animi præcipua præditum, Philippum Reiteſel: & præceptores tuos, quos pater tibi propter prudentiam & fidem adiunxit. Hi ſciunt,  
bonum

Bonum principem & salutarem patriæ & Ecclesiæ, quæ est altera & uerior patria, imaginem Dei esse in terris. Econtrà uerò, malum principem, & perniciosum Ecclesiæ, & imaginem diaboli esse, grassantis in genus humanū horribili seuitia. Maxime igitur opto, ut ita aliquando gubernes patriam, ut omnes boni te uelut imaginem Dei ament. Id autem ut consequaris, necesse est ut eruditione te instituas, et ad uirtutem te exuscites ac assuefacias. Et quoniā ad hæc opus est auxilio Dei: precor Deū, ut te seruet & regat, ut sis tibi ac uniuersæ Reipublicæ salutaris. Bene uale, illustrissime Princeps.

D. Friderico Myconio Philippus  
Melanchthon S. D.

Venerande domine Pastor. Scimus harum regionū urbes, hospitia esse Ecclesiæ Dei: ut erat uiduæ Sareptanæ domus, cū Eliam excepisset. Ideo secundis & aduersis rebus urbium, in his regionibus adfici nos decet. Ac in primis animaduertimus, ciuitatem Gottham eximia pietate fouere Ecclesiā & literas, & dulcem ibi concordiam esse gubernatorum Ecclesiæ & Senatus: multumq; prodesse cæteris Thuringicis oppidis ad pietatem, & ad concordiam, exemplum Ecclesiæ Gotthanæ. Quare et singularis beneuolentia est nostra erga oppidum uestrum, & magno dolore nunc propter ciuiū detrimenta

irimenta adficimur, quibus domicilia & multe res  
 domesticæ perierunt. Tuo etiam dolore mouemur,  
 quem scimus assiduo conspectu miseriarum crucia-  
 ri. Nec tamen dubitamus, quin ipsi te cōsolationibus  
 erigas, quæ in Euāgelio nobis traditæ sunt. Multa  
 sunt etiam Ecclesiæ peccata, propter quæ castiga-  
 tur: sed non accendit Deus totam iram suam aduer-  
 sus nos. Ideo misericordiæ suæ in ira recordatur. Vi-  
 dit Esaias inflammari multa oppida à Sannache-  
 rib: uidit Ieremias ipsam urbem Hierosolymam &  
 templum incendio deleri: & tamen sciebat non de-  
 leri Ecclesiam. Hac consolatione nos quoq; susten-  
 temus. Et quidem hic annus exemplū memorabile  
 ostendit uastationis regionū & Ecclesiarum, cuius  
 coryphæus est N. sed Deus eum repressit. Interim  
 uerò ne securi laxemus nobis frenos, & uos & nos  
 atque alij multi castigamur alijs mitioribus poenis.  
 His commones fieri nos de nostris peccatis, pœniten-  
 tia, frugalitate, inuocatione Dei sciamus. Denique  
 consideremus, ut in Ecclesia, causam omnium cala-  
 mitatum humani generis esse uoluntatem Dei: ha-  
 rum rerum cogitatione & tibi & alijs dolorem le-  
 nias. Ut igitur ostenderemus nostram beneuolen-  
 tiam erga Ecclesiam uestram, misit Academia ue-  
 stris pauperibus centum florenos. Id exiguum mu-  
 nus ut boni consulatis, oramus. Scitis enim medio-  
 cres difficultates esse, propter quas hæc officia sunt  
 angustiora

angustiora apud eos, qui liberalitatem exercere cupiunt. Bene uale.

Clarissimo uiro, D. Paulo Ebero, fratri  
suo charissimo, *καὶ συμφοροσώφῳ*,  
S. D.

Philosophiam apum tibi mitto, cuius consideratio & ipso melle dulcior, & illustre testimoniū est, hunc mundum non extitisse casu, ex Democriti atomis. Inuocemus igitur uerum illum architectum pulcherrimorum naturæ operum, & Ecclesiæ conditorem, patrem æternum Domini nostri Iesu Christi, ut & Ecclesiæ suæ alucolos & nostra examina defendat & seruet. Meus magister, qui me de apibus docet, te orat, ut mecum in ipsam Academiam apum uenias. Iosepho dialecticas pagellas mitto: & puto paginam, quam habet in manibus, compleri posse *πρὸς θύκω*. Da operam, ut totū opus reliquū condidatur illecebris: ut sicut apiculæ melissa inuitantur, ita nos iuuentutem inuitemus suauibus materijs. Scriptū ad Bohemos absolūā intra biduū: deinde Synodi refutationem inchoabo. Deceui enim testimonia in hac *ἐπιτάσει* certaminum edere, de rebus ueris & necessarijs, Deo iuuante, uel si iam tyranni ferirent meam ceruitem. nec me deterret amici nostri Ioachimi solitudo: cui quidē opto ut sit beatus, & tranquillitate studiorum fruatur. Nos  
si

si iam taceremus, deseruisse & abieciſſe cauſam neceſſariam iudicaremur, ſed in iſſis controuerſiſ ſunt quædam, de quibus cuperem cum amicis colloqui. Mitto Synodi orationes: in quibus & illa eſt, quam Vitus cœpit excudere, quæ ex hoc archetypo abſolui poterit. Et addemus querelam *πρὸς τὰς Διαφθερίους κατὰ τὴν Διδασκαλίαν*. Bene uale. Data Serueſtæ, Die 26 Martij, quo ante annos 1514. filius Dei in ſepulchro fuit.

### Hiſtoria apum.

Initio ueris circa æquinoctium eximuntur ex alueis mella ſuperiore æſtate facta. Nam in hiſ regionibus, quicquid eſt mellis in æſtate factum, totum relinquitur in alueis in hyeme. Alibi pars eximitur. Sed dicunt, apes ſpoliatas triſtiores fieri. Ideo hic totum eis relinquitur, ut integro ſuo labore fruenteſ, in hyeme minus ſint ſollicitæ. Exempto melle, quia domunculæ in eximendo lacerantur, prius labor eſt cellulas reſicere, ad quod ceras tunc faciunt. Domibus reſectis, adferunt rorem: cui incubanteſ, nouam ſobolem gignunt: quia multe pereunt uarijs malis. Curam igitur quotannis habent generis conſtituendi. Poſtea nouas cellulas conſtituunt, & noua domicilia educunt, & colonias faciunt. Quartò, in Maio floreſcentibus pomis colligunt dulcẽ ſuccum. hic primũ incipit mellificatio.

*tio. Rectè igitur Aristoteles de Eliaco ortu intelligitur. Mellificatio durat, donec habent trifolium: id est, usque ad Augustum. Nihil hic eximitur tota æstate uel hyeme, usq; ad uernum æquinoctium. In Autumno ipsæ apes mira arte obstruunt foramina alueorum. Præcipuè delectantur & alliciuntur odore melissæ. Si quis alueolos conspergat aqua destillata ex melissa, auidissimè aduolant. Ideo Virgilius dixit, Melisphylla. Fugantur ab absinthio. Habent hostes, uestpæ, culices, tineas, mures. Et mira fortitudine possunt mures interficere. Fuci non nocent eis, nisi uoracitate. Sed uestpæ pungunt eas. Viuent octênium, & non amplius. Nec manent incolumes, nec feliciter faciunt operas apud iniustos possessores.*

*Illustriss. & reuerendissimo Principi ac domino, D. Georgio principi in Anhalt & Ascania, coadiutori Ecclesiasticæ gubernationis in Mersburg, domino suo clementissimo,*

*S. D.*

*Illustrissime & reuerēdisime Princeps, hoc anno celebratur Pascha 3056, inde usq; ab exitu Israelitarū ex Aegypto: tot seculis seruauit Deus Ecclesiam suam, & Ecclesiæ uocem de filio Dei, & uero animo mirandis modis seruabit deinceps. Quare etiam si*

etiam si quid patiendum sit, expectemus auxilium  
 Dei. Literas has dedi Valentino gubernatori schō-  
 læ Zeruesianæ, uiro docto et graui, qui se offert ad  
 ministerium Euangelij in uestris diocesisibus: usus  
 eum erudiet, etiamsi hactenus rarò concionatus est  
 in templis: sed est ætatis & eruditionis mediocris,  
 & bonarum commendationum, gratia probè mu-  
 nitus. Bene & feliciter uale. Datæ in ferijs Pascha-  
 tis, 1547.

Clarissimo uiro, domino N.N. ami-  
 co & fratri suo charissimo,

S. D.

ὁ δὲν οὕτως συγγράμειν ἡμᾶς ἐῴθεον, ὡς συγγρά-  
 μος καὶ θεοῦ, καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί, inquit Nazian-  
 zenus uerè et præclare. Sed spes unde pendeat, mul-  
 tum refert. Nobis quidem spes à solo Deo æterno  
 patre Domini nostri Iesu Christi pendent, non à  
 præsijs humanis. Et exaudiet gemitus nostros  
 Deus, ac defendet Ecclesiæ suæ reliquias. Si pa-  
 tet aditus ad uos, breui unà erimus. Nam senatus  
 in urbe Parthenopæa abhorret à nostro concilio;  
 ὁπρὶ δημοσίῳ ἀντιθέσει. Atrociter enim huic  
 mimantur οἱ τὴν πατρίδα περιώμενοι μυσῶν  
 λέειν ποιεῖν. Scripsimus ad Rectorem Crucigerū,  
 de stipendijs. Eam rem tibi quoq; commēdo, & tuā  
 & ceterorum amicorum causa curandam. Bene

x

&



822  
Et feliciter uale. Die Andreae. Hodie aderit Doctor Chilianus, pulsus ex Salinis.

D. Andreae Osiandro S. D.

Ex literis Viti intelleximus, honestissimam matronam, coniugem tuam, exemptam esse rebus humanis. Hic casus multis bonis et doctis magnum dolorem in urbe nostra attulit, qui tuo luctu adficiuntur. Sed ego hoc magis doleo, non solum quod familiaritas et beneuolentia inter nos maior est, quodque est quaedam studiorum et sententiarum societas: sed etiam quia uidi coniugem tuam, cum memini quae illius uirtus fuerit in omni officio: uidi et paruos liberos. haec mihi omnia in oculos incurrebant, Viti literas legenti. Itaque et tuo moerore moueor, et illud decus matronarum penè in ipso flore extinctum esse ualde doleo. Etsi autem te ad grauitatem et moderationem natura finxit, tibi quoque nota sunt omnia quae ad consolantionem à doctis uiris colliguntur: tamen ut in bonis naturis et agere sunt expressissime, arbitror illas in te magnopere dolorem augere. Quare non dubito, quin tecum uehementer lucteris. ipso enim dolori difficulter repugnas. Precor igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui nostris aerumnis se adfieri testatur, ut te adiuuet atque erigat. Nam Stoica illa praecepta, ut ne doceas, non solum inania sunt, sed etiam auditu crudelia atque iniusta: et ab ea philosophia, quam nos probamus, reiecta

reiecta & damnata Christianis sententijs. Odit enim Deus τὸς ἀσέπυους. Quare quod luges, hominis est à natura bene instituti. Et pie itaq; moderare luctum, et repugna dolori. Quod quidem facies, cum cogitabis Dei uoluntate uniuersum genus humanum ingentibus calamitatibus subiectum esse: et coniugem tuam non casu extinctam, sed Dei consilio ad immortalitatem euocatam esse, & à te sic aliquantisper auulsam, ut paulo post Deus consuetudinem uestram uobis longè meliori conditione redditurus sit, ubi unà fruētes æterna luce, de Deo suauissimè colloquemini, ac longè uincet præsentē suauitatem & consuetudinem illa futura piorum coniugum *ὑγιομελίᾱ*. Sed cum sciam te omnia quæ huc pertinent, sine monitore colligere, nolui esse prolixior. Hæc tamē breuiter scripsi, quòd arbitrabar ad amici officiū pertinere, tali tempore ostendere se amici casu affici. Ego uerò ex animo adficior: teq; oro, ut has literas boni consulas. Adscribam etiam remedium ἀτεχνον, quod mihi in summis animi perturbationibus in primis opem tulit. Onerandus est animus occupationibus, quibus abducatur à cogitationibus de interitu cōiugis: & puto tibi nō deesse negocia. Sadoleti epistolam ad me scriptam, te uidisse arbitror: nisi enim Vito exemplum, De nostris studijs et de Republica scribemus aliàs, Bene uale.

Amico cuidam S. D.

Et fratri meo talem generum gratulor, & uobis spero iucundum fore connubium cum illius filia: quæ mihi quidem uisa est mirifico pudore, & summa animi ac morum suauitate prædita esse: & expressisse patris humanitatem, quam ego non minus semper propter egregiam uirtutem, quam propter sanguinis & naturæ uinculū dilexi. Itaq; precor Deum, ut efficiat, quo connubium uestrum sit tranquillum, faustum ac foelix. Munus nuptiale mitto coniugi tuæ, in quo est imago duorum coniugum, qui summa inter se charitate uixerunt, Ferdinandi regis Hispaniæ, & Elisabethæ. Exiguum est munus, sed symbolo delectabar. Et hoc tempore absens, qualicunque significatione declarare uolui animum bene precantem uobis, & expetentem amicitiam tuam. Affinitas enim nostros animos copulare debet. Ac profectò sororum maritos loco fratris habeo. Conciliant autem eruditos etiam alia: studiorum societas, & uoluntas in Republica. Esi uerò quædam inciderunt cōtrouersię doctorum, tamen spero bonis & prudentibus mea studia & meā uoluntatem probari. Idem opto equidem tibi uideri: sed tamen nihil præscribo. tantum oro, ut putes necessitudinem non obliuiscendam esse, etiam si est quædam de illis controuersijs dissimilitudo. Gratissimum mihi facies, si de tua erga me uolūtate aliquando

quando mihi scribas, aut aliquid per socerum signi-  
ficaueris. Bene uale.

Clariss. uiro, P. Ebero, συμφιλοσόφῳ, a-  
mico suo & fratri charissimo,  
S. D.

Etsi in tanta confusione orbis terrarum optan-  
da mors uideretur: tamē cum in Ecclesia Dei uiua-  
mus, nō decet nos fractos metu ἀπαλαρτυροῦ. Ut  
igitur me iubes curare ualetudinem, ita uicissim te  
adhortor, ut quanta diligētia humana effici potest,  
tueare ipse tuam ualetudinem: teq; & Ecclesiæ com-  
muni & domesticæ serues. Mihi temperātia unius  
diei profuit: ac Platonium illud sequor, quod quia  
tibi quoq; profuturum esse iudico, adscribam: \* διὸ  
παῖδα κορεῖν δεῖ διαίταις, πάντα τὰ τοιαῦτα  
λαθόντων αὐτῇ. ἧ. χολή, ἀλλὰ ὁ φάρμακον τὰς λιπὸν  
δίσπολον.

Mitto tibi Ioachimi epistolam, ex qua intelligo  
incolumem peruenisse in urbem Ieram, quod gau-  
deo. Illud uerò συγχαίνω, quòd cum nec tantas  
dolendi causas habeat, quantas nos habemus, nec si-  
mili in periculo sit, nimium indulget mœsticiæ ac i-  
racundiæ. De tuis rebus publicis scribito, quoties  
habebis tabellarios. Bene uale. 3 Martij, An-

no 1547.

x 3

Ado-

Adolescenti studiosissimo Ioanni  
Reiffenstein S.

Martinus reddidit mihi suauissimas literas tuas, mi Ioannes, quæ mihi attulerunt maximam uoluptatem. Gaudebam enim primum patris tui causa, uiri optimi, qui nulla ex re fructum capit aut uoluptatem maiorem, quam ex studijs tuis ac fratrum tuorum. Deinde delectabar & Reipublicæ causa. adducor enim in spem, ut literæ et honestæ artes integre ad posteros perueniant ac transferantur, cum te ac tui similes uideo tam studiose operam dare literis. Precor itaque Christum, ut faueat tuis studijs ac fratrû tuorû: idq; faciet, si tu quoq; eum toto peccatore rogabis, ut te adiuuet, & gubernet omnem uitæ tuæ cursum. Amare enim se testatur hanc tuam ætatem, cum dicit: Simite paruulos uenire ad meritum est enim regnum cœlorum. Hoc classico, hac uoce uocat tui similes ad honesta, & pollicetur precium ingens. Hanc uocem Dei nostri ac saluatoris, mi Ioannes, memineris tibi sequendam esse. Idem Christus custodiat & conseruet te semper, & gubernet tua studia ad utilitatem Reipublicæ, & ad suam laudem. Bene uale. Matrem tuam uerbis meis reuerenter saluta.

Optimo uiro Guilhelmo Reiffenstein,  
amico suo summo, S. D.

Quod faustum & felix sit, proficiscitur isthuc  
iuuenis,

iuuenis, cum quo egimus, ut suscipiat curam docē-  
dorum liberorum tuorum. Tu de eo pro tuo iudi-  
cio statues. nam mihi quidem probatur ingenium,  
et spero non defuturam fuisse ei negocij fidem. Id  
sum secutus tunc quoq;, cum eum ad Alberti Comi-  
tis filium mitterem. Multum enim refert, quo ge-  
nere orationis initio pueriles aures personent.

Quod cogitas liberos tuos hoc tempore huc mitte-  
re, malim te eos domi retinere, donec vires erūt fir-  
miores: et præceptor quanquā est cupidus, tamē iu-  
dicat te debere rationē habere ætatis teneræ, quod  
non semper aerem peregrinum, uel culinam alio-  
quā nostro more instructam, commodē tolerare  
possunt. Ad hæc, prius te præceptoris ingeniū, ac  
rationem docendi, domestica consuetudine uelim  
explorare. Imitaberis meum consilium. Ego ex ani-  
mo opto, ut Christus tuorum liberorū studium for-  
tunet, eosq; conseruet. Bene uale. Vitebergæ, die  
20 Iunij.

### Amico cuidam.

S. D. Et uos liberatos esse miserijs obsidionis?  
et oppidū utcunq; seruari gaudeo: ac utrunq; assē-  
dus et ueris gemitibus ac uotis à Deo petiui. Nec  
in hoc exilio meo magis de meis miserijs, quā de  
Pastore, Crucigero, et de te, cæterisq; inuocantibus  
Deum in illa dulcissima patria nostra, in qua ma-

nere summo cum periculo uoluistis, cogitauī. Neq̃  
 procul discedere potui. Familiā igitur duxi in oppi-  
 dum Northausen. Ego in iugis Hercinijs non inter-  
 feras, sed inter homines honestissimos, socios no-  
 stri luctus, uersor. Ibi exitum obsidionis expectare  
 uolui. Nam coniectura quadam ducebar de tempo-  
 re, ut corā narrabo. Cursorē meum ad uos misi,  
 ut de statu oppidi, deq̃ uestris consilijs mihi scriba-  
 tis. Etsi enim erit longius exilium suscipiendum: ta-  
 men colloqui uobiscū decreui. Optarem nos in ea-  
 dem Academia uiuere posse, ubicunq̃ Deus aliquā  
 sedem nobis attribuet. Si isthic manent Pastor &  
 Crucigerus, de reditu cogitabo. Sed prius audiam  
 quid tu statueris, & quid mihi faciendum iudices.  
 Omnino mihi morte acerbior est hæc distractio no-  
 stri cœtus. Et tamen ferēdum est, quòd mutari non  
 potest. Bene uale, 26 Februarij, Anno 1547.

D. Friderico Bernberck, senatori ur-  
 bis Cithni, S. D.

[Honestissime domine Friderice. Cum Paulus no-  
 ster & tui & patriæ amore ad uos profecturus es-  
 set, & ipse comes amicissimi hominis nunc esse nō  
 possem: uota tamē mea, cum mea etiam epistola co-  
 mitari uolui. Ac primum oro filium Dei, ut sicut  
 iter facientem Iacob cum familia custodiuit: i-  
 ta hunc, & honestissimam coniugem, & dulcissi-  
 mos



mos liberos seruet incolumes. Vobis etiam opto, ut incolumes & lati conspectu mutuo ac dulcissimo-  
rum sermonum communicatione fruamini: & ut colloquium uestrum sit uelut nepenthes, quod leniat mœsticiam, quam propter Rempub. ut omnes boni uiri toto orbe terrarum, ita & uos circūfertis. Mihi hîc in oppido mœstissimo nulla res humana alia, nisi Pauli consuetudo, dolorē mitigauit. Nunc solitudinē ualde metuo: sed si diutius eum retinebitis, me quoq; isthinc attrahetis unā. Est simul & honestissima & dulcissima ratio, uiuere in consuetudine doctorum, ac eruditis colloquijs pectus ad cogitationem de Deo & alijs rebus bonis accendere. Hæc ratio uiuendi præcipuē appetenda esset, etiamsi quid aliud in uita delectare nō posset. Nunc in hac confusione imperiorum, quid delectare hominem sanum potest? Confugiamus igitur ad hanc uiuendi rationem, & nobis quantum Deus concedit, mutuis officijs dolores leniamus: uota etiam cōiungamus, ut Deus Ecclesiæ semē sanctū, studia doctrinæ, & hospitia aliqua seruet. Hæc uota non erunt irrita, sed magis medebuntur publicis calamitatibus, quàm regum conuentus. Sed sum breuior, quia talium sermonum scio congressus uestros plerosq; fore. Vale, Die 6 Septembris, Anno 1547.

Amico cuidam.

In hac confusione Reipublicæ, etsi multa sunt

x s quæ

quæ nobis intuentibus hominum uitam, magnum  
 dolorem adferunt: tamen cum uiderim, aliquas in-  
 terea Ecclesiæ reliquias esse, quæ cum diuinitus ser-  
 uentur, ostendunt etiam nos non abiectos à Deo es-  
 se: & passim alios uiros doctos & honestos, qui fi-  
 deliter propagare literas et optimas artes student:  
 nonnihil acquiesco, quasi portum aliquem prospi-  
 ciens. Quæ cogitatione cum tuum ingenium, eru-  
 ditionem, mores, fidem in docendo, grauitatem in  
 omni officio contemplor, magnam uoluptatem ca-  
 pio, harmoniam illarum pulcherrimarum uirtutum  
 considerans. Nam cum eruditione excellas, non mi-  
 nus literis ornamento sunt ceteræ tuæ uirtutes,  
 quam tibi literæ ipsæ. Sæpe etiam mihi gratulor  
 cum tanto uiro amicitiam esse, ex quo hoc tempo-  
 re magnum fructum percipere possem, nisi te lu-  
 ctus propter fratris ( uiri præstantis sapientia &  
 uirtute ) interitum domi retineret. Desponsauim  
 uiam meam iuueni docto & modesto: cumq; ad sa-  
 crum nuptiale amicos uocauerim, te quoq; maxi-  
 mè adesse optarim: id enim mihi & literis hono-  
 rificum esse ducerem, gauderemq; te in ipso coetu  
 cum cæteris tua uota cōiungere: qui quo magis ex-  
 pendo uitæ pericula, eo ardentius peterē governa-  
 ri meos diuinitus. Cum autem de te uocando delibe-  
 rarem, simulq; de tua erga fratrem pietate multa di-  
 cerentur: non ausus sum tali tuo tempore petere, ut

ad nos accederes, præsertim cùm mihi historia de tuo patre, uiro grauissimo, cõmemoraretur: quem aiunt, cùm ad nuptias à quodam amico uocaretur, semestri exacto, post mortẽ tuæ matris (quam cùm alijs omnibus uirtutib. excelluisse, tum uerò literas & philosophiam coluisse scimus) ualde commotum dixisse, mirari se amici duritiem, qui lugentis talem coniugem, rationem putaret nō habendam, perinde ac si cui pera de cingulo decidisset. Cùm igitur tibi non minorem pietat'em tribuamus quàm patri, & horum temporū mœsticia cõmunis tuum dolorem augeat, pudore impediō, quo minus te accersam. Facies tamen, quòd tibi uiro sapienti uidebitur. Hanc autem epistolam ad te misi, nō solum ut beneuolentiā erga te meam, quæ erit perpetua, testarer: sed etiam ut cognosceres, nos luctus tui rationem habuisse: & tamen peterem, ut animo nobiscum adsis, & uota pro nobis ad Deum facias, ut & Ecclesiam & eius domicilia & studia seruet ac regat, & tuis meisq; liberis det uitæ curriculum salutare, ut sint αὐτῶν ἐλέγς: quod profectò tuis liberis toto pectore opto. Ac ut bene sperẽ, moueor illa grauissima sententia, quæ etiamsi in Poemate prophano scripta est, tamen in diuinis Oraculis sepe repetitur, εὐσεβέων παῖδες, &c. locum

Theocriti nosti. Bene & feliciter  
uale, & rescribe.

Martino

Martino Ruellio S. D.

Gaudeo tibi meas literas gratas & iucundas esse. Nulli enim magis talibus adhortationibus delectantur, quàm hi qui sua sponte ad uirtutem colendam incitati sunt. Ideo spero te quoque natura ad uirtutem colendam duci. Dabis igitur operam, ut quò te uocat natura tua, & patris uiri optimi auctoritas, et præceptorum monita, magno studio optimas artes & uirtutis doctrinam discas. Tuae literæ fuerunt mihi gratissimæ: tibiq; persuadeas uolo, gratum te mihi esse facturum, si ad me sæpius scripseris: & ut spero, remunerabor te, ut ait Hesiodus, eadem mensura, atq; etiam uberiore. Bene uale. Mense Iulio, Anno 1533.

M. Ioanni Marcello Regiomontano, S. D.

Si uita humana tantum humanis consilijs regeretur, perijisse funditus & Ecclesiam & politias existimarem in hac parricidali gigantomachia. Sed non dubito Deum seruaturum esse reliquias suæ Ecclesiæ. Hac nos cōsolatione sustentemus: quam cum uigilans assidue cogitem, fortassis & dormiēti somnia eam cogitationem offerunt. Mitto tibi uersus de somnio. Non est fictum argumentum: sed ego poeta sum penè ut tu, qui non tam illustrem picturam uersibus pingere possum, ut illa erat. Erat enim  
mens

inens plena smaragdino nitore, & crux rutilans auro. Leges amicis doctori Iona & D. Chiliano, si adhuc adsunt: & dices eis, me literas ipsorum, his quibus inscriptæ fuerunt, per homines, quorum fides mihi probata fuit, misisse. In Epiphanijs, Anno 1547.

Optimo uiro D. Guilhelmo Reif-  
enstein S. D.

Academia nostra dedit pecuniam huic D. N. Licentiatu Iuris: & addidit mandata, ut soluat uobis totam summam, quam pro poculis dedistis. Nesciebamus enim, quali empta erant. Rogamus autem, ne uobis molestum sit, quod pro auro mittimus Ioa-  
chimicos. Intelleximus enim, uos Francofordiæ de auro soluisse. Sed auri tantum non habebat hoc tempore nostrum ærariū. Verum sic petimus uos Ioa-  
chimicos accipere, ut sine uestro damno fiat. Ego me ipsum sperabam uenturū esse Lipsiam: sed sum hic obligatus, propter editionem Apologiæ. Rogo igitur ut paucissimis uerbis rescribatur, et precium poculorum significetis, & si quid præterea ad rem pertineat. Bene uale.

Erasmo Ebnero S. D.

Dedi has ad te literas nullam aliam ob causam, nisi ut te ad scribendum prouocarem, hoc igitur ge-  
nere

nere officij ostendas, quanti me facias. Neq; uerò arbitror magnopere opus esse, postquam à me discedis, de mea erga te beneuolentia disputare, teq; hortari ad nostram amicitiam colendam. Nam et sensum meum, si quis est alius, calles: et illæ literæ, ad quas nos tibi iter ostendimus, officij te tui semper admonebunt, si earum studium non abieceris. Ego autem et prudentiæ laudem tibi tribuo, ut dignitatem honestarū artium intelligere te statuam: et constantia præditum tanta existimo, ut confidam te hæc studia nunquam depositurum esse. Illud unum nunc peto, ut dum hærebis domi, in Græcis literis te exerceas: quam ad rem tibi multum præderit Ioachimi familiaritas: et uertēdis Græcis fiet etiā oratio Latina suauior. Discedēs dedi tibi mandatum de Liuij lectione, quod uelim tibi curæ esse. Bene uale, et rescribe. Coburgi.

Christophoro Haco S. D.

Non facile dixerim, quantū me studiū, mi Hæce, teneat eorum, qui cum literis pietatem coniunxerunt. Quid enim, per Deum immortalem, in rebus humanis est quod rectius mireris, quàm hæc quæ dico? πῶς οὐλαίᾳ sunt reliqua omnia quæ boni appellationem merentur: solæ literæ, sola pietas, extra communium rerum aleam sunt. Quo tu mihi charior semper fuisti, cui cōtigit ingeniū ijs literis aptum, quas

quas unicè semper amaui: poetices uidelicet, quam  
utinā iuuentus Germanica pergeret excolere. De-  
inde quanta morum sanctissimorum gratia, quan-  
ta suauitate optimis te quibusq; approbas? Ergo mi  
Christophore, quod facis, facito: nec dubita quin  
cœlestibus curæ sis. Audio te γαμίζω. Quid hic a-  
liud optem, quam ut faueat incepto Christus? Du-  
rum uitæ genus, si sacris literis parum confirmatus  
sit animus. Quanquā ex literis quas ad N. scripse-  
ras, facile mihi fuerit diuinare, non sine numine dē  
uūm rem à te susceptam. Si qua in re nos unquam tibi  
usui esse poterimus, præstabimus quod amicos  
debet. Bene uale.

D. Guilhelmo Reiffenstein S. D.

Rogauit me frater uxoris meæ, ut se tibi com-  
mendarem. Cupit enim uti tua opera, tuoq; officio  
isthic, in emendo panno. Ego inuitus onero te: hoc  
tantum te rogo, ut quantum absq; tuo commodo face-  
re poteris, illum iuues. Hanc totā rem exponet fra-  
ter meus Ioannes, copiosius. Nos adhuc lenæ hæ-  
remus: et impediunt tempestates, quò minus in Sa-  
xoniam redeamus: quæ ubi primum erūt initiores,  
accingam me ad iter. Vale feliciter.

Adolescenti studiosissimo Ioanni  
Reiffenstein S. D.

Dei beneficio heri in Salinas salui peruenimus,  
sed



sed serò admodum: non enim sine negocijs, ex luti-  
 lentis uijs eluctati sumus. Bonam itineris partē con-  
 fecimus pedites, cum quidem & perplueremur, &  
 pedes uix in lubrico consistere possent. Doctor  
 Ioannes mirificè stomachatus est, priusquam huc  
 uenimus: ac de fide tum mea, tum patris, hīc que-  
 stus est. Vir optimus, nihil ducit fide antiquius. Sed  
 facile ei satisfecimus. Hæc patri meis uerbis, inō-  
 tuis ( quid enim dulcius oratione tua? ) exponito.  
 Milichius te salutat: & iubet ingenti animo in hoc  
 studiorū curriculo, in quod diuinitus ingressus es,  
 pergere: atq; existimare, te ea in re necessariū Rei-  
 pub. officium præstare, quæ quidē à bonis ingenijs  
 hoc postulat, ut Philosophiæ professionem defen-  
 dendam sibi esse sentiant. Bene uale. Islebiæ. Saluta  
 fratres, & præceptorem: & rescribe.

Filijs Guilhelmi Reiffenstein

S. D.

Quod faustum foelixq; sit uobis omnibus, Mar-  
 cellus ad uos proficiscitur, cui existimo patrem stu-  
 dia uestra commendaturum esse. Quare dedi ei li-  
 teras ad uos: & libenter plura scripsissem, si per  
 occasionem licuisset. Hortor igitur, ut hominem do-  
 ctum atq; probum reuerenter excipiat: & cum  
 præfectus fuerit studijs uestris, ametis & colatis.  
 Decet enim uirā cum bonis literis, omnium pulcher-  
 rimarum

rimarum uirtutum officia discere. Nam hæ scholæ nostræ non solum doctrinæ & literarum, sed multo magis uirtutis et humanitatis officia esse debent. Est autem alumna aliarum uirtutum, pietas erga præceptores. De hac re plura scriberem, nisi scirem uos hæc præcepta & legere quotidie, & à uiro optimo patre uestro audire. Bene & feliciter ualete.

D. Iusto Ionæ, S. D.

Reuerende domine Doctor. Honestissima matrona coniunx tua, & de te & dulcissimis filiis ualde sollicita fuit, cum flumen largius intumuisse audiuissemus. Nam de amne Sala ante literas uestras nihil audiuius. Gratia igitur rem & honestissimæ coniugi tuæ & nobis fecisti, quod literas de commoratione uestra in Salinis misisti. Nunc Deum æternum patrem Domini Iesu oramus, ut uos omnes incolumes reducat, feliciter constituta inter comites Mansfeldiæ cōcordia. Hic Dei beneficio tranquillitas est, & ut sit diuturna Deus faciat. Adhuc etiam de cōuentu ad Danubium silentium est. Mortem ducis Luneburgensis, boni principis, qui Deum uero pectore coluit, ualde lugemus. Deus seruet & regat ceteros principes, amantes Ecclesias Dei. Bene & feliciter uale. Ultimo die Ianuarij.

Nepotibus Spalatini S. D.

Bene fecistis, quod auunculum uestrum de mutatio-  
 y. tione

tionē gentiliij nominis cōsuluiſtis. Nam cū ſumma ſit illius uiri & doctrina, & erga uos beneuolentia, decet uos eius authoritatem facere plurimi. Cū autem eadem de re mecum contulerit, duxi uobis breuiter meam ſententiam perſcribendam eſſe. Vetus eſt opinio, & quidem magnorum uirorum, nomina fatalia eſſe: id eſt, notas quasdam uel ingeniorum uel fortunæ eſſe, quæ à Deo expetēda ſunt. Sed eſt quædā pietas, retinere gentilia nomina, præſertim ſi nihil habeant incommodi. Mihi uerò, contigſſe uobis honeſtiſſimum cognomen Chilianī uidetur. Sonus enim eſt ſatis cōcinuus: & uidetur ex Græco χιλία factum χιλιανός, ac propemodū certi ordinis militem ſignificat. Eſt autem hæc uita ratio quæ in ſtudijs uerſatur, planè militia quædam, plena laboris & periculi. Quoties igitur paternū nomen ueniet in mentē, cogitabitis uos hoc titulo ad laborem ſtudiorum excitari. Hæc ſcripſi uobis de ſententia auunculi, uiri optimi, ut primam appellationem uobis commendarem. Turpe eſt faſtidire nomina maiorū, qui cum laude finxerunt titulos & nomina. Ideo ueterem appellationem iudico uobis retinendam eſſe. Valete.

Optimo uiro Guilhelmo Reiffen-  
ſtein S. D.

Fortè his diebus uenit N. de quo uobis ſcripſi.  
Expoſui

Exposui igitur homini, quid ad uos scripisssem: an  
 possit adduci ad suscipiendam provinciam docen-  
 di ciuium uestrorum liberos. Satis leniter mihi re-  
 spondit: Cupere se de tota re certiore fieri. Dedi  
 igitur ei hanc epistolam, ut te admonerem, ut si ita  
 uideretur uobis, in tempore cum eo paucis pacisce-  
 remini. Neminem in utraq; scholâ, meo iudicio, ma-  
 gis idoneum inuenietis. Quanquam illius ea est do-  
 ctrina & probitas, ut tranquilliori conditione di-  
 gnus sit, quàm est scholastica seruitus. Difficile &  
 periculi plenum negotium est, regere ingenia au-  
 lica. Quæso ut cures rem diu non extrahi, aut dif-  
 ferri. Ego miserè ualeo: clàm cura conficior. Dia-  
 lectica tuorum puerorū hîc pulchrè emendatur, &  
 recudetur. Vale scilicet. Postidie Calendas Iunij.

Amico cuidam S. D.

Et si inuitus te ab Academia, & à dulcissima con-  
 suetudine tuorum abduco: tamē optarim te nobis-  
 cum profectū esse. Cū enim multa scribenda sunt,  
 non solum manu tua, sed etiam consilio nos iuu-  
 re potuisses. Hæc, Dei beneficio, grauitè & piè di-  
 ctæ sunt sententiæ à delectis, inter quos multi sunt in-  
 tegerrimi uiri, &c. Et decretū est, ut doctrinæ pu-  
 ritas in Ecclesijs retineatur: nec recipiantur corru-  
 ptelæ, quas continet Interim. Spero igitur exitum  
 conuentus Mysorum, et in his regionibus Ecclesia

rum paci profuturum, & exemplum uicinos confirmaturum esse. Hæc legas ac dicas Pastori, et ceteris amicis, quorum omnium uotis ac precibus commendari nos et Ecclesiam Deo uolumus. Nunc breuius scribo, quia alia quædam componenda erant. Vult N. & causas nostri consilij sibi mitti. Errant omnino, qui fucosis conciliationibus tolli dissidia in Ecclesia posse existimant. Quia manet bellum ἀπορροια inter diabolam & filium Dei, ut scriptum est: Inimicitias ponam inter serpentem & semen mulieris. Oro igitur filium Dei, ut nostras mentes regat & adiuuet. Postquam Augustæ rescuerunt τὸ κεφάλαιον τῆς διανοουμένης à me reprehensum esse, miserunt ἱκανόγραφον, quæ fuit ineptior libro. Hospiti nostro et Fabricio grata fuit tua salutatio, καὶ ἀποστέλλω σε πάντες οἱ πρὸς ἡμῖν σπουδαῖς ἀδελφεῖς. Nostris familijs salutem opto. Bene uale. Die 4 Iulij.

Nobili adolescenti, & cùm indole honorificentissima prædito, tum in optimis studijs uersanti, I.R.

S. D.

Quòd meis literis tam amanter respondisti, iucundissimum mihi est. Delector enim amore tuo, et quia indolem & ingenium tuum ad uirtutem natura excitatum probo, & quia te propter singularem  
beneuo-

beneuolentiam uiri optimi patris tui erga me complēti debēo. Itaq; ualde opto, ut huius meæ uoluntatis significationem aliquam ostēdere tibi possim. Si nos etiam fortuna coniunxerit, efficiam summo studio, ut intelligas & te mihi charissimum esse, & me pro uirili conaturum animi gratitudinem patri tuo de me præclarè merito declarare. Christus te seruet, & studia tuq; gubernet, ad tuam & Reipublicæ salutem. Meis uerbis honestissimam matronam matrem tuam reuerenter salutato. Vale.

D. Chiliano Goltstein S. D.

Gratulor tibi filium natum: & Christū precor, ut seruet te & uniuersam familiā incolumem. Multæ fuerunt causæ, cur sub discessu scholæ domi esse cupiebam: sed in his non postrema cura erat de te, & Longicampiano. Nuper etiam scripsi de illo Ioanni Pomerano. Spero tamen fore ut breui isthuc proficiscatur. Seydlerō existimo nos rectè prospecturos esse. Apelles huc misit quendam suum etiam amicum: is cras hinc ad equitem quendam ibit, ut petat ἐπισκοπῆν in illius Ecclesia: cui cum prospectum erit, habeo quò Seydlerum mittam. Sin ille eques recusauerit Apelli amicū accipere, modò res sit integra, & Seydlerum mittam. Si totam Thuringiā perlustrauerimus, iuuari plures poterūt: quàm iam possunt, inspectis tantum tribus præfecturis.

γ β Vbiq;

Vbiq; multum est indoctissimorum pastorum. Sed illi eiſci non poſſunt: ita ſit ut iaceant & negligantur etiam eruditi, dum uirtutis præmia poſſident illa hominum monſtra. Longicampicæno dices meis uerbis multam ſalutem. Bene uale.

Reuerendo uiro, Georgio, paſtori Eccleſiæ Dei in urbe Arctoa, fratri ſuo  
chariſſimo S. D.

Reuerende uir, & chariſſime frater. Doleo tantam rabiem eſſe calumniandi, ut etiam uirus euomant ſycophantæ contra Grammaticam. Dum nos uocabulorum etymologiis quærimus, ut me quidẽ grammaticum decet, & conſideratio antiqui uſtitus nos de ueterum modestia admonet (ut Aæſchines laudat grauitatẽ Solonis, quem ait nec manum in dicendo protuliſſe extra pallium: ) interea quidam ὑπερπαιδοὶ dixerũt, me uelle renouare adorationẽ lacerarum caligariũ Ioſephi. Sed etiam ſi derideor, tamen tibi grammaticas interpretationes de calceis et ſandalis mitto, &c. Commendo autem tibi hunc auditorem noſtrum Bartholomicũ Georgium, natum in Salinis, orphanũ: qui rem iuſtam petet ab illuſtriſſimo & reuerẽdiſſimo principe Sigymundo, ut mandet à ciue quodam in Salinis debitam pecuniã hæredib. dari. Mandata Principis illuſtriſſimi petit, quæ ut impetret, queſo ut



eum adiuues. Orphanos honestos, & honestorum  
filios, adiuuare, pietas est Deo grata. Bene uale.  
Die Matthæi, 1556.

Calcei, à calce, est generale nomē. Et ueteres cal-  
cei usitatē sic dicti, sunt integri, sicut mei calcei, &  
sicut sacerdotū calcei olim fuerunt. Et tales fuisse  
Romæ senatorū calceos, ostendunt ueteres statuae.

Sandalia sunt non integri calcei, sed sub pede ue-  
lut tabellæ, & supra pedem subtilia ligacula: à σα-  
vis, id est tabella, & δίσω, id est ligo. Quia tabellæ  
inferiores, propter calorem in solo, fuerunt den-  
siores.

Caligæ sunt tegumenta paulum supra genu in-  
cipientia, & desinentia ad talos, stump, strump ho-  
sen: militibus usitatæ, & alijs. Sed militum caligæ  
fuerunt ornatae propter breuia saga, id est tunicas  
militares. Nam uetustas non est usa integris cali-  
gis, ut nostræ sunt, tegentes continuò nates, femo-  
ra & tibias. Quia uetustas sub exteriori ueste sen-  
per fuit intus tecta breui tunica, quæ nominatur  
χιτών. Corpori proxima fuit interula, hembd.

Ocrea est tantum equitum, beinharnis, stiffel,  
ocrea corricea. Latini dicunt nomen ocrea à cru-  
re factum esse, quasi ob crura. Hæc etymologia re-  
ctior est, quàm alia, quam formant à λογώσασθαι, id  
est, armare. Vnde dicitur usitatum nomē Κίτρισσας,  
quasi λογώδεις, quo sæpe utitur Homerus.

## Christophoro Ruellio S. D.

Cum tibi, mi Christophore, qui in optimis literis bona cum spe uersari uideris, quantum ex tua epistola humanissime scripta iudicare potui: tum uero maxime patris tui, uiri optimi causa gratulor, qui cum nihil magis expetat in hac uita, quam cum liberi uirtute & doctrina instructi succedant in paterni nominis decus, dignus est qui habeat liberos optimos. Itaque maxime uoluptati mihi fuit epistola tua. Nam & tuum propter singularem in omni officij genere constantiam ac fidem, consilium ualde amo: & te in ea amicitia, quae mihi cum patre est, cōplecti iure me debere statuo. Precor itaque, ut Christus faueat tuis studijs, et fratris tui, eaque ad salutem & dignitatem uestram ac Reipublicae gubernet. Sic enim existimabitis, haec uestra studia non solum ad uos, sed etiam ad Rempublicam totam pertinere: cuius status haud dubie imitatur, non tam, ut Plato dicit, musicos modos, quam literarum studia, & doctrinam eorum qui res gubernent. De praefatore surrogando, dum idoneum quaero, diutius extrahi rem uideo. Sed efficiam ut hac septimana aut Emericus, aut alius quispiam qui mihi probeatur, ad uos proficiscatur: aut ut habeatis literas, in quibus intelligatis neminem hic reperiri, qui modo & idoneus sit, & hoc tempore scholam deferere uelit. Magna enim, mi Christophore, recte di-

scentium

scientium paucitas est. Quò magis te adhortor, ut in eam rationem studiorũ, in quam autoritas patris induxit, diligenter incumbas: ut optimas res, & in uita maximè necessarias, diuinitus humano generi donatas, Reipublicæ conseruare pro tuo uirili studeas.

Munus tuæ matris, sceminæ honestissimæ, gratissimum mihi est, & erit pignus amicitie, tibi nunc propriæ mecum constitutæ, quam opto esse felicem.

Me hîc publica & priuata negocia sic alligant, ut nusquam pedem proferre licuerit. Bene uale. Saluta meis uerbis reuerenter patrem tuum, uirum optimum: ac matrem, honestissimam sceminã: & tuos præceptores, D. Agricola et Iustum. Anno 1527.

Christophoro Ruellio S. D.

Ego boni uiri conspectum, faustissimum omne esse interpretor. Itaque ualde gauisus sum, cum fortè in aulam, quò nos quoque uocati eramus, uenisset pater, uir optimus, & hoc ipso tempore legatus de pace & tranquillitate totius Germaniæ. Libenter igitur dedi ei petenti ad te literas, ut tecum cõmunicarem hanc uoluptatẽ, quam ex inopinato hoc congressu tui patris cæpi. Sperabam enim me tibi facturum rem gratissimam. Nec uerò habebam hoc

2 5      tempore

tempore argumentum aliud. Nam adhortari te ad studia, quod sæpe aliàs feci, nō ualde opus est: cum enim uideam ultrò te incitatum amore optimarum artium, gratulari tibi magis debeo, ac bene precari. Bene uale. Anno 1533.

### Eidem.

Reddidit mihi literas tuas, charissime Christophore, cōmunis noster adfinis Ambrosius Reuter: & gaudeo fuisse nostras literas tam gratas & acceptas tibi. Deinde intelligo, etiam meam admonitionem utilem & salutarem uideri: id quod maximè ego & cupiui cum scriberem, ac etiam nunc cupio: ac oro Dominum, ut cursum tui studij feliciter dirigat. Plura nunc non licuit: nam festinabat nuncius abiens: & ipse scriptitando sedebam occupatus. Boni consulas oro, aliàs plura. Parenti tuo optimo uiro dices, me daturum operam, ut animo suo satisfiat, idq; breui. Nam hodie uno libro absoluto, liberior ero. Saluta simul quoque matrem tuam honestissimam, unà cum fratre, & omnibus tuis sodalibus. Bene uale.

### Eidem.

Mihi uerò his turbulentis temporibus nonnihil afferunt solatij studia bonorum iuuenum, quorum uirtute atq; industria (ut spero) literæ, quæ conti-

nent

nent honestas artes et Reipub. necessarias cōserua-  
buntur, & ad posteritatē propagari poterūt. Ita-  
que libenter uidi profectus tui specimen, mi Chri-  
stophore: ac precor Christū, ut studijs tuis faueat,  
eāq; gubernet. Tuū etiam erit, hunc cursum ur-  
gere: quod ut facias, hortari tum patris auctoritas,  
tum ipsa Respublica debet, ad quam certē studia ue-  
stra pertinet. Deniq; inuitabit te etiam ipsa doctri-  
ne suauitas: quam nulla ex re maiorem quā ex i-  
psa doctrina, animus percipere potest. Quod ad  
me atinet, gratū mihi feceris, si hoc officij genere  
amicitiam inter nos constitutam alere atq; confir-  
mare studebis. Quare dabis operam, ut sæpe ad me  
scribas. Isocrates inquit honestum esse, paternas a-  
micitias ueluti patrimonij partem cōseruare. Scis  
autem, quæ mihi cum patre tuo, uiro optimo, ami-  
citia sit multis iam annis, quem profectō propter  
fidem & ingenium, magis quā propter fortunæ  
ornamenta, amo & obseruo. Bene uale.

Eidem.

Valde probo studium & conatum tuum in fa-  
ciendis uersibus. Nam hæc exercitatio colorabit  
etiam solutam orationē tuam, idq; breui senties i-  
pse. Deinde ut aliæ Musicæ partes suauissimæ sunt,  
ita plurimum habet hæc harmonia uersuum uolu-  
ptatis: & est signum minimè fallax, probæ & in-  
genuæ

*genue nature. Nam peruersæ abhorrent, ut ab alijs Musicæ partibus, ita à uersibus faciendis. Coles igitur hoc studium faciendi uersus, sed ita, ut sepe scribas solutam orationē, in qua spero te magnā laudem consecuturum esse. Natura enim placet mihi. Quod si ars & ratio per ætatem acceßerit, & Reipub. & tibi & tuis ornamento eris. Idq; ut fiat, oro Christum. Ego quod possum, tibi præstabo: et de hac ratione dicendi, quam maxime probant eruditi, deq; imitatione, quam tibi necessariam esse iudico, scribam ad te quamprimum aliquid ocij natius ero. Bene uale, & saluta optimos tuos parētes.*

Chiliano Goltstein S. D.

Gaudeo liberasse fidem suam duos patronos, tibiq; tandem adolescentes in disciplinā traditos: & opto, quoniam prouinciam & durissimam & plenam periculi suscipis, fauceat tuis laboribus Christus. Non mehercule magis est (quod aiunt) Martis alea incerta, quàm studiorum, adeò pauci pueri perueniunt ad frugem, quanquam optimis usi præceptoribus, fortunaq; abundè suppeditarit omnia discendi instrumenta. Exercet me adhuc nomenclatura frumentorum: itaq; abs te postulo ut interroges medicos urbis tuæ, an norint frumenti speciem quam in Italia far uocarūt. Deinde quod farris hoc tempore nomen sit, quæ forma, et quatenus forma conue-

conueniat cum eo quod nos uocamus *Rocken*. Ordine hæc mihi perscribi uolo, ut simpliciter *ἡ δὲ λέξις τὰ γεωργικὰ τὰ οὐκ ἄλλοι*: & cupio mihi sic responderi, ut ab agricola, non qui diuinet ex commentarijs, sed qui cognorit *αὐτόν*, quiq; nos in rem presentem ducere queat. Postremo etiam interroga, an habeant in Italia eam frumēti speciem, quam nos *Rocken* uocamus. Nos in enarrando Hesiodo egregiā operam nauauimus. Vale, *ἀπαύσθη αὐτὸν εὖ*. Meis uerbis dicas salutem nostro Valentino. Postridie Dominicæ Iudica.

Reuerēdis. Principi ac Domino, D. Henrico octauo Angliæ & Franciæ Regi, Hybernæ Domino, Vuallia & Cornubiæ principi, Domino suo clementissimo S. D.

Serenissime & inclyte Rex. Et si publicæ quædam causæ impulerunt me, ut scriptum quoddam meum Regiæ M. T. dedicarem, ut ex præfatione intelliget R. M. T. tamen etiam multum me priuatim admiratio ingenij et uirtutis tuæ mouit, ut hac qualicunq; significatione iudicij mei, studiū meum R. M. T. declararem. Dedi itaq; initio hunc libellum Alexandro Aleſſio Scoto, uiro docto et pio, qui uirtutem & pietatē tuam mihi & multis alijs in Germania magno studio prædicare solitus est. Is pollicitus



citus est, se meum scriptum exhibiturum esse R. M. T. Quod ut æquo animo accipiat R. M. T. etiam atq; etiam rogo. Equidem opto & animum meum & scriptū probari R. M. T. De mea uoluntate hoc affirmare uerè possum, & hunc animū meum R. M. T. addictissimum esse, & me de doctrina Christiana libenter amplecti ea quæ probantur doctis & bonis uiris. Si quid mihi R. M. T. dici uoluerit, poterit huic Alexandro tutò committere. Christus seruet R. M. T. quàm diutissimè florentem & incolumem, & Rempub. multarum gentium, & Ecclesiæ Christianæ salutem: ad quam ornandam præcipuè curam & consilia sua summos Reges referre decet, & hoc tempore maximè necessarium est. Mensè Augusto, Anno 1535.

### Episcopo cuidam.

Reuerendissime & Illustriss. Princeps: Petiuit à nobis commendationem ad Reuerendiss. paternitatem uestram, quidam honestus adolescens, scholasticus huius Academiæ, Petrus de Neuumarck. Cum autem non dubitemus, quin R. P. uestra sua sponte & faueat ingenijs, & prouehere studiosos ad utilitatem Reipub. cupiat, libèter dedimus huic iuueni literas, & ut apud R. P. V. haberet testimonium morum ac studiorum suorum: & ut rogaremus, ut R. P. V. propter nostram commendationem ma-

iori beneuolentia complecti hunc iuuenem uelut  
 Qui cum sit ex ditione Nureburgensis Episcopa-  
 tus, existimauit se necessario suo tempore operam  
 & auxilium à R. P. V. tanquam à principe suo pe-  
 tere posse. Vixit hic ad triennium singulari mode-  
 stie fama, & in his communibus literis quæ primæ  
 ætati traduntur mediocriter profecit, et nunc se ad  
 iuris studia contulit. Hæc studia nullo in odio sunt,  
 & ad humanitatem et ad Reipublicæ tranquillita-  
 tem profunt: ut optimè iudicare R. P. V. potest.  
 Nec uerò dubitamus, quin R. P. V. etiam ad princi-  
 pes uiros pertinere arbitretur curam tuendi & or-  
 nandi honestas artes & utiles Reipublicæ. Com-  
 mendamus itaque R. P. V. hunc Petrum de New-  
 march, et rogamus ut R. P. V. cōferat ei sacerdotiis  
 aliquod, unde studiorum sumptus tolerare possit.  
 R. P. V. scit honestissimum id esse, & hanc eleemo-  
 synam Deo gratiam, & Reipub. esse utilem, iuare  
 studiosos honestarum artium. quæ quidem pulcher-  
 rimum ornamentum sunt Christianæ religionis. In  
 tot causis speramus commendationem, præsertim  
 à nobis profectam, plurimum ualituram esse. Neque  
 enim hic recensere attinet, quæ necessitudo & con-  
 iunctio inter nos sit. Tantum illud dicemus, cum fue-  
 rit amicitia chariss. maiorib. nostris cum R. P. V. ac  
 singulare & honorificum de uirtute R. P. V. testi-  
 monium: nosq; uicissim studia omnia & officia no-  
 stra

stra ad R. P. V. deferimus. Quare ut propter nos aliquid ad beneuolentiam erga hunc Petrum addat R. P. V. etiam atq; etiã oramus. Bene ualeat R. P. V.

Cæsario S. D.

Commendo tibi hunc iuuenem, mi Cæsari: teq; rogo, ut cum pro tua humanitate summa amplecti uelis. Magnopere enim cupit se in amicitiam ingeri, ut eruditissimis & suauissimis sermonibus tuis frui tantisper possit, dum isthic erit. Verè se in Academia aliqua interim esse putabit, si id ei contingerit. Dabis ueniam breuitati literarum. Nam hoc tempore rarò studia quidem mea me delectant, quibus alioqui nihil habeo iucundius, *ἡ δὲ Διὰ τὴν αὐτὴν φιλοῦμαι ὡς ὅσον εἰωθας*. Vale.

Pontano.

Et si nihil noui est, (nam urbs Dei beneficio tranquilla est) tamè cum diutius nostra opinione abes, dedi has ad te literas, ut interim haberes meæ diligentiae specimen. Nos Dei beneficio rectè ualemus: et Deum precamur, ut tu quoq; foelicissimè ualeas, & quàm primum saluus & incolumis domum redeas. Nihil enim nobis tua salute prius aut antiquius est. Atq; hoc quidem tempore magis te requirimus: nec sineremus te à nobis diuelli in his periculis, nisi te Respublica auocaret: cui quoniam seruis, spero

spero Deum, qui hæc à te officia requirit, defensurum te esse. Idq; ut faciat, eum ex animo precamur. Vale.

Iacobo Micyllo S.

Cum polliceretur Princeps se scholam cõfirmaturum esse, uidebam nobis in primis opus aliquo, qui non infelicitè carmen conderet, ut ad illius imitationem se comparent adolescentes eloquentiæ candidati. Nam mihi quidem de nullo disciplinarũ genere rectè iudicaturus uidetur, qui poetice non attigit: uideoq; in soluta oratione scribenda frigere illos, qui non degustarunt poticen. Porro genus uersuum tuorum semper unice amaui. Quare de te accersendo diligenter agebam, cupiebamq; ea in re publicis literarum studijs consulere, quibus in hac frequentia nostræ scholæ te nonnihil opis afferre posse arbitror. Nam Francofordianæ scholæ suffecerit aliquis plebeius lector. Verè iurare possum, hoc unum mihi in consilio esse, cur te in Saxoniam redire tantopere cupiam. Vides autem mi Micylle, quanto in discrimine sint nostræ literæ, nisi summa ope à tuis similibus defendantur. Quare te iterum per quicquid possum, perq; hunc literarũ statum rogo, ut si honestè queas, commigres ad nos. Nam quod excusas, uereri te ut sit ad prælegendũ satis magna extemporalis facultas, uerecundè tu quidem: sed nos non tam prælectionis causa te ac-

z cersui-

ceruimus, quam ut tua consuetudine formentur  
 hi, qui ad poeticen idonei erunt. Non satis perspicis  
 consilium nostrum, si quem uideas professore, qui  
 sophistico more uulgo suam garrulitatem ostendit.  
 Et quanquam uideam istud tuum genus solutæ ora-  
 tionis propter subtilitatem ad docendum & scho-  
 las appositum esse, ὅ μὲν αὖ τὰ τοῖς τῶν λεπτολογημάτων.  
 Hoc agimus, ut habeat iuuentus, ad cuius e-  
 xemplum uersus assuescat facere. Eobanus Norim-  
 bergam accersitur satis honesta conditione, alio-  
 qui huc inuitassemus. Ceteræ disciplinæ habet tole-  
 rabiles professores in hac urbe. Sed mihi tota scho-  
 la sordebit, nisi mihi tui copia contigerit. Sine igitur  
 Reipub. hoc abs te impetrare, ut operam tuam  
 nobis addicas: et cum te Reipub. nomine uocamus,  
 puta te cœlesti aliqua uoce inuitari ad honestissi-  
 mam prouinciam. Bene uale.

Marco Marcello S. D.

Francofordiæ uenerunt ad me hi adolescentes  
 Argentoratenses, commendati mihi multorum ho-  
 nestorum uirorum literis. Fuerunt autem aliquan-  
 diu Tubingæ, sed inde propter difficultatem anno-  
 næ discedunt: & quod arbitratur in Academia fre-  
 quentiori inuenturos se maiorem assiduitatē præ-  
 legentium, & disciplinarum uarietatem. Daturi sunt  
 operam studijs eloquentiæ & philosophiæ: sed ita,  
 ut

ut adiungant aliquando lectionem Iuris. Quare tibi eos commendandos esse duxi, & peto primum, ut adiuues eos in hospitio quærendo: deinde ut tuam illis operam deferas in recognitione scriptorum, aut si quando in alijs rebus consilio opus habebunt. Deinceps etiam eos ad aliquem eorum qui Institutiones Iustiniani prælegunt. An eis opus sit assidua domestici præceptoris opera, cum rediero, iudicabo. Nam sumptuum ratio ea in re habenda est. Interim tibi eos commendo, ut nobis absentibus aliqui isthic habeant, cui curæ sese esse sciant. Officium hoc hospitibus quanta curâ præstādum sit, non ignoras. Et ego causam habui mei consilij, cur tibi potissimum eos uoluerim commendari. Quæso ut propter Reipub. utilitatem, et propter nostram amicitiam, hos adolescentes diligenter cures. Bene uale. 12 Septembris, Anno 1536, Francofordiæ.

Marcello Regio S. D.

Nullam uolo te, mi Marcelle, aliam causam suspicari tam ducturni silentij mei, quàm occupationes meas, quæ tibi sunt notæ. Semper enim amavi fidem, grauitatem, & singularem in studijs diligentiam tuam. Has uirtutes non possum non amare, si modò non putas me alienum esse ab humanitate. Nihil igitur est quod de mea erga te uoluntate dubites. Hic iuuenis rogauit, ut se tibi commendarem:

et meo iudicio dignus est quem amplectaris. Habet ingenium ad literas appositum, si modò cultura accesserit. Pater eum certo consilio hinc abducit: et uidetur apud te posse proficere, si eum uolueris exercere scribendo tum soluta, tum uersu. Velim eum etiam in Dialecticis et Mathematicis exerceri. Spero eius cōsuetudinem futuram utilem tuæ scholæ. Nam eius exemplo accendentur tui, ad diligentius scribendum. Vale.

Indole & uirtute præstanti, Christo-  
phoro M. amico suo, S. D.

Charissime Christophore. Et in cœlo consideres interdum leges motuum esse certissimas, et te ipsum aspice: et cogita impressa esse mentibus hominum uestigia, quæ testantur et esse Deum opificem uniuersæ naturæ, et seruatorem generis humani. Deinde adiungito doctrinam in Ecclesia traditam. Filius Dei certis testimonijs sese patefecit, et adfirmat se seruaturum esse sibi Ecclesiam, sicut inquit: Ecce maneo uobiscum usq; ad consummationem sæculi. Hac te cogitatione confirmes, et statuas mansuras esse aliquas Dei Ecclesias, et aliqua earum hospitia: et eruditione te præpares, ut usui communi societati esse possis. Bene uale. Salutem opto dulcissimis fratribus tuis.

Die 12 Maij.

Christo-



Christophoro Ruellio S. D.'

Quod iterum ad me scribis, specimen mihi præbes egregium non modò diligentiae tuæ in literarũ studijs, sed etiam humanitatis, quæ uim habet maximam ad assuefaciendum animum ad omnia uirtutis officia: ac planè uirtutum præcipuarũ nutrix est. Gratulor igitur hanc indolem: & precor Christum, ut studijs fratris tui faueat. Quòd polliceris te præceptori fore obsequentẽ: facile est, inquit ille, imperium in bonos. Itaq; te quoq; præditum tali humanitate & suauitate ingenij, spero nusquam recta monentibus aut parentibus aut præceptoribus defuturum esse. Patri tuo, uiro optimo, salutem dices meis uerbis reuerenter: ac narrabis, me principi Moguntino meos Romanos misisse: eumq; honorificum munus donasse. Bene uale.

Eidem,

Dei beneficio heri ad Salinas peruenimus, non sine negotio eluctati ex altissimis niuib, quæ uia ita obruebant, ut agnosci non posset. Sed, Deo ducente, nusquam procul uia aberrauimus. Hæc patri tuo, uiro optimo, meis uerbis narrato. Scio enim ei curæ esse nostrum iter. Tuos præceptores meis uerbis saluta. In Salinis de Viteberga nihil noui audiui, nisi nuptias. Cras enim D. præfectus noster pompam nuptialem celebraturus est. Co-

2 5 chlaus

chleus hic in Salinis adest, deliberat cum Croco de editione nescio cuius scripti. Bene uale. Dic Dominica Esto mihi, 1533. Patri gratias ages nostris uerbis, pro omnibus beneficijs quæ in nos summa humanitate contulit.

Egregia doctrina & bonitate uiro, D. Michaeli Voetio, Musicæ professori, amico suo charissimo,  
S. D.

Amo studium tuum, quod ponis in Musica excolenda: & cuperem, ut perficeres libros, quos hic inchoabas. ἀποχρηματισμὸν, quem proximè misisti, legi, & nōnulla adscripsi. De ordine sic sentio, quòd ad Musicae diuisionē attinet, ita ponendū esse, ut à latere chartæ scripsi, cū suis definitionibus. Ita enim artis uarietas magis perficietur. Deinde τὸ ἡμῶν de interuallis Arithmeticis et Musicis, ex una parte pingendum, & subiicienda primū Procli, deinde Nicomachi uerba: ex altera parte τὸ ἀνάγκη alterum, de tribus modorum generibus antiquis, ita ut rursus Procli uerba subiungantur, atq; item Platonis. In diuisione Musicae ponantur definitiones omnium partium Latine. figuris postea subscribātur Græca. Hæc si cōsiderabis, etiam tu probabis. Vale, & me ama. Mise-

NA, 1551.

Charissi-

Charissimo filio suo Philippo Melanchthoni, ciui Torgensi,

S. D.

Charissime fili: Pagellas, quas mitto, dabis reuere-  
rendo D. pastori, & gubernatori scholæ. De tuis  
rebus aut scribes mihi, aut ipse aduenies. Fucrã uo-  
catus à Palatino Electore. Sed retineor seu fato,  
seu alijs causis: nec cupio mihi plura negocia accer-  
sere, in tam maledico seculo. Bene uale. Die Apri-  
lis 26.

D. Ioanni Buchnero, pastori in Ec-  
clesia Osenhacensi, S. D.

Venerande uir, & charissime amice. Venit ad  
nos Torgam uester nuncius, ut ex ipso intelligetis.  
Cum autem nunc uirum ualde idoneum ad munus  
diaconi norim in nostra Academia, ualentem inge-  
nio & facundia, & corporis figura ornatum, eru-  
ditum et modestum, non procul à nobis natum, ni-  
mirum Salringen: hunc ad uos quàm primùm mit-  
tam. ideo quæso, ut ei locum seruetis. Diu mihi no-  
tus fuit, & stipendium à Principe antea habuit, &  
fuit diligens in omni officio: utinam eum uobis nu-  
per commendare potuissem. Sed nondum sciebam,  
eum in Academiam reuersurum esse. Illud te oro,  
ut diaconis hortator sis, ut prorsus nullam mentio-  
nem faciant belli in concionibus: sed dicant necesse

ria uestro auditorio, cum non possimus sanare uulnera nostra uituperandis uictoribus. Deo nos commendemus, & necessariam doctrinam illustremus: quod facere possumus mediocri studio. Vale.

Amico suo N.N. S. D.

Spero te accepisse meam epistolā, quam isthuc perferendam dedi nuncio Northusano: in qua significamus, pias sentētias à delectis ex nobilitate et ex ciuitatibus dictatas esse. Video plurimorum uoluntatem piam & honestam esse. Nec nos discedemus ab eo scripto, quod isthic cōmuni deliberatione compositum est. Nunc iussus sum recitare copiosius articulum τῆς ἐκ Διευκρινήσεως. Quia existimant narrationem literis ad Imperatorem addendam esse, quæ exponat qualis sit doctrina, & qui ritus harum Ecclesiarū. De literis τῶν πρὸς αὐτὸν ῥητόρων ὑπομνήματα, reprehendenda est λανθάνουσα hominum, qui excerpunt quæ taxentur: ea uerò quæ fortius dicuntur, negligūt. Sed usitata est hæc peruersitas, et obruenda uirtute. \* Quod Marchici describi uolunt Sphingem Augustanam, si isthic exemplum habetis, opinor nos illud Stendaliæ descripsisse. Quæso ut eis gratificeris. Reuerendo domino pastori, & D. Vito, & cæteris amicis, ac nostræ familiæ salutem opto. Nunc enim pluribus scribere non poteram. Bene uale, Die 6 Iulij.

M. Vel.

M. Velcurioni S. D.

Doctor Leonhardus Mertz, Syndicus Maide-  
burgensis, iam aliquoties huc scripsit ad me, rogās  
ut filio præceptorem quæram: ac maximè optat si  
ibi contingere aliquem, qui exerceat puerum in his  
nostris communibus literis, & assuefaciat eum ad  
lectionem elementorum Iuris audiendam. Ego ue-  
rò neminē uideo ei rei aptiorem, quàm te fore. Pa-  
ter uir bonus est, & erit gratus: quod ego certò  
scio. Sed uereor, ne pueri ferocitas absterreat te.  
Qui tamen uidetur reuocari posse ad modestiam,  
postquam sentit, quantum pater offensus sit nescio  
quibus rumoribus de eo dissipatis. Amabò te, respò-  
de. Ac uelim te promittere, nō respondere tantum.  
Adest nuncius, qui à patre uēturus est ad me, à præ-  
dio. Fac sciam, quid decreueris.

Chiliano Goltstein S. D.

Et ingenium & fortunam Pacei noui. Hoc ma-  
gis miseret me & ipsius, & liberorum, & coniu-  
gis eius, quàm ullius pastoris. Quare non existime-  
tis, me ullis suspicionibus ab illo alienatum esse: scit  
se antea sæpenumero suo tempore à me adiutū es-  
se. Verum ego nō possum toties inuenire nouas con-  
ditiones, quoties ipse fastidit præsentē. Vellem cum  
non aspernari Herzbergensem nidum, donec com-  
modiorem reperisset. Nam sibi non consulit: & ta-

men illam scholā negligit & euertit. Quod si scis  
 aliam conditionem, quam sperat mea commenda-  
 tione se consequi posse, non deero ei, ubi monstra-  
 uerit. Nam ego non scio quomodo ei cōsulere pos-  
 simus, *ἔχωντος ἡγεμονίῳ αἰεὶ τῇ παρθεῖν τύχῃ*. Vale  
 feliciter.

M. Erhardo Hollatio S. D.

Dabis mihi ueniam, mi Erharde, quòd breuius  
 nunc ad te scribo, quum conueniebat ex tanto in-  
 teruallo reuocari ueterem scribendi consuetudinē.  
 Nam occupationes meae non sunt tibi ignotae, quae  
 subinde crescunt hoc tempore, propter publica ne-  
 gocia: quae quo in statu sint, existimare facile po-  
 tes. Planè mihi uidetur ἐπίταξις esse huius fabulae,  
 quam agimus: Christus efficiat ut leta sit catastro-  
 phe. De puerorū studijs nihil possum tibi praescri-  
 bere, neq; arbitror tibi meo consilio admodum o-  
 pus esse: neq; enim ignoras quae sit optima ratio in-  
 stituendae pueritiae. In hoc unum incumbes summo  
 studio, ut efficias eos absolutos grammaticos: etiam  
 si in ea re commoreris, nihil oberit. De tuis rebus  
 quaeso, ut per occasionem ad me saepissimè scribas.  
 Nam ut scias, submolestè fero, quòd tam rarò ad  
 me scripsisti, ex quo ad Vuilhelmū profectus  
 es. Vale. Anno 1536.

Ioanni

Ioanni Reiffenstein S. D.

Gratum est mihi officium, mi Ioannes, quòd literas ad me dedisti, plenas amoris erga me tui. Neque uerò de animo tuo unquam dubitavi, cum iudicem te singulari naturæ felicitate ad humanitatem et has uirtutes mitiores, quas *humnæs* uocamus, factum esse. Sed delectat me tamē hęc significatio beneuolentiæ. Quòd properas ad nos redire, laudo equidē studium tuum, & tibi non sum defuturus: sed tua causa maximè fratres domum remisi, ac uolo ut te honestissima & sanctissima matre oblectes, ut frui domesticis confirmandarum uirium causa, ut hanc militiam literarum facilius postea perferre possis. De meo consilio, quando uos huc proficisci uelim, scribam Marcello. Vale.

D.D. Chiliano Goldstein.

Cum agi uiderem de schola isthinc transferenda in locum salubriorē, sepe etiam mihi tui uenit in mentem: quem, quicquid accidisset, optabam unā cum reliquo sodalitiis docentium esse: sed uidebam certa de causa uix posse te peregrinationē longinquam suscipere. Nec poteram tibi absens quicquam adferre uel opis, uel consilij: ita alienissimo tempore me casus quidam illinc abstraxerat. Nunc quoniam constitui isthic diutius manere, opto ut bene eueniat. Ego si meo arbitrio uiuere mihi licet,



ret, non fuiffem paffus à uobis me auell: cum præfertim audiam clementiorē effe peftilentiam, quàm antea nunciabatur. Verùm hic me hæc ſcholæ pars, quæ hanc sedē elegit, alligat. Heri primùm huc ueni, nec cognoui qui fit ſtatus huius ſcholæ, aut quæ forma futura fit. Cum poteris, quæſo te ut ad nos copioſiſſimè ſcribas. Longicampiano ſalutem dices meis uerbis. Utinam ita eſſent eius res, ut nobiſcum uiuere poſſet. Sed ferenda eſt Dei uoluntas. Die Laurentij, Anno 1527.

D. Alberto Reiffenſtein

S. D.

Rectè iudicas de meo erga te animo, mi Alberte. Verè enim te non minore amore quàm meos liberos complector: ac planè hoc tuum iudicium de mea erga te beneuolentia, maximæ mihi uoluptati fuit. Deus faciat, ut ueſtris ſtudijs tantum uoluptatis adferre poſſim, quantum opto & cupio. Et ſi uos amo, propter priuatam inter patrem & me amicitiam: tamen mihi crede, Reipublicæ cauſa magis etiam uobis deuinctus ſum. Cupio propagare ad poſteros, quantum ego quidem poſſum, hæc literulas, in quibus uerſor: quas iudico Reipublicæ utiles eſſe. Quarum ſtudio cum te incenſum eſſe uideam, efficiam ut intelligas, mea tibi officia tendenti ad ueram laudem non deeſſe. Mitto tibi  
ſenten-

sententias eruditissimi Lutheri, de quibus disputa-  
uimus his diebus. Dabis etiam exemplū D.D. Plet-  
nero. Vale.

Guilmo Reiffenstein, Guilhelmi  
filio, S. D.

Literis tuis, mi Guilhelme, non eo tantum dele-  
ctatus sum, quod habebant egregiam amoris er-  
ga me tui significationem: sed etiam, quod erant di-  
ligenter & eleganter scriptæ. Itaq; te adhortor, ut  
quod facis, in hanc rationem studiorū & exercen-  
di styli incūbas. Mea opera tibi, si quid modò præ-  
stare potero, non defutura est. Quid uideatur mihi  
de aduentu ad uos uestro, scripsi Marcello. Et  
Lipsiæ animaduerti patris tui, uiri optimi, senten-  
tiam cum mea congruere. Non solum ad uestra stu-  
dia, sed etiam ad Rempublicam pertinet, honestos  
adolescētes frequentiam scholæ augere, καὶ πρέπει  
ἡμῖν τοῖς τὴν γυναικίαν φιλοσοφίαν ἐπαγγελλο-  
μένοις τὰ λοιπὰ περὶ πλάσσειν ποιεῖν. Vobis etiam  
honestum est, conspici in turba cruditorum, cum  
quadam uirtutis opinione. Vale.

Bernhardo Eritio S. D.

Magnam mihi uoluptatem attulerunt tue litē-  
re, in quibus & amoris erga me tui significatio ex-  
tat, & studiorum commemoratio. Sed multo ma-  
gis

gis me delectauit ornatissimi uiri D. Guilhelmi testimonium, qui te, cum essemus Lypsiæ, honestissimis laudibus ornauit, quas etiam aliqua ex parte ad me pertinere iudicarem: tamen tua magis quam mea gloria delectabar. Itaque te adhortor, ut omni studio des operam, et honestorum hominum iudicia de te tuare. Quod ut facias, et oro Christum: et non aliter opto, quam si ex me natus esses. Dico uolente, hac hyeme insitutum opus Anatomicum absoluemus, præsertim in hoc secessu. Aliquoties hic disputauimus, ubi tuum ingenium etiam requirimus. Sodales tuos amanter meis uerbis saluta. Vale.

Et genere nobili, & literarum cognitione præstanti, N. à N. amico suo,

S. D.

Delector tuo officio, mi N. quo de successu tuo ac studijs tuis ad me scripsisti. Agnosco enim ea in re tuum erga me amorem: quem, quia de tuo ingenio bene et amanter sentio, facio plurimi. Cæterum de migratione leges nullæ impositæ sunt auditoribus. Quare ego quidem facile patior ijs in locis te uersari, ubi poteris quam commodissimè uiuere. Illud tibi enim opto, ut sodalitium habeas literarium, qui cum oblectes et exerceas ingenium foelicissimum. Quod si pergis excolere, polliceri tibi ausim, te et tibi et patriæ ornameto futurum esse.

esse. Compārent enim notæ singularis cuiusdam fecitatis in oratione tua. Quare non desino te hortari, cum tua, tum Reip. causa, ut in ijs artibus, in quibus cum expectatione nostra uersaris, intendas, ut ad Rempub. instructior accedere possis. Ac Minervam Homericam quoq; tibi illud dicere putes, quod Telemacho adolescenti dicit,

ἀλλ' ἄγερος ἐὼς ἴνα τίς σε ἰδὼν ὀφείσῃεν ἔμψα.

Brevi eam partem scholæ, quæ secessit in Tyripetæ, reducturi sumus, Deo uolente. Te quoq; cum tibi erit cōmodū, redire, ac nobiscū cōmunia studia tractare ac ornare cupio. Bene uale, 22 Ianuarij.

Clarissimo uiro, &c. Secretario illustrissimi Principis Alberti Ducis Borussiae, S. D.

Multæ sunt causæ, cur Deus semina magni amoris parētum erga natos cordibus nostris indiderit. Sed hæc præcipua est, ut hic affectus nos commoueat de amore Patris æterni erga filium Iesum Christum, & erga nos. Remoueamus igitur à Deo Stoicam sententiā, & uerè nos ab eo diligere statuamus. Sciamus etiam, placere ei in nobis similem adfectum erga natos. Ideo fateor me ualde dilexisse filiam, & ea extincta in magno dolore esse: quem tamen cogitatione doctrinæ cœlestis moderari studeo. & uobis gratias ago, non solum quod nunc  
amant-

amanter nostra causa doletis, & literis uestris do-  
lorem significatis, fontibus consolationis monstra-  
tis: sed etiam, quod antea uiuenti meae filiae multa  
beneficia praestitistis, quodq; multis officijs meos  
iuuatis. Ego etsi reddere similia officia nō possum,  
tamen animi gratitudinem praestare cupio. Et quia  
Deus toties testatur, se ijs qui bene faciunt ordini  
scholastico, doctrinam coelestem fideliter custodiē-  
tibus praemia redditurum esse ( quarum promissio-  
num exempla & hac aetate ostendit ) spero me  
uicissim uobis benefacturum esse: & ut uos & ue-  
stros seruet, defendat & regat, toto eum pectore  
oro. Bene & feliciter ualete. Die 5 Aprilis 1547.

Chiliano Goltstein S. D.

Quanquam sic satis occupatus eram in appa-  
randa apologia, uel potius *ἱερολογῆσαι*, tamen  
dedi has ad te literas Erasmo tuo, semel atq; iterum  
hortanti me ad scribendum. Hodie uerò ad ipsius  
uoluntatem accessit & alius hortator. Conciona-  
tor tuae patriae salutem mihi tuis uerbis dixit, quae  
erat gratissima: & rogauit, ut si quando commo-  
dè possem, significarem tibi quid hīc fieret. Nos  
hīc toto ferè mense desidemus, expectantes τὸν αὐ-  
τοῦ ἁγίου. nōdum enim adest. Scis autem, hoc ab-  
sente nihil earum rerum geri, quarum nos omnes,  
ac uos quoq; expectatio magnopere angit. Non-  
dum

dum enim certò scimus, an omnino decreuerit cognoscere controuersias religionis. Non enim dubiū est, quin ei ἀπ' ἑσπέρης miris machinis oppugnēt animum Caesaris, ut à cognitione absterreant. Reliquum est igitur, ut uos nobiscum oretis Christum (qui certò ascendit in coelos, ut daret dona hominibus) ut letam huius conuentus catastrophem nobis concedat. Unus uir est in aula Imperatoris, Cancellarius D. Mercurinus, uir sapiētissimus, quem adiunt constanter in ea manere sententia, ut sine uolentia res cognoscatur. Fertur esse Inuictiss. Carolus V. Imperatori planè, quod Vlpianus erat Alexandro Seuero. Hanc apud Imperatorem et auctoritatem & gratiam pepererunt ei summæ ingenij dotes, prudentia & scientia ciuiliū rerum maxima, cognitio & nostræ doctrinæ & aliarum literarum neutiquam uulgaris. Vale. Datæ Augustæ, die Ascensionis filij Dei, Anno 1530.

Christophoro Ruellio S. D.

Cum pro meo erga te amore de studijs tuis cogitem, duxi te admonendū esse de quadā parte primarum exercitationū. Tempus est, meo iudicio, ut incipias prosodiam discere, ut coneris uersus facere. Quod etsi initio subdifficile uidebitur: tamē paulatim usus hanc exercitationem & iucūdiorem & faciliore efficiet. Quia nolim te difficultate primi co-

A natuſ

natus deterreri, atq; animo frangi, præsertim cum hæc exercitatio maximas pariat utilitates. Res est per se liberalis & digna tua natura, intelligere hæc in uersibus iungendis musicā. Videtur enim ad has humanissimas artes aptius esse, in quibus cum eloquentia, tum poetica inest. Deinde Latini sermonis copiam atq; elegantiam adfert: & grammaticus eris melior, & omnino iudicium acuet hæc exercitatio de omni ratione scribendi. Ego autem ita statuo, summo studio tibi incumbendum esse in omnia quæ ad eloquentiam cōducunt: teq; hunc finem tuorum studiorum proponere debere, ut adferas ad Rempublicam dicendi facultatē. quæ quale habeat ornamentum, facile poteris audire ex patre tuo, uiro optimo, & prudētissimo. Hoc consilium exponere præcepteri tuo, & quid decreuerit rescribito. Vale, Anno 1533.

Magistro Bernhardo Bomgartnero  
Vlcensi, amico suo.

Quòd aliquoties abs te prouocatus amātissimis literis hætenus non respondi, uelim te, mi Bernharde, tantum occupationibus nostris tribuere: quæ maiores et grauiores hac hyeme fuerūt, quàm aliàs unquam. Nam & conuentibus interfuius, & uariè nos regum legati exercuerunt. Dedi autem hoc breue epistolium Ionæ, ut D. Pontani & meis uer-



his tibi gratularetur coniugium. Itaq; bene precamur tibi, & optamus ut Christus te seruet et gubernet, & benedicat ac faueat tuo coniugio, & uniuerse uitæ. Amamus enim te propter eximiam probitatem, modestiam, pietatem, & liberalem doctrinam. Illud autem te adhortor, ut memineris coniugium esse mysterium & imaginem societatis quæ Christo est cum Ecclesia. Quare te coniugis amor admonere debet, ut Ecclesiam etiam pari amore, cuius illa est imago, cõplectaris. quod quidẽ te facere non dubito. Sed duxi tamẽ hæc scribenda esse, quòd sciam plerosq; cura rei familiaris à literis abstrahi. Te uerò in literis retinere dicitur amor Ecclesiæ, cui spero ingenium tuum magno usui & ornamento fore. Mitto munus & γαμήλιον, quod tuæ coniugi meis uerbis exhibebis. Precor autem, ut Christus uos seruet, & cumulet cœlestibus donis. Bene et feliciter uale. Pridie Calēdæ Aprilis, Anno 1536.

Magistro Laurentio Camillo, re-  
ctori scholæ Stendaliæ,  
S. D.

In primo Oeconomicorum Aristotelis citatur Pythagoræ dictum: Non esse iniuria adficiendam coniugem, quia ab ara uelut supplex merito adducta sit. Fuit enim uetus mos, supplices, quos uocabant *inētas*, sedentes ad aram, petere ueniam, aut

A 2      defen-

defensionem: et inde subleuati à uictoribus aut defensoribus recipiebantur. Deinde scis, singulari religione supplices defensoribus commendatos fuisse, ut uersus inquit:

*μη ἀδιν: ἐν ἐτάς, ἐν ἐταῖς ἰσπρίτε: καὶ ἀγροί.*

Etsi autem doctrina cœlestis illustriores con-  
tiones de coniugij fœdere proponit, quæ tibi no-  
tissimæ sunt: tan: en quia hoc Pythagoricum dictum  
uesigia piæ antiquitatis recenset, & confert spon-  
sam ad supplicem: ualde eo dicto & ipse delector,  
& alios eruditos delectari audiui. Ideo tibi quoque  
notum esse uolui: & precor Deum æternum pa-  
trem Domini nostri Iesu Christi, cōditorem uniuersæ  
naturæ rerum, & generis humani, & authorem  
dulcissimæ consuetudinis coniugalis, ut tuo coniu-  
gio adsit, & faciat ut sit faustū & felix. Nos nunc  
temporibus retinemur, quo minus tecum & γα-  
μήλια & meum natalem celebrem. Nam meus na-  
talis proximus est à tuis γαμήλις, uidelicet 16 Fe-  
bruarij. Bene uale. καὶ τῇ νύμφῃ φιλιναὶ dato.

Meministi enim uersum,

*ἰστὶ καὶ ἐν λενέοισι φιλήμασι μ' ἀδία τέγεις.*

7 Februarij, Anno 1547.

Venerando uiro, &c. domino Georgio  
Buchholzer, præposito Ecclesiæ Dei  
in Berlin, amico suo,

S. D. Venerande domine Georgi. Mitto uobis  
pagellam

pagellam, in qua uera est series rerum gestarum  
 que nobis significatæ sunt usq; ad diem 9 Augusti.  
 Oremus Deum æternum patrem Domini nostri Ie-  
 su Christi, ut nos gubernet, & restituat salutarem  
 pacem. De cruce ita se res habet. Fuit magna mo-  
 les minitans ruinam, diuq; funibus alligata fuit pa-  
 rietibus. Cum autem nuper sepulchrum foderetur  
 non procul ab ea cruce, suasisit fossor, ut amouere-  
 tur crux, ne rueret. Ideo consul amoueri curauit,  
 permittente domino pastore. Miror Principem N.  
 re tali moueri. Sed Deus erit iudex omnium nostra-  
 rum actionum, qui est inspector cordium, & uidet  
 qui sincero corde ueritatē illustrare cupiant. Land-  
 grauius dixit se aut letum in cælum iturū, aut hoc  
 labore Ecclesijs concordiam & pacem constitutu-  
 rum. Bene ualete, Die 9 Augusti, Anno 1546.

Reuerendo uiro, domino Geor-  
 gio Buchholtzer,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Scri-  
 psi D. doctori Musculo, qui mecum exposulauit:  
 optare me, ut harum regionum Ecclesiæ tranquil-  
 le sint, nec me moturum esse certamen; ac de illis i-  
 psis propositionibus, quas edidit, hortatus sum ut  
 iudicia audiat Brunswicensis & Parthenopæ Ec-  
 clesiæ. Certissimū est, Stoicam & Manichæā αἰρέ-  
 σιν contumeliosam esse contra Deum, & pernicio-

A 3 sam

*san moribus. Ideo si mihi uel ipse uel alij bellū intulerint, piè & modestè respondebo. Mitto tibi exemplum de controuersia Osiandri, quod uolo te legere ut censorem, & mihi iudicium tuum significare. Oro etiam, ut illustrissimo Electori, & uiro clarissimo D. Agricole & Bottichero exempla de ipsis inscripta. Hæc hora literas ex Vratislauia accepi, in quibus scribitur, recens Turcos abduxisse magnam multitudinem hominum in Pannonia. Mater fortiter prælians recepit duos filios: et quamquam dextra ei præcisa est, tamen euasit cum filijs, & redijt in patriā. Bene uale. Die Encœniorū, quæ fuerunt 25 Nouembris, qui dicebatur Kisieu, id est, Orionius. Hæc uera etymologia est.*

**Reuerendo uiro D. N. N. pastori Ecclesie Dei in oppido Senonum Tangermund, fratri suo charissimo,**

**S. D.** Reuerende uir, et charissime frater: Cum abessem Lipsiæ, huc à Senatu Brandenburgensi literæ missæ sunt, ut ad N. N. scriberem: ac scripsissem, si affuissem. quanquam literæ nostræ gratiores essent, si unà mitteretur responsio de Stancaro: quam nondum absolui, quia editionibus impediior. Quanquam autem de uolūtate Principis multa cogito: aditus ad eum patent Canonicis, quorum Pharisæica

risaica odia nouimus. Aduersatura igitur esse Senatui Brandenburgensi metuo. Sed experiamur sanè, quid impetrari possit. Si aduersabitur, Goslaria petatur. Significabis igitur senatoribus, ut rursus ad me nuncium mittant. Bene & feliciter uale. Die 22 Februarij.

Venerando uiro D. Georgio  
Buchholzer

S. D. Venerande domine Præposite; Gratias ago vobis pro pietate uestra, quam etiam Deo gratam esse spero, ut in Psalmo dicitur: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Intelleximus uicinarum Lusatorum apparatus, & ex alijs. Quæ autem præsidia opponat præfecti, nescio. Ego Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut pœnas mitiget. Video enim impendêre pœnas. Sed tamen Imperator nec patriæ nec Ecclesiæ bene consuluit, moto hoc bello. Nam etiamsi uincet, maiores erunt Imperij et Ecclesiæ confusiones: quas utinam Deus mitiget. Sum tranquilliore animo: quia mihi concius sum, me in magna caligine opinionũ ueritatẽ sincero animo quæsiuisse, nec opes nec potentiã uenatum esse. Credo etiam Deum exauditurũ esse gemitus nostros. Bene ualete. Nuncio solui, ut in charta scripsi, quam huic epistolæ inserui. Iterum ualete, 25 Septembris, Anno 1546.

Reuerendo uiro, D.N.N. pastori Eccle-  
siæ Dei in ueteri Bremi arce, fratri  
suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Me-  
tuebam uenientis anni motus, propter Saturni &  
Martis coniunctionem. Nunc accedit cometa, cuius  
est magna moles, ardens in uirgine prope  $\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\sigma-$   
 $\gamma\eta\tau\lambda\upsilon$  tota ferè nocte conspici potest. Cum igitur  
magnæ rerum confusiones secuturæ sint, ardentio-  
ra sint pectora in inuocatione filij Dei, qui dixit:  
Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. ac profe-  
ctò magna doctrinarum certamina magis metuo,  
quàm alia bella: quanquam illa etiam petulantiam  
ingeniorum augent. Te fili Dei Domine Iesu Chri-  
ste, caput Ecclesiæ,  $\lambda\acute{o}\gamma\epsilon\ \lambda\acute{o}\gamma\epsilon\ \epsilon\iota\upsilon\omega\mu$  æterni Patris o-  
mnipotentis, oro, ut nos gubernes & serues. Bene  
uale, charissime frater, & rescribe. 7 Martij. Mit-  
to pagellas.

Venerendo uiro, &c. D. Georgio Buch-  
holzero, amico suo,

S. D. Venerande uir, & amice charissime. E-  
xempla carminum filij uobis muto: quæ libenter  
edi curaui, ut hac celebritate filius inuitaretur, ut  
hæc studia & magis amet, & libētius exerceat. De-  
inde uobis etiam uoluptati esse filij indolem, & iu-  
dicia de eo honorifica uolo. Dei beneficio, uena est  
satis

satis foelix: ac ualde optarim ei proponi materias,  
 quæ gignerent aliquanto grandiores uersus. Ore-  
 mus autem Deum æternum patrem Domini nostri  
 Iesu Christi, conditorem generis humani, & Eccle-  
 siæ suæ, ut regat multorum ingenia, ut fiant *oues op-*  
*por* *the*, & organa salutaria Ecclesiæ. Nescio unde  
 sit tantū odium aduersus me in ueteribus quibus-  
 dam amicis, cum ipsi sciant nullum nouum dogma  
 à me genitum esse, & in quibusdam mediocri stu-  
 dio quæsitam esse ueram & propriam explicatio-  
 nem: quam diu etiam his Ecclesijs ad concordiam  
 profuisse consentaneum est. Sed Ecclesiam & me  
 Deo commendo. Salutem opto clarissimis uiris, do-  
 mino Cancellario, domino Gregorio, domino Suol-  
 lio, & alijs amicis. Typographo pro exemplis sa-  
 tisfeci, quæ dono filijs uestris. Bene ualete. Die 21  
 Octobris.

Egregia pietate & eruditione prædito,  
 D. Georgio Solino, pastori Ecclesiæ  
 in Tangermund, ami-  
 co suo,

S. D. Pium officium, & mihi pergratum facis,  
 quòd Flädrum, de quo scripsi, curas prouehere ad  
 ministerium Euāgelij. Est enim, quantum iudicare  
 possum, uir pius, placidissimis moribus, & bene do-  
 ctus. Cum erit occasio, uocabis eum. Eaq; de re lite-



**F**as mittes ad D. Paulum Knot, qui tuam sententiā  
 Flandro illi Ioanni indicabit. Mitto domino Hiero-  
 nymo Staud exiguum xenium: interdum typogra-  
 phus fuit negligentior: id ut boni consulat, rogo.  
 De Marchicis Ecclesijs bene spero: ac oro Deum,  
 ut earum adiuuet instaurationem. Tuum erit, pa-  
 trie non deesse. Islebius pollicetur, se nunquā à sen-  
 tentia Ecclesie Vuitebergensis discessurum. Ac il-  
 lustrissimus Princeps Elector pio studio horta-  
 tur eum ad placandum doctorem. Audio futu-  
 rum esse conuentum Vuormacie, in quo institu-  
 da est deliberatio de conciliandis Ecclesijs. Vti-  
 nam Deus flectat Principum animos ad gloriam  
 Dei ornandam, et ad salutarem concordiam. Tuq;  
 pro Ecclesia vota facito. Ego post paucos dies su-  
 scipiam iter, quod felix & faustum sit. Bene uale.  
 Dis 10 Decembris, 1540.

**R**euerendo uiro, D. Georgio Buchhol-  
 tzero, amico & fratri suo cha-  
 rissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Hac  
 hora longam eruditi hominis narrationem de fon-  
 te Saxonico accepi, qui adfirmat lauationē extrin-  
 secus prodesse contra ulcera, non corroborare ner-  
 uos: hæc congruit cum natura τῆς ἀρχῆς. Sed intra  
 corpus bibendo nocet: et audiui exempla duorum,  
 quibus

quibus eius fontis potus nocuit. Mittam' illam descriptionem, quam iam accepi. Nunc mitto exemplum commentarij Epistolæ Pauli ad Romanos, quod uelim à uobis, ut à iudice, legi: & me mone-  
ri, sicubi extra uiam curro: sicut istic interdum insua-  
uiter de uobis iudicatur. Doceri nos mallè. Mit-  
to & capita proximæ disputationis, cui ut intexeremus  
aliquid de Mediatore, occasionem præbuit contentio  
Pragensis. Nam Prage quidam Canisij socij reprehendūt hanc formam: Fili Dei Iesu Christi  
intercede pro nobis apud æternum Patrem. Et contendunt,  
Christum tantum ut Deum datorē bonorum inuocandum esse.  
At Cyprianus inquit expresse, pagina 505. O' fili Dei, Domine noster Iesu  
Christe, peto ut petas, ut detur mihi, &c. Inspice locum,  
& quære plura exempla, & mihi significato uestra iudicia.  
Epicedion honestæ matronæ coniugis reuerendi D.N. rectè scriptū, curabo his  
diebus edi. Bene uale. Die 13. Maij, Anno 1556.

Clarissimo uiro D. Antonio Musæ, pasto-  
ri Ecclesiæ Rochlicensis, amico  
suo charissimo,

S. D. Gratiam tibi habeo, doctissime & opti-  
me domine Antoni, quod tam amanter significasti  
perpetuam beneuolētiam tuam, et in amicitia con-  
stantiā, maximè dignam uiro docto, et in ijs studijs  
uersanti,

uersanti, quæ nos quidem semper coluimus, & quæ reuera sunt uirtutis studia. Vicissim autem te à me ex animo diligi statues: ac si possem reipsa declarare uoluntatem meam, perficerem ut extarent illustria testimonia. Sed uides temporum difficultates. Iacemus uarijs modis nos omnes: quia signa sequuntur, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Gaudeo tamen non esse impeditam utilitatē tuam uel à Principe, uel ab Episcopo. Primum ex tuis literis intellexi, Olsnicensē sine consilio Principis & Episcopi à suo amico attractum esse: sed fortassis hoc ipsum tibi prodest. nam uix eodē loco sine certamine fuissetis. Sed omitto hæc.

De his qui ad Ecclesiasticum munus admittuntur, querela tua iustissima est. querimur idem, sed non iuuamur à potentibus. Mihi in aula etiam calumnia insignis subeunda fuit, propterea quòd rogavi ut de ordinatione ratio iniretur, ut doceri possent qui admittuntur. Monemus, hortamur, erudimus eos, quantū possumus. De quæstione tua aliquoties cum Luthero differui: & illi & mihi uidetur simplicissimè, ut sonat, articulus intelligendus esse: Christū fuisse apud inferos, excitasse multos mortuos, & erudisse fortassis præstantes omnium gentium uiros, ut Scipionem, Fabium, & similes. tale quiddam intelligit Petrus, qui clarè ait: Christum apud inferos cōcionatum esse. Si hoc pa-

*radoxum*

radoxum aliquibus uidetur, nihil pugno: tecum familiariter disputo, ut tuam quoq; sententiam audiam. Mitto tibi duas amicorum oratiunculas. Bene et feliciter uale, et rescribe. Die 12 Martij, 1545.

Reuerendo uiro D. Georgio Buchholzero, amico suo colendo,

S. D. Reuerende uir. Filij & sunt & erunt mihi curæ. Scripsit mediocre carmen Noha de Angelis, ad clarissimum uirum dominum Cancellarium. Nunc dedi splendidum argumentum de Samaritano. Ero hortator & alteri ad philosophica studia. Utinam Deus seruet his iuuenibus Ecclesiã, & mediocres politias. Profectò ingentes motus impendent, qui erumpent in proximum annum. Deus gubernet suam cymbam. Imperator Spiram proficiscitur, & opinio est conuentum in urbe Argentina fore. De pyris ago gratias. Bene uale.

D. Præposito Berlinensi,

S. D. Spero illustrissimi Principis Marchionis Friderici gubernationem his regionibus salutarem fore: & ut Deus cum regat, toto pectore eum oro. Quia profectò in hac ultima & delira mundi senectâ, quæ tam uarias habet confusiones imperiorum, opus est aliquibus principibus bonis, quorum

quorum moderatione & sapientia aliquo modo mitigentur mala publica. De carne ferina agite reuerenter gratias meo nomine. Vobis quoque pro uase ago gratias: & peccium mitterem, si quantum esset scirem. Vicissim autem pagellas & Principi & uobis mitto. Laudatio coniugis ducis Prussiae ita scripta est, ut uelut imago Principis matronae sit, à qua uirtutum exempla petantur. Et laudes eius aliquò ad familiam Marchionum pertinent. De N. & N. barba, et circuitu, uoluntati pij Principis in his rebus & similibus ego obtemperarem. Sed saepe derisus sum, propter moderatiores opiniones. Bene ualete. Die 4 Februarij.

Reuerendo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Georgio Buchholtzer, pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa, amico suo colendo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime: utinam hic ueniens quinquagesimus annus sit faustus & felix Ecclesiae & Reipublicae, & uerè sit Iubileus, & mitigationem adferat calamitatum publicarum & priuatarum. Pro piris & ferina uobis gratias ago: etsi magis uelim uos mea causa non onerari sumptu: beneuolentia tamen delector. Et toto pectore opto, ut inter omnes qui docent Ecclesias, uera sit & firma, ac non fucata amicitia. Certè semper

per coniungere uoluntates, non distrabere studia.  
 Filius scripsit carmen laude dignum ad ducem Megapolitanum, quod hîc editum est: spero & uobis uoluptati fore. De euectione frumenti, aula moderari cupiditates hominum legibus et seueritate poenarum debet: ut sunt ueteres ea de re leges. Concianator plus non potest facere, quàm ut hortetur auditores, ut sint pîj in patriam, nec uelint fame necare pauperes in patria: ut Paulus dicit, maxime domesticorum inopiæ opitulandum esse. Bene uale, 1550.

Clariss. uiro, N. N. doceti illustrissimum  
 Principem Marchionem N. N. &c.  
 fratri suo charissimo.

Non dubium est, salutare principes diuinitus  
 & dari, & regi. Quare à Deo petamus, præsertim  
 in hac languida et delira mûdi senectâ, ut in his regionibus, in quibus Ecclesiarum niduli sunt, det bonos gubernatores & custodes. Sed tamen hoc quoque uult Deus, rectè erudiri & præparari teneras mentes eorum, quibus genus humanum aditum ad gubernationem prebet. Hanc igitur felicitatē gratulor Principi tuo, quod te doctorem habet, qui rectè formas ipsius iudicium, & cum ad amorem doctrinarum et uirtutum accendit. Oro etiam Deum sapientiæ fontem, ut tuos labores adiuuet. Semper  
 familia

familia tuorum Principum laude sapientiæ & eloquentiæ excelluit, & res maximas in Germanico imperio consilijs rexit. Quare & indolem, et idem decus in tuo auditore præclarum esse existimo. Amabit igitur nostra studia, & propter ea gregi fauebit: hanc ipsius uoluntatem confirmari à te non dubito. Me igitur, & alios qui Reipublicæ mediocriter inserviunt in propagatione literarum, ipsi commendato. Inter quos commendari uolo & N. cuius & natura est excellens, & non tantum ijs uirtutibus ornata, quæ diligentia nostra parantur: sed etiam alijs maioribus, quæ diuinitus in bonis mentibus accenduntur: et eruditio tanta est, ut in utraque lingua, Græca & Latina, eruditam antiquitatem feliciter imitetur: & ad hæc studia adiunxerit Philosophiam, & Ecclesiæ doctrinam. quare cum magno usui & ornamento Ecclesiæ esse spero. Talia ingenia sapientes principes propter utilitatem publicam & eligere & ornare ualde prodest. Bene uale charissime N. Calend. Septembris, 1558.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzer, &c. amico suo charissimo.

S. B. Reuerende uir & amice charissime. Et si familia meæ mensæ assidens penè totam occupat: tamen filijs tuis locū tribuisssem, si conuictores mei esse



esse noluiſſent. Fuit autem Noha ſepe mecum. Tibi gratulor à Deo filios donatos eſſe, quorum ad literas & ad uirtutem egregia eſt indoles. Ac ſpero Deum ipsis adfuturū eſſe, iuxta promiſſionem: Generatio rectorum benedicetur. De carmine filij edendo, cum typographis fideliter agam. Si ſtylum in me ſtringet meus inimicus, fortaiſſis propter doctrinæ ueræ propugnationem reſpondere cogar. Faciam autem idem quod feci ſemper: dicam modeſtè de rebus neceſſarijs, nec certabo cum eo conuiſijs, aut ſcurrilibus dictis. Studia, mores, uoluntatem utriuſq; ita multi ſapientes uiri in Germania norunt, ut de his rebus nō ſit opus commemoratione. Doleo turbari Eccleſias, & impediri inuocationem, ſi nouæ rixæ moueantur. Ideo multas iniurias & antea tacitus diſſimulaui: & non depellam nunc, niſi graues cauſæ me ſcribere cogant. Bene et feliciter ualete. Die 17 Septembris.

A mico cuidam,

S. D. Pagellas quas attulit Leonhardus, accepi: pro quo munere tibi gratias ago. Ethica cur nō mitteres, non ſcripſi: ſed exiſtimo à Marcello mitti. Gemens hos libellos aſpexi, cogitans et de ſtudio rum interitu, & de ferocitate temporum, quæ iam nihil habent nōmōp. Olim barbaries & hominum & doctrinæ obſcurauit hæc elegantiffima ſcripta:

B nunc

140  
nunc cum illustrare ea coepimus, noua feritas honestissima studia impedit. Sed Deum oramus, ut Academiae restituat & regat. Tabellarium nostrum ut reuersurum esse ex Thyrigetis sperem, somnio moueor. Nam hac nocte cum Ioachimo suauiter collocutus sum ἐν ὀνείρω. Veni autem ad eum ingressus ex hospitio usitato, & ut in mercatum incedens per forum, ubi pauca pergulas uidi, & urbem non ut antea ornatam, sed multis rebus deformatam. Et in aedibus collegij uix per coenam eluctatus sum, ad Ioachimi nidulum. Nescio an eburnea aut cornea porta egressum sit somnium. Utinam significet tales congressus breui futuros, restituta pace, quales antea fuerunt, cum in mercatu conuenimus. Vale, Calendis Aprilis. Anno 1547.

Clarissimo viro, D. Chiliano Goldtstein,  
doctori Iuris, Senatus in Salinis  
συμβάλλω, S. D.

Et si multa memini sapientum dicta, quae & letitias & maerores iubent moderari: tamen interdum opprimor dolore, ut penitus exanimem. Sed erigo me utcumque hac uera sententia, quod nec casu res humanas uolui scire, & nos filio Dei curae esse statuo. Eandem consolationem uobis quoque proponite. In conuentu Imperator haecenus contendit, ut nostri promittant, se synodi cognitionem controuersiarum

uerfiarum nostrarum promiffuros eſſe: & pollice-  
tur ſe curaturum, ne iudicet Pontifex, ſed homines  
delecti. Hæc uides eſſe inſidiarū plena. Sed oremus  
Deum, ut nos gubernet, & regat politias. Mitto  
tuis liberis precationem Stigelij uerſibus uenūſtè  
comprehenſam, in qua magis ſcio te acquieſcere cæ-  
teris ullis. Scire cupio quid de epiſtola ſtatu-  
eris, quam ſchola ad Senatum ſcripſerat. Bene uale. Die  
Baptiſtæ, collegæ mihi chariſſimi, qui agnum nobis  
monſtrauit chariſſimum filium Dei.

### Nicolao cuiſdam.

Valde optarim te unius anni laborem & mole-  
ſtiam animo pertuliſſe, propter ipſas literas: quæ  
cum in ſummo odio ſint apud indoctos, non poſ-  
ſunt alia ratione conſeruari ac reſtitui, niſi pro-  
feſſores ſua patiētia, æquitate et ſtudijs uoluntates  
hominū ſibi concilient. Quòd enim de uale-  
tudine quereris, ætas tua mihi quidem tantum habere ro-  
bur uidetur, ut hos labores aliquandiu ſine pericu-  
lo ferre potuiſſe uidearis. Habes ſummā noſtri con-  
ſilij, ac mearum cogitationum: quas rogo ut in bo-  
nam partem interpreteris. Scripſi enim animo ſim-  
plici, pro amore erga te meo. Nam propter has que  
relas uideris mihi de exiſtimatione periclitari. Non  
impedio tamen uti te occasione, ſi contingat me-  
lior conditio. Vale.

**D**hustino Goblero, Consiliario illustris-  
simi ducis Erici Braunsuicensis,

S. D.

Adhuc sum in sententia, mi Iustine, non esse abdicandam præsentem cōditionem: sed debere te τὰ  
ῥαπόντα γέφυειν. Idq; consilium tibi daturus sim,  
etiamsi frater esses. Non enim ignoro, quàm diffi-  
cile sit, asperrimis temporibus commodas condi-  
tiones inuenire: & quantum sit periculum, usgari  
incertis sedibus. Habes meum consilium: tibi tamen  
liberum relinquo, quid uelis facere. Opior te in  
hac conditiuncula plus habere ocij ad iucunda stu-  
dia tractanda, quàm si esses euectus ad maiora ne-  
gocia propter Iuris possessionem. Mihi crede, hæc  
tempora parum ocij concedunt his, qui magnis ne-  
gocijs implicantur. Ego titulum fugi semper: utinã  
& negocia effugere potuissem. Francisci libellus  
editus est, quem spero tibi gratum esse: uel quia ha-  
bet non obscuram significationẽ nostri amoris: uel  
quia ipsa Hermolai epistola noua, non est pror-  
sus illepidè scripta, de qua & tuum & aliorum  
iudicium mihi uelim perscribas. Etsi est breuior,  
quàm causæ magnitudo postulat. Sed id excusat  
Franciscus in præfatione. Adami causam tibi com-  
mendo: teq; oro ut, quod facis, Adamũ summo stu-  
dio defendas. Gratum tibi hominem obligabis. Be-  
ne uale.

D. Gaspa-

## D. Gasparo Crucigero S. D.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est: inquit ille satis gloriose. Nos addamus, *Βοη-  
θῆντος τῷ θεῷ*. Nam absq; diuina ope ne quidem sustineri tanti fluctus possunt, quantis iam cymba nostra concutitur. Ideo consolationem hanc Deus toties tradidit \* domicilium afflictos esse, qui ipsum inuocant. Duo certa signa propria Ecclesie conspiciuntur in nostro coetu. Sonat apud nos uox Euangelij, inuocamus ueris gemitibus: & hostiū rabies extrema minuitur. Econtra hostes manifestè conantur extinguere lucem Euangelij, & perfidiosi amici arte opprimunt piorum inuocationē, quæ esse potest. Postremò securi triumphant, aut ex periculis se extricant, ut labrax ruptis maxillis hamo se eripit. Oremus igitur Deum, ut adsit nobis, et seruet Ecclesie reliquias. Bene & feliciter uale. Die 3 Aprilis, quo memoria celebratur pompæ triūphalis, qua filius Dei Hierosolymam ingressus est, uentus mula: ubi multi eum excipientes, magnificas species habuerunt imperij noui, qui postea ab eo pendente in cruce defecerūt. Similia nunc etiam fiunt. Vale.

## Amico cuidam.

Non dubito, huius temporis rumores similitudinem esse miseriæ & certaminum temporis Ma-

chabæorum. Quare triste fatum extremæ senectæ mundi agnoscentes, & ut possumus ferentes, petamus, ut dux filius Dei pro nobis prælietur, & mitiget nobis ærumnas publicas & priuatas. Ego etsi domestico luctu ualde excrucior: intuens publica Ecclesiæ uulnera, multo maiore dolore adficio. Redire ad uos eo magis cupio, ut consuetudine & sermonibus uestris animum à moesticia abducam. Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut te Ecclesiæ domesticæ tuæ, & cœmmuni seruet incolumem: & à uestris liberis depellat diabolum, grassantē in liberos. Bene uale, 2 Aprilis.

D. Iusto Ionæ S. D.

Reuerēde uir, & amice colende. Quoties de Academiæ nostræ statu, qualis fuit ante hoc tempus, cū sedes doctrinæ celebris esset, cogitamus, tuæ consuetudinis recordamur; teq; propter ingenij, eruditionis, eloquentiæ & uirtutis præstantiam singulare ornamentum nostri coetus fuisse iudicamus, ac tuam assiduitatem in uarijs Ecclesiarum negocijs, in dandis consilijs, in iudicijs, in alijs laboribus grata cōmemoratione prædicamus: ac inter exempla inconstantiae rerum humanarum recensemus, & huius nostræ politiæ cōcussionem, in qua tam multa ornamenta amisimus. Etsi autem ab illustrissimo Electore, postquam ex tanto naufragio non  
solum

solū nostræ Academiæ, sed penē uniuersæ Ger-  
 manie tanquā tabulas colligere cœpimus, benignē  
 adiuti sumus: tamen ærarij iacturam nondum sarciri  
 poterimus. Coloni enim nōdum pendunt usitata  
 tributa, & Comes N. debet iam 1600 aureos. In  
 hac ærarij inopia nouam scholæ dissipationem me-  
 tuimus: quæ eo erit difficilior, quia in his ipsis re-  
 gionibus, in quibus uiuimus, noua hospitia quæren-  
 da erunt. Vagantur passim exercitus. Itaq; te ora-  
 mus, ut tu quoq; calamitatum nostrarum rationē  
 habeas: ac responsionem boni consulas, quæ uera  
 & simplex est: cum nō sit in ærario tantum, ut sol-  
 ui stipendia proximo quadrante anni possint, mit-  
 tere nunc nihil potuimus. Nec ignota est hæc ino-  
 pia illustrissimo Electori, qui nūc deliberat de pen-  
 sione, quæ ex fundis, quos habuit Comes N. debe-  
 tur. Hanc si non obtinebimus, ne nobis quidem sti-  
 pendia solui poterunt. Ferenda igitur erit cōmunis  
 calamitas, in qua hæc pecuniarū iactura multo le-  
 uior existimanda erit. quia alia maiora toleranda  
 sunt. Turbantur Ecclesiæ, pelluntur ex nidulis pī  
 pastores cū totis familijs, multi senes pastores cru-  
 delissimē trucidātur, rapiuntur eorum cōiuges &  
 filiæ, scribuntur edicta sanguine, & impie leges Ec-  
 clesijs imponuntur. Hec tristissima spectacula ma-  
 gis excruciant hominum mediocriū animos, quā  
 priuatiæ ærumnæ. sed si hanc doctrinæ sedem Deus



sua bonitate seruabit, beneuolentiã nostram erga te & tuos cum alijs officijs, tum uerò etiam hac in re, quã petis declarabimus. Vitebergæ, 23 Ianuarij.

Reuerendo uiro, D. Casparo Aquilæ, pat-  
tori Ecclesiæ Dei in oppido Sal-  
ueld, & uicinia episcopo, ami-  
co suo, S. D.

Venerande domine Caspar. Etsi magnæ disputa-  
tiones quotidie fiunt, & impendent tristiores: ta-  
men Deo iuuante, mea mens cum Ecclesijs harum  
regionum sonantibus uocem Euangelij, quam tua  
Ecclesia sonat, semper consentiet. De Academia  
nostra nihil certi scribere possum. Fortassis con-  
uentus proximus nos noua exilia suscipere coget.  
Imperator enim postulat, ut omnes principes Con-  
cilio adsentiantur: & promississe dicuntur, se adsen-  
suros esse. Sed breui nos & tu certiora audiemus.  
Dialectici libelli primum in nundinis absoluentur:  
cum erunt absoluti, tuis dulcissimis mittam exem-  
pla. Gratias tibi ago, quòd & nostro dolore adfi-  
ciaris, & tua cõsolatione mederi meis uulnerib. stu-  
des. Plura scriberẽ: sed iam accepi literas de pericu-  
loso meæ cõiugis casu, & de alijs plurib. periculis.  
Deus mitiget publicas & priuatas ærumnas. Bene  
& feliciter uale. Salutem opto uiro integerrimo,  
patri Erasmi, quem hodie expecto. Die 18 Septem-  
bris, 1547.

Clau-

Clarissimo uiro, prudētia & uirtute præstanti, D. Michaeli Meyenburg, amico suo præcipuo & charissimo,

S. D.

Clarissime & honestissime uir, et amice charissime. Toties prædictū est, non in fanaticis uaticinijs, sed in uerè diuinis oraculis, in hac ipsa mundi senecta, in quam incidimus, maiores imperiorū & Ecclesiæ mutationes futuras esse, quàm fuerūt antea. Idq; uoluit Deus præmonere, ut simus diligentiores in quærenda ueritate, & firmiores, & petamus & expectemus auxilium Dei. Et si igitur terribilis est Aquilæ aduentus: tamen nos cōsulemur a-  
 guitione Dei, et conscientia rectæ uoluntatis, quòd quæsiuimus ueritatem, & spe' auxilij diuini nos sustentemus. Nec dubito seruaturum esse Deum Ecclesias: etiamsi aliqui crucem cum Cyrenæo gestabunt. Ego longè magis inter nostros interfici uolo, quàm cum illis esse coniunctus, quorum talis est uoluntas, qualis est nostri ciuis, qui scripsit epistolam, quam huic chartæ inclusi. Statim à paschate ad uos cum filio decreui. Tamen in uijs periculum erit, si hostes propius accesserint. filium possum in uicinā Marchiam ad fideles & perspectos amicos mittere, uel in oppida ducis Lignicij. Ego me in Marchiam non conferam, etiamsi amanter locutus est mecum Marchio nuper, ut in Francofordianā Aca-

B 5 demian

*demiam me conferrem. Deus hæc pericula gubernabit, & ut gubernet toto eum pectore oro: etiam ut uos & nostros seruet incolumes. Bene & feliciter ualete. Datæ die agonis filij Dei ad montem Oliueti, in qua pro nobis etiam Patrem placauit.*

*Clariss. & integerrimo uiro, prudentia  
& uirtute præstanti, domino Michaeli  
Meyenburg, amico suo chariss.*

*S. D.*

*Charissime & integerrime uir. Quadraginta  
Ioachimicos iam missos, mox tradidi Erasmo Be-  
nedicto, pædago filij uestri. Nam Dei beneficio  
adhuc aliquid uiatici habeo: & quod antea misi-  
stis, adhuc integrum est. Ago autem gratias uobis  
pro perpetua beneuolentia, & multis beneficijs ue-  
stris. Filius uester nunc iterum mihi assidet in men-  
sa: & cum hic occasionem habeat, studeo eum rectè  
institui. Discit enim diligenter Dialecticam & A-  
rithmeticam: & utilius est eum manere in hoc loco,  
donec nobis hic tranquillitas cõceditur, quã Deus  
hactenus mirabili bonitate nobis largitur. Et si scio  
Mauricianos nominatim de me interficiendo locu-  
tos esse, cum quidem ego neminẽ unquã adiunctum  
duci Mauricio læserim, & ipsius Academiæ & Ec-  
clesijs mediocriter seruiierim. Sed scriptũ est: Om-  
nes capilli capitis uestri numerati sunt. Hac con-  
solatione*

solatione uos quoq; sustentate, et bellum Deo comendate, qui etiam dabit exitum aliquem, & seruabit Ecclesie seminaria. Post paucos dies, ipse uenà cum filio ad uos ueniam. Pastorem Ecclesie uestrae indico Andream, qui est in Calicis: uir grauis, & doctus, & prudens est. Eaq; de re scribam ad eum. Bene ualete. Die 30 Martij, Anno 1547.

Clariss. uiro, D. N. N. amico & fratri  
suo charissimo, S. D.

Τὸ μέλλον αἰὲ τυφλὸν, ἔρπει: inquit Sophocles.  
Quare quis sit exitus tam horrendi belli futurus, pronūciare non possumus. Sed tamē quisquis erit exitus, *ἡ ἀσμένειν ὕμνῳ* (ut ueteres dicebant) fore certum est. Præstemus igitur animos ad ferendas eas misérias, quæ bella ciuilia comitantur. Imò & Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oremus, ut pœnas mitiget. • Marchio Elector hinc heri profectus est, ut de pace agat: sed ipse quidem sperabat N. ad pacem flecti posse, qui confidit N. & N. auxilijs. Et in Electoris castris proditiones metuuntur. Cū igitur crescant pericula, sit inuocatio Dei ardentior. Teq; oro, ut uel quotidie scribas, ea quæ isthic audies digna memoratu.

Bauarus quem misimus ut publico ritu uocatio eius ad ministeriū Euangelicū confirmaretur, nōdum redijt. Hesselsum gubernatorem Ecclesie Dei in  
[urbe

urbe Vratislauia, ex hac mortali uita euocatū esse, certum est. Doleo & Ecclesiae, & generi, & filiae causa. Camerarius heri cum principe Georgio hinc abiit, secuturus suam familiam. At nos hinc alij sitientes ibimus Afros: Pars Scythiā, & fortassis Balthica litora adimus. Bene uale. Die 21 Ianuarij, 1547.

Georgio Sabino, genero suo charissimo, S. D.

Magnam uim esse paterni amoris erga uos, etiam te animo tuo existimare non dubito. Quare mihi facile credes, affirmanti, ualde me dilexisse filiam Annam. Cum autem praeclare de te sentirem propter scribendi facultatem eximiam, ut alij multi, qui iudicare de his studijs possunt, in quibus uersaris: & ex eo beneuolentia erga te singularis in animo meo nata esset, non inuitus tibi uolenti filiam despondi: utq; & tibi & uobis haec coniunctio fausta & felix esset, optaui. Sed cum ex doctrina coelesti causas didicerimus praecipuas humanarum calamitatum, & earum remedia: serimus iam, quae acciderūt, sapiēter. Et si igitur magno in dolore sum, propterea quod filia extincta est, & quidem procul sine parentum amplexu, & prius de rebus necessarijs cum ea colloqui non potuerim: tamen eas cōsolationes mihi propono, quae diuinitus traditae

funt:

sunt: quarum hæc præcipua est. Signa uera in filia pietatis erga Deum, et ante mortem præcesserunt, propter quæ spero, eam iam dulcissima consuetudine Dei, & filij eius Domini nostri Iesu Christi frui, cui etiam eam sæpe lachrymans commendauit: & ut spero, paulo post ibi eam amplectar. Nostram uerò inter nos amicitiam uolo perpetuam esse: & ego fideliter eam, si quibus potero officijs, tuebor. Tuos certè liberos, meos esse dicā: et uerè mei sunt, quos non minus diligo, quàm dilexi matrem. Fuisse autem magnum incendium amoris mei erga filiam, multi norunt: et id morte ipsius non extinctū est, sed dolore & desiderio alitur. Cumq; fuisse eam admodum φιλότινον sciam, ipsius in me affectus deriuare me iam debere iudico. Quid igitur de filiabus & filio deliberas? Non solum consilium do, ut ad me mittas puellas, seu omnes, seu aliquas: sed etiam te, ut id facias, ualde oro. Educabuntur enim, Deo iuuante, et fideliter, et suauiter, ut soror, ad agnitionem Dei, & ad honesta officia sedulò instituentur. Vides specimen institutionis in literis, quæ filiae tuæ manu scriptæ sunt. Filium Albertum nō dubito iam isthic nutricibus commendatum esse, quem Deus seruet incolumem. Significabis igitur mihi tuam uoluntatem de filiabus, ut uel ipse isthuc ueniam: uel amicos fideles mittā, qui huc aduehant uel omnes, uel aliquas. Martha quidē, quæ

est imbecillior, ualde te oro ut finis eam apud so-  
 rorem educari. Nec belli periculis deterreor, quo-  
 minus mecū omnes uersari meos uelim. Texit nos  
 Deus haecenus magna cum clemētia, & spero pro-  
 tecturum esse nos deinceps: quodq; est officij, ut cu-  
 rem familiam in locis tranquillioribus collocari, si  
 erit opus non negligam. Peto igitur, ut mihi uolun-  
 tatem tuam de mittendis filiabus significes. Nunc  
 dedi reliquum mercedis. A' Camerario, cū nūcius  
 esset mecum, literæ allatæ sunt, quibus ex Tyrige-  
 tis proficisci in Franciam scribit: quod cum nuncio  
 dixissem, tam procul sequendum esse non putaui-  
 mus. Epistolam eius ad me scriptam tibi mitto.  
 Adiuncta est & altera Camerarij ad Scyurum. Fi-  
 lij literas ad Scyurum, quas nuncius attulit, ego in  
 Franciam missurus sum. Bene & feliciter uale, An-  
 no 1543.

Marco Crodelio, S. D.

Hi adolescentes, quibus hanc ad te epistolam de-  
 di, scholastici sunt Academia nostræ, uel præcipuè  
 studiosi: & sunt honestissimorum & ornatissimo-  
 rum hominum liberi. Quare mihi nō minus quàm  
 mea uita chari sunt. Cū autem uidere principum  
 pompam isthic cuperent, non ualde eis repugna-  
 ui, uel ut expatiantes relaxarēt paulisper animos,  
 ac recrearent: uel quòd existimem aliqua ex parte



ad disciplinam pertinere, adolescentes uidere principum erga se offiticia, & significationes mutuæ reuerentiæ. Proinde ualde te rogo, ut his adolescentibus isthic hospitium cures ipsorum pecunia: atq; adiuues, ut sine periculo spectatores earum rerum esse possint, quas uidere cupiunt. Id officij dabis nō solum nostræ amicitiae, sed etiā iuri hospitali, quod profectò postulat ut hospites bonos homines amāter complectamur. Præterea hi adolescentes etiam literarum communium ac studiorum causa amore digni sunt. Illud tibi persuadeto, me hoc beneficium maximi facturum esse, si eos amanter exceperis, et adiuueris. Si autem intellexero eos abs te desertos esse, maximam iniuriam te amicitiae nostræ fecisse iudicabo. Sed humanitas tua tales hospites ( ut spero ) libenter φιλήσεται. Bene uale. Datum Vitebergæ, die 8 Augusti, Anno 1539.

Clarissimo uiro D.N. Paulo Ebero,  
συμφιλοσόφῳ & fratri suo charis-  
simo,

S. D. Sæpe multumq; cogito περὶ τῆς θέσεως, de qua non disputat, sed sycophantijs certat ille τῶν μαργιτῶν uates: in qua cogitatione, quoties intueor matrem dimicantem pro liberis, prorsus acquiesco. Fingant, cauillentur, quærant præstigias ut uolunt Margitæ. Omnes enim illæ futes cauillationes

tiones eliduntur cogitatione maternæ & paternæ  
 ἡγογῆς. Sed illi uocem sonant parricidæ Cain, τί  
 μοι μέλει ἀδελφῆς, &c. Omittamus illas syco-  
 phantias, et speremus à Deo auxiliū: cui curæ sunt  
 tuus Paulus & tua Helena, quæ ipso nomine te ad-  
 monēt Deum esse. Expecto doctore Vuenceslaū,  
 & Christophorum Pannonium, quibus omnia fau-  
 sta precor. Gaudeo uirum doctissimum, & omni-  
 bus uirtutibus ornatum, D. Ioannem Aurifabrum,  
 ad honestissimam coniugem & sobolem reuersum  
 esse incolumem: quem opinor me, de defensionis iu-  
 re ὁμόφρονον habere, intuentem suos. Scripsi episto-  
 lam περὶ ἀρχιερείας: qua, si libet, utamini. Ridebi-  
 mur à Iurisconsultis, quod adhuc speramus nostrā  
 Sareptam mansuram esse. Sed Deum oro, ut eam  
 defendat. Bene uale. 16 Aprilis, 1547. Serueste.

Ad quendam Iurisconsultum, Aca-  
 demię Rostochianæ profes-  
 sorem.

S. D. Cū non audiuerimus utranq; partem,  
 non facimus nos iudices inter doctorem Henricum  
 & Iurisconsultos: sed utrosq; adhortamur ad piā  
 concordiam. Sed de propositionibus hoc dicimus:  
 Non adfirmat in genere, ualere sponsalia contra-  
 cta dissentientibus parentibus. De ea re in Eccle-  
 sijs & consistorijs harum regionum aliquid pro-  
 nunciatur.

nunciatur. Si Doctor defendit nostrarum Ecclesiarum sententiam & consuetudinem, non possumus eum improbare, quod ad hanc partem attinet. Ac scimus interdum addictos iuri Pontificio, libenter sugillare & irritare concionatores in hac materia, non tam ut uideantur acres propugnatores iuris pontificij, quam ut exagitent istos. Talia ne in hoc certamine fiant, illustrissimi Principis autoritate prohibeatur. Etsi occasionem dissidijs præbet hæc questio de consensu parentum: tamen prodesset gubernatorum consilio et autoritate certò constitui, ut irrita sint sponsalia eorum qui adhuc parentum autoritate reguntur, facta sine consensu parentum: ut in his regionibus omnes Ecclesie & consistoria pronunciant. Hanc sententiam si ambæ facultates, Theologi & Iurisconsulti, amplecterentur: non solum inter ipsos hac de re certamen sublatum esset, sed etiam in foro minus litium esset de sponsalibus. Sed si reprehendit Doctor politicum morem legitimationis, non rectè sentit. Nam hæc exæquatio hæredum permixta est potestatibus, quæ hanc clementiam iudicant conuenire paterno & materno affectui, & inuitat tales ad uinculum coniugij, & fratres inter se coniungit. Hæc omnia sunt politica, nec sunt digna reprehensione.

C

Do-

Doctiss. & opt. uirō, domino Theophi-  
lo, gymnasiarchæ scholæ Ham-  
burgensis, amico suo

S. D.

Vt in omni officio animaduerti singularē tuam  
esse diligentiam, doctissime & humanissime Theo-  
phile: ita uideo te in leuibus quæstionibus exquisi-  
tam habere diligentiam, quæ profectō à me inter  
præcipuas uirtutes ponitur. etsi ego quidem in hoc  
occupationum & negotiorum mari multa facio: ἐν  
πιπολαΐσιν ὁρῶ καὶ ἀμελείσιν ὁρῶ. Quod uerò de  
uersiculis in postrema pagella Locorum commu-  
nium adscriptis, authorem indicari cupis: scito eos  
esse in Sophoclis Antigone, nimirū editionis Hagē-  
nauensis. Nam Aldinam editionem, & alteram Ita-  
licam, non inspexi. Est autem Creontis oratio ad fi-  
lium, concionantis de non soluenda maiestate im-  
perij, de reuerētia præstanda magistratibus, de cō-  
seruatione legum & tranquillitatis:

σώσεις τὰ πολλὰ σώμαθ' ἢ πειθαρχίαν,  
ἔτις ἀμυντέ' ἐστὶ τοῖς ῥυσχυμένους.

Seruat multas personas obediētia, ideo defendē-  
da est honestis ciuibus. Hos enim sæpe uocat Sopho-  
cles ῥυσχυμένους: quasi dicat, eos qui rectē guber-  
nantur, debere fortiter tueri præsentem statum di-  
scipline, harmoniam imperij, legum auctoritatem.  
Quia dissoluta obediētia, sequatur interitus ciui-  
tatum.

tatum. Estq; ἀμυντέα, ut rectè dicis, ab ἀμυνώ, forma Attici gerūdi, si sic appellare licet: ut λεκτέον. Sed Attici solent uariare per genera, ut λεκτέος ὁ λόγος, λεκτέα ἡ δημηγορία. Nec tu ignoras, has uoces à tertia persona præteriti passiui fieri: λέκεται λεκτέον, ἀμυνται ἀμυντέον. Et uariè usurpatur uerbum ἀμυνώ, sed tamen significatio- nes sunt uicinæ: defendo, ulciscor, propugno. Meministi enim usitatissimum uersiculum, εἰς οἰωνὸς ἀρίστος ἀμυνέσθαι πρὸς πάντας.

Est alius locus ex Platone, de quo sæpe sum interrogatus. Itaq; iam in recudēdo uerti plurib. uerbis: ὁ δὲ διὰ πολλῶν μὲν αὐτοῖς πάσωνος. Loquitur enim de heroicis uiris, ut de Scipione, Augusto, Themistocle, Alexandro, qui magna felicitate in maximis rebus gerendis liberantur periculis, & habent miros successus. Hanc prosperitatem uocat πάσωνον. Fiunt enim facilè dimicationes duce fortunato, & exercitibus cum habent duces fortunatos. Et hi Respublicas in tranquillū solent restituere, qualem uides Augustam fuisse. Et talis est Cæsar Carolus quintus. Quanta enim felicitate, quantas res cōfecit, quanta pericula superauit? Talibus uiris cum procedunt consilia, dicit eos & sua & populorum πάσωνη imperare. Cætera in eo loco puto esse perspicua. Sed quid tu iudicas de eo libello? nam tuum iudicium profectò facio plurimi. Saluta meis uer-

bis Matthæum, quem & uerè & ualde amo. Bene  
& feliciter uale. 28 Martij, 1536.

Egregia doctrina & pietate prædito D.  
Martino Bucero, doceri Euangelium in  
Ecclesia urbis Argentinae, suo ami-  
co præcipuo.

S. D. Post nostrum reditum ex conuentu, con-  
ualuit iterum Lutherus, satis feliciter. Ego in no-  
uum periculum incidi. Est apud nos quidam homo  
durus, καὶ ἄμεινον, cui nomen est Cordato. Is me  
crudeliter insectatur, eo quòd dixi, Bona opera ne  
cessaria esse ad salutem. Excitat miras tragædias.  
Semel homini respondi, satis facetè. Si perget fure-  
re, uidero ubi me abdam, ne mihi perpetuò cum ta-  
libus sycophantis litigandum sit. Satis est discordia-  
rum & scandalorum. Utinam nos sanare, nō exul-  
cerare mala publica studeremus. Quis autem sane  
mētis negare potest hanc propositionem: Nouitas  
spiritualis est necessaria ad uitam æternam? Hoc di-  
co, cum dico nouam obedientiam necessariam esse  
ad uitam æternam. Sed omitto disputationem. Tuas  
litteras auidè expecto, de omnibus rebus uestris, de  
Gallico bello, & πρὸ τῆς ξυρόδης. Hunc tabella-  
rium tibi commendo: est enim homo probus, & li-  
terarum ac doctrinae Christianae admodum studio-  
sus. amplius biennio nobiscum fuit. Ideo mores eius  
nobis

*nobis sunt satis noti, & probati. Proficiscitur ad  
uos, querens in Gallica uicina aliquam conditiu-  
culam: aut sicubi in uicina uestra aliquid negotij  
in officinis typographicis, aut in schola aliqua in-  
uenire posset. Nomen est ei Ioanni Albergio Gal-  
lo. Notus est Sturmio. Quæso te, non desis homi-  
ni exuli. Saluta amicos. Bene uale: dic diuè*

*Georgij, Lipsiæ. 1537.*

## LECTORI S.

Initio tertij libri Epistolarum D. Philippi, Testi-  
monia eruditionis ac morum, studiosis atq; erudi-  
tis hominibus siue ab ipso D. Philippo siue alijs  
data, ponere libuit: quorum tamen aliqua secun-  
do libro etiam inserta alicubi reperies. Postea a-  
liorum doctorum uirorum Epistolæ aliquot  
subiungentur.

C • LIBER



## LIBER TERTIUS.

PUBLICVM TESTIMONIUM AB  
Academia Basiliensi, Ioanni Manlio  
datum, Anno 1563.



OS Rector & quatuor ordinum  
Decani Academiae Basiliensis, no-  
tum facimus omnibus literas prae-  
sentes perlecturis, quod Ioannes  
Manlius liberalium artium Magister à nobis disce-  
dens, uitae actae, eo quo hic uixit tempore, studio-  
rumq; testimonium petiuit: ut quemadmodum co-  
ram Deo, cordium actionumq; inspectore oculatis-  
simo, cōscientiae bonitas responderet, ita ( quod A-  
postolus in Christi seruo requirit ) exterorum et  
etiā apud eos quibus cum uitam esset deinceps actu-  
rus suffragijs notae melioris approbaretur. Quare  
cum eam petitionem honestam & æquam esse cen-  
suerimus, testificamur liquide, cum nouem fere men-  
sibus apud nos egerit, ueri timoris Dei, pietatisq;  
signa conspicua in eo eluxisse: ut qui sincerā Chri-  
sti fidem professione oris, cultuq; sacro testatus sit,  
nullo infectus sinistro, cumq; fide Ecclesiarum quae  
tum Augustana cōfessione sentiūt pugnāte dogma-  
te. Deinde innocentia, integritateq; uitae talem se  
praestitisse, ut esse magis quam uideri bonus uolue-  
rit.

rit: id quod de Aristide, Poeta testatur. De studijs nihil necessum multa dicere, ut quorum nomine ab inclytæ Vuitebergensis Academiæ doctoribus & præceptoribus testimonium amplissimum retulit, & dati in publicum laborū sedulitatisq; ipsius fructus abundè probant. Conuersionem eius gratam habuimus, & piam eius uoluntatē Ecclesiæ studiaq; quantum in ipso est iuuādi laudamus: atque precamur, ad quoscunq; uenturus est, ut haud ignauum Dei organum, propter Dominum, fauore suo complectantur, consilijs auxilijsq; iuuent.

Rogamus interea patrem æternum Domini nostri Iesu Christi, ut in his postremis difficilimisq; temporibus respicere Ecclesiam misericorditer dignetur, tempestatemq; exitium Ecclesijs et Rebus publicis minantem uerbo, quo perficit omnia, compescat: & largiatur pacem, sanctamq; in ipso *ὁμολογίαν*, quò incorrupta doctrina, piaq; studia excoli, prouehi, adq; posteros lux ueritatis saluificæ propagari queat: idemq; seruet, regat, & confirmet docentes & discentes, ad sui nominis gloriam.

Valete. Datæ Basileæ, sexto Calendas Februarias:  
Anno salutis partæ 1563.

PHILIPPVS MELANCHTHON

omnibus has literas lecturis,

S. D.

Fuit nobiscum in Germania Dominus Michael

C 4

Arthiops

*Aethiops diaconus: cum quo de doctrina Christiana familiariter colloquentes, audiuius cum cum symbolo, quod habet Ecclesia occidentalis, rectè cōuenire: nec de trinitate aliud sentire, quàm quod sentit Ecclesia occidentalis. Ideo quantum nos quidem possumus, commendamus cum bonis uiris. Nam etsi Ecclesia orientalis habet aliquas dissimiles ceremonias: ipse quoq; iudicat quòd dissimilitudo earum non tollat unitatem Ecclesiae, nec pugnet cum fide. Quia regnum Christi est spiritualis iusticia cordis, timor Dei, & fiducia per Christum. hanc sententiam & nos probamus. Comperimus etiam ex eo, quòd ritus, quem nos obseruamus in cœna Domini, & Missa, cōuenit cum orientali Ecclesia. Optamus autem, ut omnes gentes agnoscant & glorificent Christum, & ei obediant uera fiducia misericordiae ipsius, et dilectione proximi. Ideo rogamus bonos uiros, ut Christianam dilectionem etiā huic hospiti præstare uelint. Vuitebergæ, Anno 1534, 4. Nonas Iulij.*

*Lecturis has literas, S. D.*

*In Argonautico carmine describitur immanitas τῶν μουσουλῶν, quos esse Muscouios consentaneum est. & in Psalmo 120, querela est Ecclesiae, quòd exulet inter Mesech: quod etiam Moscouios interpretor, Poterant enim noti esse uicinis Phœnicibus:*

cibus: quia tunc ea loca tenuerunt, quæ postea Galatæ & Cappadoces occuparunt. At nunc quidem crudelitatis exēpla Muscouij ostendūt in Liuonia, ubi magnam multitudinem in Tartaricam seruitutem abducūt, et honestis matronis ac uirginibus tantibus pudicitiam ubera præcidunt. Sed ut Psalmus dicit, semper habet aliquos Ecclesiæ hostes, quæ eam persequūtur. Et similis crudelitas nunc in multis regionibus exercetur. Vt autem Deus protegat has regiones, in quibus hospitia Ecclesiæ tranquilliora tribuit, crescat in nobis pietas, & simus officiosi erga miseros pastores: ideo cum nuper incendio Pirckitz conflagrauerit & pastoris domus, & horreum & fruges hoc anno natæ: oro ut egenti pastori opem feratis, & in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, & fidem & spem pietatis, ut Deus uobis & Ecclesiæ poenas leniat, & uos et Ecclesiam protegat: & hæc beneficia à Deo expectetis propter Filium intercessorem. Et hac spe crecti, mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his eleemosynis, sicut scriptū est: Date, & dabitur uobis. Et ad Corinthios scriptū est: Qui suppeditat semen seminanti, præbeat panem ad cibum, & augeat sementem uestram. Datæ Noanis Septembris, Anno, 1558.

Philippus Melanchthon  
manu propria.

C. 5 S. D.

S. D. omnibus leſturis has  
literas.

Scitis multos pios paſtores rectè docentes cum familijs expulſos eſſe ex limitibus Bohemia: qua in re hoc quoq; dolorem omnibus augere debet, quòd laudata Bohemorum natio, quæ olim & ſapienter & piè errores Pontificios taxauit, & fortiter armis defendit Eccleſias rectè docentes, nunc uidet gentibus multis, exerceri hanc aſperitatē à paucis, qui ueritatem manifeſtam, quod ſcimus, contra conſcientiam ſuam oppugnant. Magno autem cum dolore hunc ſenem Nicolaum, patrem quinque filiorum & duarum filiarum, audimus inter ceteros in hac ſenectâ, & cum miſera familia ex limite Bohemico pulſum eſſe. Quare oramus omnes qui aliquid ei largiri poſſunt, ut aliquid ad uitaticum ipſius conferant. Certiſſimum eſt, Deum propter hæc beneficia pœnas publicas & priuatas mitigare: & hanc fidem in hac beneficentia exerceamus. Date Calendis Iunijs, 1558.

Philippus Melanchthon  
manu propria.

S. D. omnibus leſturis has  
literas.

Natus eſt hic Vuolfangus Fabricius, in oppido Saxonie Vuiteberga, ex parentibus honeſtis & pijs.

pijs. Et quanquam oculos habet imbecilles, tamen  
 & legere potest, & fungi ministerijs sacris in tem-  
 plo. Docuit etiam iuuentutem in schola Dantisca-  
 na. Et in oppido uicino urbi Pomeraniæ Stettini,  
 seruiuit in ministerio Euangelij: suntq; ipsius mo-  
 res honesti, placidi & pij. Ac propter eruditionē  
 & uitæ innocentiam, gradu magisterij philoso-  
 phici ornatus est. Querit autem locum, ubi Eccle-  
 siæ in docendo seruiat. Hanc habet causam pere-  
 grinationis suæ: quia, præsertim hoc belli tempore,  
 multi uagantur errrones malis consilijs. Hic uerò  
 Fabricius & homo innocens est, & honestam ha-  
 bet causam peregrinationis, & eruditione instru-  
 ctus est. Officiū autē Deo gratum est, præbere ho-  
 spitalia officia hominibus innocentibus & inculpa-  
 tis, ac præsertim ijs qui Ecclesiæ seruire cupiunt.  
 Hunc igitur Magistrum Fabricium omnibus bo-  
 nis uiris commendo: eosq; oro, ut ipsum beni-  
 gnè adiuuent, cum sciant uocem filij Dei: Qui u-  
 ni ex minimis meis dederit potum aquæ frigide  
 propter doctrinam, habebit mercedem. Bene & fe-  
 liciter uale candide lector. Anno 1551, Die quarto  
 Septembris, Vitebergæ.

Philippus Melanchthon  
 manu propria.

S. D. lecturis has literas.

Ethnica uetustas pepercit sacerdotibus: ut ex-  
 presse



presse scriptum est in Alcibiadis historia, dimisisse  
 eum sacerdotes sine λύτgois. Et apud Homerum co-  
 gitur Agamēnon reddere sacerdoti filiam. Hæc bel-  
 li iura non seruarunt barbari apud Carolum Im-  
 peratorem, anno 1547. In hac uicinia uirum inte-  
 gerrimum, pastorem Ecclesiæ Kembergensis Bar-  
 tholomæū, cum domum spoliassent, postea ita per-  
 cusserunt, ut iacuerit biduò inter cadauera tanquā  
 mortuus. Hunc Deus tamen mirabiliter seruauit.  
 Cumq; postea ad doctorem Germanicum consilia-  
 rium Imperatoris adductus esset, triduò apud eum  
 hospitaliter tractatus est, & in loca tuta dimissus.  
 Alij similes latrones pastorē Ecclesiæ in uicino op-  
 pido Damasco, Aegidium, ita percusserunt, ut post  
 paucos dies mortuus sit. Misera uidua & surda-  
 stra nunc cum quatuor orphanis à pijs petit elee-  
 mosynas. Memores simus in hoc officio & man-  
 dati diuini, de orphanis: & promissionis, Esto pa-  
 ter orphano, tunc Deus magis te diliget quàm dili-  
 git te mater tua. Quid maius promitti potest a-  
 more Dei tanto, qui uincat maternā σοφylv? Nec  
 dubitate, quin Deus uicissim pro talibus officijs ma-  
 gna beneficia præstet publicè & priuatim: quem  
 oro, ut harum regionum Ecclesias, & earū hospi-  
 tia seruet & gubernet. Datæ Calend. Martij, An-  
 no 1559.

Philippus Melanchthon.  
 Testimo-



Testimonium Ægidij Carstorf.  
Friburgensis.

Vtinam multæ Ecclesiæ habere tales pastores possint, qualis est hic Aegidius Friburgēsis, magnæ pietate morum & doctrina instructus. Quare gaudemus eum in hac uicinia præfici Ecclesiæ Nimecensi, in qua & antea piè & fideliter docuit Euangelium Christi. Explorari eius doctrinam non erat opus: sed tamen cum eo disputauimus, & iudicamus idoneum esse ad gubernationem Ecclesiæ: eumq; ijs qui ipsum promouere possunt, commendamus.

Caspar Cruciger D.

Philippus Melanchthon.

Ioan. Bugēhagius D. Pastor ecclesiæ  
Vuitebergensis, & cæteri.

Literas ad nos attulit N.N. quæ testabantur, eum honestis & pijs moribus præditum esse, & ad munus docendi Euangelium N. uocatum. Cum autem rogati essemus, ut explorata eius eruditione, adderemus publicam ordinationem, diligēter eum audiuius: & cōperimus eum rectè tenere summā Christianæ pietatis, & amplecti puram Euangelij doctrinam, quam Ecclesia nostra uno spiritu et uua uoce cum Catholica Ecclesia Christi profitetur: ac à fanaticis opinionibus, damnatis iudicio catho-  
licæ

lica & Apostolica Ecclesiæ Christi, abhorrere. Promisit etiam hic N. in doctrina constantiâ, & in officio fidem & diligentiam. Quare ei, iuxta doctrinam Apostolorum, publica ordinatione commendatum est ministeriũ docendi Euangelium, et sacramenta à Christo instituta administrandi, iuxta uocationẽ. Cumq; scriptum sit de filio Dei, Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, pastores & doctores: precamur ardentibus uotis, ut sue Ecclesiæ gubernatores det idoneos & salutare: ac efficiat, ut huius iam ordinati ministerium sit efficax & salutare. Ipsum etiam N. & suam Ecclesiã hortamur, ut curet Euangelium Dei purẽ & fideliter cõseruari & propagari. Nam hoc officio Deus præcipuẽ se coli postulat, sicut inquit Christus: In hoc glorificatur pater meus, ut fructum copiosum feratis, et fiatis mei discipuli. Et hac luce retẽta manet Ecclesia, & aderit in ea Ecclesia Deus, dabit uitam æternam inuocantibus ipsum, & opitulabitur in ærumnis huius uitæ. Ibi enim adest & exaudit Deus, ubi ipsius Euangelium uerẽ sonat, sicut scriptum est Ioannis 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, & petitis, fiet uobis. Datæ Vitenbergæ, &c.

S. D. lecturis has literas.

Hic peregrinus Gutbertus Huganius, modeste  
apud

apud nos hac tota hyeme uixit . Narrat se docuisse linguam Latinam & Græcam in scholis, & scribit solutam orationem & carmen Latine. Causam se honestâ peregrinationis habere inquit, quòd impiam tyrannidem & furias Poli & Vuintoniensis adprobare noluerit: quorum alter, uidelicet Polus, scripsit: Si Cæsar cum exercitu in ipso freto Helle-  
sponti iam esset cum Turcis præliaturus, se uelle ei hortatorẽ esse, ut omisso Turcico bello, rediret ad delendos Lutheranos. Quid potuit dici furiosius? Huius igitur Gulberti uirtus laudanda erit, quòd in exilio uiuere maluit, quàm quòquo modo talibus tyrannis assentari. Ac decet honestos uiros, & propter honestam causam exulantes, hospitalibus officijs iuuare. Cogitemus de communi exilio generis humani, quòd immortalem uitam, ueram scilicet patriam propter peccatum amisimus: ad quam tamen reducimur per filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui exul propter nos fuit. Cogitemus & de inconstantia fortune hominum, & simus officiosi erga exules. Data anno 1556.  
Die uerni æquinoctij, quo tempore cometam terribilem flagrantem uidimus, postea celeri motu ad Arcton prouectum. Deus leniat publicas & priuatas calamitates.

Philippus Melanchthon.

S. D.

S. D. omnibus leſturis has li-  
teras.

*Accenderunt Pontificiæ furie magnū bellum in Germania aduerſus Imperatorem Henricum quartum. Interfecto autem Rodolfo, quem Papa ſecerat Imperatorem miſſa corona, cui uerſus inſcriptus fuit,*

*Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo:*

*Factus eſt dux Saxonici exercitus Marchio Ecbertus, qui tunc regionem ad Salam tenuit. Ab illo Ecberto nomen eſt arci & oppidi Eckerbergs: nec procul inde Ecbertus ille interfectus eſt, & poſtea ſepultus in Neoburgo. In eo oppido Eckerbergs natus eſt hic Eſaias Valla, qui adoleſcens fuit in Academia Francofordiana, ubi ſeruiuit reuerendo uiro Andreæ Muſculo: poſtea miniſterium Euangelij publicæ ordinatione ipſi commendatum eſt uoce reuerendi uiri Martini Lutheri, cū in urbe Iſlebia eſſet anno 1546. Deinde uocatus ad limites Bohemiæ, rursus inde cum alijs pijs paſtoribus multis pulſus eſt. Iudico uirum honeſtum & intelligentem eſſe: & habet honeſtam coniugem, & duas filias. Eſt autē grata Deo pietas, talibus exulibus pijs & modetiſtis bene ſacere. Quare oro omnes hoſtes uiros, ut huic Eſaiæ Eckerbergensi hoſpitalia officia præſtent: & ſicubi erit occaſio, ipſi locum docendi, & exulanti familiæ nidum præbeant.*

beant. Leniamus pijs exulibus ærumnas: & prece-  
mur, ut Deus nobis omnibus calamitates nostras  
mitiget. Datæ Calendis Septembris, Anno 1558.

Philippus Melanchthon

Simoni cuidam.

Memini hunc nostrum auditorem Simonem,  
subditum uestrum, diu & feliciter in Academia no-  
stra didicisse & philosophiam & doctrinam Chri-  
sti. Postea etiam Norimbergæ in familia honesta iu-  
uentutem erudit. Laudatur testimonijs bonorū ui-  
rorum, qui scribunt mores eius honestos esse, & ci-  
ues quandam ei Ecclesiam in uicino oppido com-  
mendaturos fuisse: sed ipsum amor patriæ mouet,  
ut isthuc redeat. Quare cum uobis commendo, &  
spero Ecclesiæ Dei fideliter & utiliter seruiturum  
esse. Nam & mores eius sunt pijs, & doctrina præ-  
clare instructus est. Bene & feliciter uale, Die 24  
Augusti.

Philippus Melanchthon.

Magnifico Cancellario inclyti Electoris  
Marchionis, præstanti sapientia & uirtu-  
te, Ioanni Vucinlabio, patrono  
suo colendo,

S. D. Magnifice domine Cancellarie, & ami-  
cæ colende & charissime. Non hoc mihi sumo, ut in

D alieno

alienæ Reipublicæ negocia me ingeram: sed tamen apud uirum sapientem et amicum, precibus locum esse existimo. Oro itaq; ut N.N. Christophorū Laßium, pastorem Ecclesiæ in urbe Sponda, illustrissimo Principi commendetis: & reuerenter petatis, ut retineatur in eius Ecclesiæ gubernatione. Nam exilium seni cum familia, quàm sit ærumnosum, nō obscurum est. Et fideliter docuisse eum scitis. Certè de grauissimis partibus adeò dextrè scripsit, ut sperem eius labores etiam posteris profuturos esse. Et uita honesta est, etiamsi naturam uellem minus iracundam esse: sed scitis in optimis naturis hominum, tamē multos morbos hæere, ut fateamur nos esse massam peccati: & ita saluos fieri, quia massæ filij Dei inserimur. Obsecro, ut leniatis hoc negocium. Bene ualete. Die 27 Martij, quo ante annos 1521, filius Dei ex morte reuixit, & ostendit se uictorem esse mortis & inferorum. Anno 1555.

Philippus Melanchthon.

Venerabili uiro Georgio Bucholtzero,  
præposito Berlinensi, amico suo  
colendo,

S. Commendo tibi doctorem Ioannem Pontanum, insignem medicum, et compatrem meum charissimum, qui has adfert literas: is relictâ conditione, quam hîc simul in aula, Academia, & tribus op-

pidis

pidi amplissimam habuit. reuertitur in Germania, ne sit spectator eorum quæ hic ab N. fiunt. Ex eo uaria cognosces non solum de Ecclesiæ, Academiæ & Reipublicæ nostræ statu: sed etiam de horrendis prodigijs, quæ publicam haud dubiè calamitatem portendunt. Nam & terra non procul ab oppido Rosenburgo sese aperuit, magnamq; uim ignis emisit: & in cœlo plures soles sæpius apparent: & in nonnullis locis homines à diabolo abripiuntur. Ad hæc, uaria habet olæa ex succino alijq; rebus preciosis cōfecta, quarū usus in curandis morbis est mirificus: item uaria habet genera uariorū pisciū depicta: quæ si uolueris uidere, omnia tibi ostendet. Neq; prætermittere uolui, quin eum illuc iter habentem tibi commendarem: eo quòd arbitrabar eius noticiam tibi non iniucundam fore. Accersitus est à iunioribus Saxonie principibus ad conditionem honestam: quam tamen an ipse accepturus sit, sanè nescio. Equidem optarem, illustrissimum Principem Electorem Brandenburgensem habere medicū tam præclarū ac peritum. Meæ res eo hærent loco, ut nec manere, nec discedere possim. Desij prælegere ante duos menses, meq; ad discessum parauī: sed nōnulla pericula me remorantur, ex quibus tamē breui me explicabo, Deo adiuuante. nam extrema iam tentabo: uosq; ut spero, uidebo ante autumnum. Vale, & illustrissimo Ele-

D                      clori



*Stori me commenda. Datæ decimosexto Iulij, Anno 1554.*

**Honestissimo uiro, D. Hieronymo Stauden, in oppido Stendaliæ, amico & conterraneo charissimo,**

**S. D.** Hunc Magistrum Ioannem Francum mitto ad uos, ut audiatur in Ecclesia Vuerbenſi: quia spes eſt fore, ut ipſi ea Eccleſia cōmēdetur. Vir honeſtus, & ſatis doctus eſt: & antea biennio fuit in miniſterio Eccleſiaſtico in Bernburg. Poſtea ad Academiā redijt, confirmandæ eruditionis cauſa: et coniugem habet, & filium. commendo uobis hominem. De D. Eraſmo Albero ſcitote, cum proficiſci ad Francos. uocarunt enim eum Rotenburgerſes. Mitto uobis exemplum meæ Epistolæ, miſſæ ad N. qui Francofordiæ ſatis duriter in noſtrarum Eccleſiarum concionatores inuectus eſt. habet fortassis ſuum theatrū, cui dulce eſt audire cōuicia quibus nos laceramur, qui tamen neminem in Marchia læſimus: fortassis erga alios etiam officiōſi fuimus. Sed hoc quoq; ( Deo iuuante ) Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti commendo: quem oro, ut ſeruet & regat Eccleſiæ ſuæ reliquias: ut certè faciet.

**Bene ualete: Die Palmarum.**

**Philippus Melancthon.**

**Reueren-**

in

Reuerendo uiro, eruditione & uirtute  
præstanti, D.N.N. pastori Ecclesiæ in uo-  
teri urbe Bremi, fratri suo cha-  
rissimo,

S. D. Reuerēde uir, & charissime frater. Apud  
Xenophontem dulcissima est narratio de Hippia,  
qui cum ex longo interuallo Athenas reuersus es-  
set, audiretq; Socratem eadem docentem ac repe-  
tentem quæ tradiderat ante multos annos: deridet  
eū, ac sese effert magnificè, ac dicit se subinde noua  
excogitare, cum Socrates fateatur se τὰ αὐτὰ πρὸς  
τῶν αὐτῶν dicere. Fortassis me quoq; multi deri-  
dent, eadem repetentē. Sed hoc puto rectius esse: &  
optarim nos optimæ propriissimis uerbis, & qui-  
dem iisdem syllabis in Ecclesia sonare. Vestra iudi-  
cia scio candida esse. Ideo pagellas proximæ Dispu-  
tationis uobis mitto. Quæso etiam, ut mihi cures  
emi, et mittas cultros, quales antea misisti: quos ex-  
peto Camerarij causa, & precium mitto. De bellis  
non libet scribere: uagantur poenæ per genus hu-  
manum, & Germanici imperij periodus circūacta  
est. Oremus Filium Dei, ut poenas leniat, & seruet  
Ecclesiam, & aliqua Ecclesiæ hospitia.

Bene uale, & rescribe. Calen-  
dis Maij.

Philippus Melanchthon

D 3 Reue-

Reuerendo uiro D. Georgio Buchholt-  
zero, amico suo, S. D.

Reuerende uir, & amice charissime. Est om-  
nino uirtus ingēs, & quam Deus uult intelligi, gra-  
titudo: & composita est ex duabus summis uirtuti-  
bus, ex ueritate & iusticia. Veritas proficitur, un-  
de sit acceptum beneficium: iusticia obligat nos ad  
mutua officia. Sic nos profiteamur bona à Deo acci-  
pere, & uicissim ei obediamus. Hanc uirtutem, gra-  
titudinem, comperi esse in Stanhusio, qui ualde lau-  
dat uestram erga se beneficentiam. Et gratiam uo-  
bis ipsius nomine habeo. Si discedet, commendabo  
uobis honestum & doctum hominē, natum in Mar-  
chia, in oppido Rupin, N. N. Et ipse ad uos acce-  
det, cum primum iter facere poterit niuibus resolu-  
tis. Audio huc uenturam esse illustrissimam domi-  
nam Principem, socrum Ducis Prussiæ: & addu-  
cturam esse Brentium, ut cōciliatio de dogmate O-  
slandri fiat. Pagellas uobis mitto, & peto ut illu-  
strissimo Principi etiam suas tradatis. Bene & feli-  
citer ualete. Calend. Februarij, Anno 1554.

Philippus Melanchthon:

Clarissimo uiro, D. Georgio Sabino, ge-  
nero suo charissimo, in Academia  
Francofordiana professo-  
ri, &c.

S. D. Certissimum est, Deo curæ esse fami-  
liæ

lia inuocantes cum. Quare te & tuos hactenus  
 clementer protexit: & ut deinceps te & tuos pro-  
 tegat, toto cum pectore oro. Oro etiam, ut hic redi-  
 tus tuus in patriam, tibi ac tuis faustus sit. Spero te  
 tranquillius in his locis uicturum esse, quàm in illa  
 aurifabri tyrannide, seuiori quàm fuit figuli Aga-  
 thoclis tyrannis. Literas à te expecto & flagito.  
 Nunc tibi commendo adolescentē nobilem, natum  
 in familia Pomeranica, honesta & splendida, Ebat-  
 dum Blucher, ualde ingeniosum & modestum, qui  
 rectè didicit Grammaticen & Dialecticen, & Lati-  
 nè mediocriter scribit, & amat eloquentiæ & hi-  
 storiarum studia. Expetit & familiaritatem tuam  
 styli causa, ut tuo iudicio formet orationem: ac pa-  
 ter uir honestus, ualde te orat, ut habitationem fi-  
 lio in ædibus tuis, & mensam tribuas: et pollicetur  
 se gratū fore. Id si fieri non poterit, agas cum Chri-  
 stophoro Pannonio. De pecunia, scito me nihil ex  
 aula Sigismūdi accepisse: nec ualde cōtendi, cum te  
 expectaremus. Bene & feliciter uale, & rescribe.  
 Die 18 Aprilis.

Philippus Melanchthon.

Venerando uiro, Georgio Buch-  
 holzero, amico suo cha-  
 rissimo,

S. D. Venerande Domine Georgi. Mitto illu-

D 4 strissimo

striſſimo Principi et uobis, ac filio Nohe, pagellas aliquanto poſt miſſurus hiftoriam Eccleſiæ, contextam inde uſq; à reditu ex Babylone ad natum ex uirgine filium Dei. Nunc autem commendo uobis cauſam uiduæ D. Lutheri: & liberorum eius egeſtatem in hac difficultate temporum indicare ueteribus patronis, non eſt inofficioſum. Et credo illuſtriſſimum principem Electorem Marchionem, ſi adſſet, propter uiri merita, libenter opitulaturum eſſe huic familie. Cum Lutherus ſpiritualia ſeminauerit, iuſtiſſimum eſt, pios Principes eius liberis impertire uictum. Quæſo ut hoc negocium diligenter agatis. Spero & aſſiduum Cancellariũ adiutorẽ fore huius negocij. Bene ualete. Die 20 Februarij.

Philippus Melanchthon.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & chariſſime frater. Excellẽs uirtus eſt gratitudo, cõpoſita ex duabus ſummis uirtutibus, ueritate & iuſticia. Veritas fatetur unde proſectum ſit beneficium: iuſticia obligat ad mutua officia. Vultq; Deus intelligi gratitudinem, ut ipſum agnoſcamus autorem eſſe omnium bonarum rerum, & uiciſſim præſtemus ei obedientiam. Quare grati homines laude digni ſunt. Cum igitur hic magiſter Ioannes Potticher grata commemoratione tua erga ſe beneficia prædicet, rurfus cum ti-

bi commendo, & ut gratum hominem, & ut seruientem utiliter studijs iuuetutis. Scriptum Norimbergense, ut scit magister Ioannes, est in officina typographica: mittam quamprimum fuerit editum. Bene uale. Die decimo Nouembris, quo die 1483 Martinus Lutherus natus est, cuius uoce lucem Euangelij filius Dei Ecclesie restituit: pro eo beneficio immenso grati Deum & Dominum Iesum Christum celebremus.

Philippus Melanchthon.

Illustri & magnifico domino, D. Ioanni à Cosnelitz, &c. Palatino Siradiensi,  
&c. domino suo reuerenter  
colendo,

S. D. Illustris & magnifice domine. Sunt inepti, qui disputant utra ars excellat, peritiã ne militaris, an eloquentia. Vtraq; enim necessaria est uitae, & suus cuiq; locus est. Instruxit enim Deus hominum uitam & multis & diuersis artibus.

Quantum autem decus sit eloquentia, uos gubernatores Reipub. optimè intelligitis. Quare hæc studia formandæ orationis & excitanda sunt à uobis, & ornanda. Quo in genere cum Christophori Pannonij labores Reipublice seruiant, reuerenter oro, ut eum complectaris: præsertim cum nõ ut multi, sine naturæ uiribus, tantum pueriles artium

D 5 libele

libellos didicerit: sed & ingenio ualeat, & eruditione instructus sit, ut & in explicandis materijs summat orationē ex ueris fontibus, & singularis sit in ipsius scriptis in uersu & oratione soluta splendor et suauitas. Hec bona sunt ornata integritate uitæ, iusticia, modestia, & omnibus uirtutibus, quas uox diuina flagitat. Nihil est amabilius uirtute, coniuncta cum doctrina & facultate dicendi & scribendi. Quare ubi hunc Christophorum uel coram uel ex scriptis nosse coeperis, tuo iudicio diliges. Hec autem scripsi eò, quòd cum commendare talem uirum, cum à me amari intelligeres, & sic quoq; erga eum beneuolentia aueretur. Bene & feliciter uale. Calend. Iunij, Anno 1555.

C. T. Addictus

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzer, amico suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Non dubito unam & eandem esse Dei Ecclesiam in uestra & nostra urbe. Ideo ordinationem tribuimus Andreae petenti, non grauati. Sed tamen hortatus fuerā, ut istic peteret ordinationē, propter multas causas. Verum ipse sperauit nihil fore periculi. Vos autem oro, ut eum tueamini. Erudite et piè respon-



dit de omnibus articulis doctrine Christianæ: hoc  
uerè adfirmare possum. De Repub. multa scribere  
possem: sed tantùm hoc narrabo. Ad Rhenum pa-  
stor Ecclesiæ cuiusdam sibi mortem cōsciuit, dolo-  
re recepti libri Augustani. Breui scribam plura, &  
mittam filij carmē, quod curabo sibi excusum præ-  
lis, & ornatum. Bene ualeat. Die 3 Octobris. Mit-  
to breuem orationem de tribus farine satis.

Clarissimo uiro domino Cancellario salutem opto.  
Hodie ex Anglia literas accepi, ubi doctrina Euan-  
gelij purè traditur, & erunt iam conuentus de con-  
stituendis Ecclesijs.

Philippus Melanchthon.

Venerādo domino, Blasio Odesholmio,  
pastori Ecclesiæ Dei in Bucu, a-  
mico suo,

S. D. Venerande uir. Magna pietas, & grata  
Deo est, iuuare bona ingenia, quæ literis excolum-  
tur, ut aliquādo seruiant Ecclesiæ. Et commendat  
Paulus præcipuè singulis domesticos, id est filios et  
cognatos. Est autem in Noha Buchholzzero ualde  
bonum ingenium, & dignum quod liberalitate a-  
licuius patroni iuuaretur, ut optimè inchoatis stu-  
dijs diutius exerceri posset. Et mores sunt honesti.  
Extant eius scripta multa, quæ grauitate sententia-  
rum ostendunt, in eo considerationē & pietatem

esse.

esse. Ideo ualde uos oro, ut eū iuuetis, donec ei inueniēmus honestum locum, ubi mercedem ex labore docendi mediocrem habere poterit. Talia ingenia Respub. debebat eligere ad conseruationem litterarum, pro utilitate posteritatis. Sed potētes hac cura parum adficiuntur. Deus tamen seminaria aliqua seruat: & ut seruet, eum oremus. Sicut scriptum est: Orate, ut extrudat Deus idoneos ministros. Bene & feliciter ualete. Die 6 Iunij, 1547.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Ioanni N. fideli doctori Theologiæ in inclyta Academia Francofordiana, fratri suo colendo.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Affirmat filius Dei, illum esse beatū, qui inuento margarito, id est agnita Euangelij luce, id margaritum emit, uenditis omnibus possessionibus alijs. Hac uos consolatione, qui exulatis, & patriam reliquistis, confirmate, quod filius Dei uos tuebitur, & beatos faciet, etiamsi cōmoda magna amisistis. Fruemini autem nunc margarito, id est, amara crustula, doctrina crucis. Talis est & hic Linus noster, qui natus est in gente Scotica: reliquit patriā et opes non paruas, ut ab idolis abesset, & doctrinae limpidos fontes cognosceret. Comperi esse doctum uirum,

&

Et uera pietate Deum colentem. Quare cum diligō, et quantum potero ei opem feram: teq; etiam oro, ut eum complectaris. Scis Deum uelle, ut talium hospitum cura afficiamur: et ego nos Germanos præcipuè debere gratitudinem Scoticæ genti iudico, quia ab ipsis doctrinam Euangelij et literas olim accepimus, cum Ecclesiæ armis Henetoriū et Hunnorum in Germania deletæ essent. Bene et feliciter uale, Calend. Augusti, 1556.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzero, fratri suo charissimō,

S. D. Reuerende uir, et amice charissime. Hic N. N. N. cum natus sit in Marchia, mallet seruire studijs patriæ: et cum audiuerit Stanhusium relicturum esse scholam Berlinensem, ipse petit sibi eam commendari. Rectè doctus et modestus est, et moderatis consilijs obtemperabit. Quare te oro, ut ijs ad quos hæc deliberatio pertinet, eum commendes. Mitto tibi exempla de principe Georgio, quorum unū trades illustrissimō principi Electori. Qui ueniunt ex Pannonia, adfirmant Turcicum tyrannū promittere Pannoniæ inducias in sexennium. Nam ipse domesticis calamitatib. retinetur. Interfecit filiū maximū natu, falso accusatū à genero, homine Rutheno.

Rutheno. Nunc illum accusatorē Ianizari deposcūt  
ad suppliciū. Hæc ad me scripserūt homines digni fi  
de, ex Pānonia. Bene ualete. Die 17 Februarij, 1554.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Bucholt-  
zero, amico & fratri suo cha-  
rissimo,

S. D. Reuerende uir & amice charissime. Vt  
Lazaro canicule cruciatus leniūt: ita miseris sacer  
dotibus & scholasticis aliqui tenuēs priuatis offi-  
cijs opem ferunt. Facis igitur piē, quōd complecten-  
ris Ioannem N. N. Boticherū Rupinensem, qui istic  
docet adolescentiā: qui quidem tua beneficia grata  
commemoratione prædicat. Spero eius labōres Ec-  
clesiæ profuturos esse. Scripsi de eo ad senatum Per-  
lebergensem. Te autem oro, ut addas tuam commē-  
dationem. Mitto tibi pagellas, quarum lectionem ti-  
bi non insuauem fore arbitror. Potes & illustrissi-  
mo Principi exemplum tradere. Fuimus Naobur-  
gi, ut de cōtrouersia Prussiaca colloqueremur cū  
Tubingensibus. Et audieram uestros quoq; eō uen-  
turos esse: sed nemo uenit, præter Hessicos. Disces-  
simus sine ulla dissensione, Dei beneficio. Nec uene-  
runt eō Tubingenses. Bene ualete. Die 9 Iunij: quo  
die natus est Alexander Macedo, ante mille non-  
gentos & septem annos.

Philippus Melanchthon.

Eximia

Eximia pietate & doctrina prædito, D.  
 Gabrieli, pastori Ecclesiæ Torgen-  
 sis, amico suo præcipuo,

S. D. Hic sacerdos mancus, mihi & cæteris,  
 qui hic sunt, diu notus fuit: manum in quadam ri-  
 xa sine sua culpa amisit, ut aulici sciunt. Habet ux-  
 orem & filiam, pias & pudicas, & sub nobilibus du-  
 riter uiuit. Diu disputatum fuit ante hoc tempus,  
 an, quia mancus esset, possit fungi ministerio. Et cō-  
 cessum est, ut fungeretur: & scimus mediocrem in-  
 dustriam eius esse. Rogamus, D. Pastor doctor Po-  
 meranus et ego, si Ecclesiæ in Vthusen opus est pa-  
 store, ut de hoc bono homine deliberes. Bene ua-  
 le. Die 6 Iulij, Anno 1542.

Philippus Melanchthon.

S. D. omnibus lecturis has  
 literas.

Ego Philippus Melanchthon testor, hunc hone-  
 stum & doctum uirum hospitem, natum in Panno-  
 nia, Christophorum Lippensem, amplius biennio  
 in Academia Vitebergensi, summa cum laude mo-  
 destiæ & diligentiae in literis cōmoratum esse. Stu-  
 diose autem didicit Latinam & Græcam linguam:  
 & ut fontes coelestis doctrinae ei patèrent, attigit  
 Ebræam linguam. Ingressus igitur in studia Philo-  
 sophiæ & doctrinae Ecclesiasticae, in utroq; genere  
 ita

ita profecit, ut usui Reipublicæ alijs erudiendis esse possit: ac de doctrina coelesti piè amplectitur cōsensum catholicæ Ecclesiæ Dei, quem et nostra Ecclesia sequitur, ac à fanaticis et seditiosis opinionibus abhorret. Cū autem bellum ad Albim motum fugeret, et loca tranquilliora quæsiturus esset, ne quis de eius peregrinatione secus suspicaretur, hoc discedenti ex nostra Academia testimoniū dedit: et adfirmo eum honestis moribus præditum esse, et doctrina rectè institutum. Quare et omnes honestos homines adhortor, ut officia modestis hospitibus debita, huic Christophoro etiā præstent: quod et Deo gratum est, et cōueniens communi hominum societati, et naturæ fœderi, ut cum peregrinatio propter doctrinā et multas alias honestas causas necessaria sit hominibus, et simul plena laborū et periculorum, iuventur et tegantur exteri, qui probabiles causas habent itinerum. Sicut et ueteres, qui iusticiæ officia magis intellexerunt et coluerunt, diligenter præceperūt beneficentiam erga hospites, et quidem eos Deo curæ esse scripserunt. Notum est illud Homeri,

ἦνς τ' ἐπιτιμῆτωρ, ἐν τεύχεσσι, τε ξεινῶν τε,  
 ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἀδολοίγοισιν ὀπκᾶται.

Date Vitebergæ, Die S. Martini Pannonij,

Anno 1546.

S. D.

S. D. Omnibus leſturis has  
literas.

Cum doctrina uitæ neceſſaria, lumen ſit à Deo ſparſum in genere humano immenſa bonitate, nec conſervari ſine diuina ope poſſit: Oremus eum, ne bellis & alijs hominum furoribus deleri ſuum beneficium ſinat: ſed ut accendat doctrinæ amorem & ſtudia in multis, & det eis tranquilla hoſpitia, ut ipſe uerè agnoſcatur & celebretur. Cum hic doctus uir Sebalduſ Munſteruſ (natus patre Norimbergenſi, doctore Iuriſ, qui in Academia Vitebergenſi fideliter didicit Iuriſcōſultorum doctrinam) quærat hoc tempore Academiam in regione tranquilla: dedi ei teſtimonium, ut aditum ad gubernatores ſtudiorum in alijs Academijs habeat faciliorẽ. Pater uir integerrimuſ fuit, ac leges didicerat nō tantum ut ea arte paci publicæ ſeruiret: ſed ſimul etiā ut illam iuſtitiæ normā in regēdis ſuis moribus ſequeretur. Et adiunxerat ad ciuilia ſtudia cognitionē doctrinæ cœleſtis, ac uera pietate Deū colebat. Quare liberos rectè erudiri curauit. Cumq; in hoc Sebaldo natura ſit placida, & boni mores ſint, & indoles omniſ doctrinæ capax: ſpes eſt, Deo iuuante, patris uirtutem imitaturū eſſe. Iamq; adoleſcēſ didicit Latinā linguā, & initia Philoſophiæ, & ſummam doctrinæ Eccleſiaſticæ: ſe' que parat, ut olim Eccleſiæ Dei in miniſterio Euangelij neceſſario

E      ceſſario



cessario seruiat. Quare omnes bonos uiros oro, ut cum propter patris memoriam, propter bonos ipsius mores, & piam in studijs uoluntatem amanter complectantur. Erit familiaritas eius omnibus, propter modestiam & integritatem ipsius, grata & suauis. Spero etiam Dei benignitatem maiorem erga hunc Sebal dum & fratres futuram esse, propter eximiam eius pietatem, ut scriptum est: Generationi rectorum benedicetur. quæ sententia ueteri uersu præclare expressa est:

ὁ νοστήτωρ παίδεος τὰ νότια, διανοήτω δ' ὁ.

Data Vitebergæ, Anno 1547, die Paschatos, quod fuit ab exitu Israelitarũ ex Aegypto Pascha 3056. Tot annos continuò cum seruauit Ecclesiam Deus mirandis modis, speremus & deinceps seruaturum esse.

Philippus Melanchthon  
manu propria.

### Aliud.

Didicit adolescens Leonardus Munsterus Latinam linguã, & ad cæteras Philosophiæ partes mathemata adiunxit: ac feliciter didicit doctrinam de motibus & effectibus siderum: cuius cognitio non solum dulcis, sed etiam uitæ hominũ utilis est. Præparat autem se ad artem medicã. Interea & ueram agnitionẽ Dei ad cætera studia addidit: cum quidem & paterna institutione ad pietatem assuefactus

*Aut sit, & uestigia Dei in natura uideat, quorum  
consideratio in philosophia bonas mentes ad quæ-  
rendum Deum exuscitat. Quare, &c.*

Reuerendo uiro, D. Georgio Buch-  
holtzer, amico charis-  
simo,

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Dei  
beneficio speramus aerem fore salubriorem dein-  
ceps, & contagia luis cessura esse, quæ iam rara  
sunt. Sed tamen uellem filios uestros expectare tem-  
pus æquinoctij: magis bella quàm luem metuo. Sed  
nos Deo commendo: quem oro, ut seruet harum re-  
gionum Ecclesias, & earum hospitia, & doctrinæ  
studia. Heri huc uenerūt scholastici Hungarici, qui  
narrāt, in Pannonia iam propter luē Turcica præ-  
sidia non latè uagari: sed tamē oppida hoc anno oc-  
cupata, Temeswar & Lippiam, cos retinere.

De controuersijs Stancari & Musculi, Deo iu-  
uante piè respondebimus. Utinam de his tantis re-  
bus pij & docti inter se colloqui possent. Profectò  
maiores controuersiam mouet Stancarus, quàm  
antea Balticus orator. Sed de his copiosius aliàs.  
Bene ualete, Die 16 Ianuarij.

Philippus Melanchthon.  
Eidem.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Sum-  
E 2 hortatus

hortatus medicos uicinos fonti Saxonico, ut edant ueram descriptionem scaturiginis, & effectū. Intelligo autem scaturiginem esse in terra metallica, cuius usus est in emplastris: & uim habet dissipandi lentos fluxus & tumores, ut Dioscorides etiam dicit, & nervos recreat. Ideo fons ille sanat membra affecta paralyti, ut iam aliqua exempla testantur; ac iudico sanationes physisas esse, et singulare Dei beneficiū. Scio multa ineptè dici, sed uellem doctos & integros uiros edere ueras descriptiones: idq; ut faciant, aliquos hortatus sum. Aqua nobis missa est, in qua uidimus multam esse ὄχλην, uelut arenam subsidentem, metallicā terram giluiam. Est & ciuis in oppido nostro honestus uir, qui habet languefactos pedes paralyti: quem sum hortatus, ut experiatur fontis illius naturam. isq; iam eò uerhitur. Bene ualete. Mitto uobis pagellas. 21 Aprilis, Anno 1556.

Philippus Melanchthon.

Amico cuidam, Theologiæ doctori, S. D.

Memini quo argumento literas impetrari tibi à duce Augusto uolueris. Sed uideo alio argumento scriptas. Vocat te Dux in castra, ut ibi doceas: & fortassis postea locum Antonij Musæ in ecclesia Merburgensi tibi traditurus est. Etsi autem differ-

ri responsio poterat: tamen fui hortator honestissimæ coniugi tuæ, ut peculiarem ad te nuncium mitteret: nō solum ut has literas Ducis mitteremus, sed etiam ut quo in loco esses, & quid instituisses sciremus. Deinde ut scias, Dei beneficio tuum filium rectè uiuere, edito grandiusculo calculo, quem magnis cruciatibus per aliquot annos parturiit. Nunc & ipse & tota familia bene ualent. De uidua Lutheri scire cupio, an in Cymbricam Chersonesum itura sit. Scriptum est ex Salinis, posse redire in urbem Vitebergam eos, qui inde discesserunt: quod si ita est (nondum enim mihi explorata sunt ea) spero Dominū rebus omnibus melius consulturum. Misi igitur cursorē, ut statū oppidi nostri exploraret. Bene uale. Die 28 Maij, Anno 1547.

Iusto Ionæ,

S. D. Quid hīc geratur, scripsi Luthero. Bona pars principum non abhorret à cōsilijs: quidam homines plebeij sine nomine, sine censu, seditiosis clamoribus obruunt sententias principū: talibus nebulonibus nolunt credi illi ipsi, qui rerum potiuntur. Nihil uidit unquā hīc sol impudentius Fabro, & gregali illius N. Heri pro concione uociferatus est Faber, Turcos Lutheranis meliores esse: quia Turci ieiunia seruēt, quæ uiolent Lutherani. Deinde pollicitus est, se de Turcica religione tota con-

E 3 cionatu-

cionaturū esse. Commemorauit barbarica nomina  
gentiū, quæ illius imperio parent. Et quidē honori  
ficē de illis loquitur. Landgravius adiunxit secum  
Sneppium, doctum sanē hominem, & copiosum in  
dicēdo. Scis autem me pressum orationis genus ma  
gis amare. Islebius et ille alternis cōcionantur. Ne  
que diligentiam neq; moderationē desidero in Isle  
bio. De exitu conuentus prorsus neq; diuinare, ne  
que polliceri quicquam possum. Sed scribam post  
paucos dies, si quid erit. Erasmus litigat cum Hispa  
nis, qui totius Lutherani tumultus autorem eum  
esse scribunt. Vale, Spiræ. Postridie Palmar. 1529.

Philippus Melancthon.

Venerando uiro, D. Georgio Buch  
holzero, amico suo,

S. D. Venerande domine Georgi. Brentius scri  
bit, dixisse Dominum de Naues, cum de reditu suo  
ad Ecclesiam ageretur, Imperatorem decreuisse tol  
lere dissidia doctrinæ & rituum : ac mandaturum,  
ut communi consensu amplectatur Germania de  
creta synodi Tridētinæ. in qua nunc acerrimæ con  
tentiones sunt de doctrina iustificationis. Propo  
nent cothurnos, aut suos errores stabilient : sed res  
ostēdet, quid agatur. Ego de iure defensionis, quod  
scripsi, sentio: nec unquam locutus sum aliter. illud  
deploraui, et adhuc deploro, Principes, qui defen  
dere

dere Ecclesiam debebant, non congruere inter sese. Quantum incendium in patria excitauit dux Mauricius? Et alia multa sunt, quæ deploro. Si mihi istie maledicit noster uetus amicus, qui à me sæpe mediocribus officijs ornatus est, faciam quod ait filius Dei: Benedicite maledicentibus. ne plus sit publicarum dissensionum, si cum eo dimicarem stylo: quod mihi non difficile esset. Sed Deo & Ecclesiæ iudicium de utroque permitto. Quòd enarraturi estis Matthæum, laudo studium, & consilium. Et libenter præfationem delineabo. Bene ualete. Die natali Caroli Imperatoris, qui erat dies Matthiæ, seu 24. Februarij, Anno 1547.

Philippus Melanchthon.

Eidem,

S. D. Venerabilis domine Georgi. Negocium ad finis uestri agam diligenter & fideliter. Et promisit dominus doctor Martinus suam in ea re operam, ac æquitate & epijkia leniendam sententiam esse censet. Hactenus consultò rem distuli, quia per D. Pontanum agenda est: quia fuit apud legatos ducis Mauricij. Mittam uobis respõsum Principis per proprium tabellariũ. Filij uestri epistolam & uersiculos legi, ac ualde laudo ingeniũ. Et oro, ut Deus piorum sacerdotũ liberis benedicat, et legem suam in eorum pectoribus obsignet, ( ut Esaie uerbis

E 4 utar)

utar) ut ipsi ad posteritatem sint custodes & propagatores ueræ doctrinæ. Tridenti audio magnos exercitus esse Hispanorum & Italorum. Bene ualete. Die fausto, quo filius Dei ingrediens Ierosolymam, exceptus est à populo gestante palmarum et olearum frondes: ut testaretur hunc Iesum & uictorem esse, humanas ærumnas superantem, & autorem pacis. Filio scribam aliàs, & mittam munusculum. Anno 1545.

Philippus Melanchthon.

Eidem,

S. D. Reuerende uir & charissime frater. Norinbergæ duo concionatores, N. & N. sparserunt nescio quæ deliria. Et hic quidem audacior & indoctior, dixerat Christum per accidens iustificare. Hi remoti sunt ab officio docendi: ac spero nunc nullam esse dissensionem in uoce docentium Norinbergæ. Scripsi quædam, quæ omnium aliorum subscriptione comprobata sunt: quæ mittam uobis, & edentur.

Quod uocabulum flagitatis de his qui contendunt diuinitatem mortuam esse, cogitavi elegatè compositionem, sed non scribam: quia nolo accendi odia, & potius silentio obrui illam controuersiam uolo, præsertim cum ueritas sanis omnibus nota sit. Epicedion honestæ & sanctæ matronæ cōiugi N. Islebij, scriptū est à quodam nostro audito-

re,



re, mediocre: sed curabo et aliorum scribi. Nec obliuiscar huius officij, cum uirtutis eius matronæ non obliuiscar. De N. N. scribā aliàs copiose. Miror cur Paradoxa contraria Augustino spargat, titulo Augustini, sed hæc aliàs. Mitto libellum, quem legas ut censor. Bene uale. Pridie Calend. Nouembris: quo die primū Lutherus, anno 1517, proposuit propositiones, quibus imposturæ indulgentiarū taxantur, & doctrina de poenitētia renouata est. In hoc spacio 38 annorū, quæ spectacula et exempla iræ & misericordiæ uidimus? quæ utinam sic intuemur, ut accenderetur in nobis cura conseruandæ ueræ doctrinæ, & ueris officijs Deum celebrandi.

Philippus Melanchthon.

Eidem,

S. D. Reuerende domine Georgi. Nuper, quæ Brentius nobis scripsit, tibi significauī. Postea intellexi, decretum impium in Synodo Tridentina de iustificatione editum esse. Articuli aliquot mihi missi sunt, sed expecto integrum, quod tibi mittam: ut spiritum Synodi probent hi, qui ueritatem quærent. Vnus articulus est: Anathema sit, qui statuit se esse in gratia. Hic articulus est specimen impietatis illorum sophistarum, qui gubernant Synodum. Nobis magna consolatio est, uidere nos in uera Ecclesia esse, etiamsi scuitia aduersariorū subeunda est,

E s cum

cū aduersarij talibus decretis ostendunt se esse hostes Ecclesiæ Dei. Editurus sum refutationem, Deo iuuante. Scripsi filio : & mitterem ipse Homerum, si in oppido nostro essem. ac mittam quamprimum rediero domum. Pro pomis ago tibi gratias. De maledictis, de quibus scripsisti, nuper tibi significauim nos nolle rixas publicas augere. Clarissimis uiris domino Cancellario, & domino Gregorio, & collegæ tuo salutem opto: meq; eis commendato. Bene uale, 8 Martij.

Philippus Melanchthon.

### Cuidam amico

S. D. Literæ tuæ, in quibus de nostro silentio quereris, magno nos dolore affecerunt. Scripsimus enim satis copiose singulis septimanis : sed nescio quo fato accedat hoc malum ad acerbissimas miserrimasq; curas, in quibus hîc uersamur, ut culpâ contrahere iudicemus, quo minus ad nos scribas. Cæsar satis benignè salutatur nostrum Principem : ac uelim uicissim nostros erga ipsum officiosiores esse. Ea de re utinam iuniorem principem nostrum literis admoneres. Nihil Cæsare mitius habet ipsius aula. Reliqui omnes crudeliſsimè nos oderunt. Fui his diebus apud Saltzburgensem, qui me bene longa et rhetorica commemoratione cruciauit omnium mortuorum, qui his annis extiterunt: adscribit nobis omnia

nia hæc incommoda. addebat epilogum planè sanguine scriptum. Hodie primum, quod felix & faustum sit, exhibebuntur nostræ confessionis articuli. Nam hætenus omne tempus consumptum est in procemijs conuentus, in propositione & commemoratione malorum publicorum. Romæ soluto Bononiensi conuentu, quædam mula peperit, & partus habuit pedes gruis. Vides significari exitum Romæ per schismata. Lant grauius probat nostram confessionem, & subscripsit. Multum proficies, ut spero, si tuis literis confirmabis eum. Brentius assidebat hæc scribenti, unâ lachrymans : is iubebat tibi adscribi salutem. Vale felicissimè. Postridie Ioannis baptistæ.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Bucholtzero, fratri suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Vellem me posse prolixè scribere, ac potius coràm colloqui. Miserat Dux Prussiæ confessionis capita, de tota doctrina : sed scripsi ei, ne ederet suâ illam formam, quia fortassis paritura esset disputationes nouas. Sed ut contentus esset Brentiana declaratione hîc edita. Id consilium tunc placuit Principi. Nunc audio ad uos missam esse confessionem illam : fortassis

taſſis magis diſertè quædam poſita ſunt. Et decurritur ad λογομαχίαν, de nomine Iuſticiæ. Alius facit reconciliationē, alius iuſticiam Deum ipſum in nobis agentem, nec dicit de perſonarum proprietatibus. De his tantis rebus libenter tecum, & cum alijs doctis uiris loquerer. Et ſi tempus cōcedetur, in reſpōſione noſtra aliquid de his quæſtionib. ſcribā. Sed nobis alia materia, & non à Principe miſſa eſt. Erit dies ſynodi ueſtræ, dies natalis illuſtriſſimi principis Electoris Marchionis : ac opto ut ſit felix deliberatio, ne pariat diſſenſiones inter ueſtros.

Audio Episcopos ad Moenum & ad Rhenum, deliberare de Eccleſijs ſuis. Plura nunc ſcribere nō potui, et propter temporis breuitatē, et propter manus dextræ dolores, quæ nuper in itinere ex lapſu grauiter quaſſata eſt. Bene uale. Die 10 Ianuarij.

Philippus Melanchthon.

Eidem,

S. D. Reuerende uir, & chariſſime frater. Scio in Polonia multos eſſe et nobiles uiros, et alios, qui legunt & amplectuntur incorruptam doctrinam Euangelij, & rectè inuocant Deum. Ac nuper apud me hoſpes fuit ſacerdos Polonicus, uir doctus & pius, qui aduenerat, ut de multis quæſtionibus mecum ſuas cogitationes conferret. Sed Episcoporum in Polonia ſeuitiam magnam eſſe, res oſtendit.

dit. Episcopus Culmensis uir nobilis, scholæ Culmē  
sis constitutionem adiuuerat. Nunc cogitur rursus  
dimittere pios lectores. Scripsit etiam rabiose con-  
tra nostras Ecclesias Episcopus, cui nomen est Ho-  
sius: sed uerius nomen esset αἰόσιος. Defendit Pigiū  
scribentem, sacerdotes minus peccare aliorum con-  
iugijs insidiantes, quàm coniugia cōtrahentes. Tan-  
ta est impudentia. Inde de cæteris iudica. Si ad me  
uenerit Polonicus secretarius, etiam propter tuam  
commendationem familiarius eum excipiam.

Heri mecum fuit quidam, qui rectā uenit ex Gal-  
lia: qui narrauit, Marchionem Albertum non pro-  
cul à Lutecia abesse. Bene ualete. Die 25 Martij,  
cuius diei historias semper summa intētione cogi-  
tare debemus: quia eo die & ὁ λόγος filius Dei ad-  
sumpsit humanam naturam, & pōst anno 34 fi-  
lius Dei eo die in cruce uictima factus est: quem u-  
tinam uera gratitudine celebremus.

Philippus Melanchthon.

Eidem,

S. D. Hodie cum clarissimo uiro, domino Pon-  
tano, de negotio ad finis uestri locutus sum, ac spe-  
ro nos breui ex aula responsum clementer scri-  
ptum habituros esse: quod per peculiarem tabel-  
larium uobis mittam. Scias in aula, in tanto occupa-  
tionum concursu, aliquas moras incidere, quas bo-  
ni

ni consulere nos oportet. Sed tamen diligentia mihi ad rem perficiendam nō deerit. Vtinam possem uobis, & alijs pijs doctoribus Ecclesiarum sæpe gratificari. Incendere quidem odia aut discordias non uolo. Oro autem toto pectore, ut Dominus noster Iesus Christus, filius Dei (qui aditurus mortē precatur, ut doctores Ecclesiæ unum sint, sicut ipse & pater unum est) flectat mentes omium docentium Euangelium, ad concordiam salutarem Ecclesiæ. Bene ualete. Idibus Martijs, Anno 1545.

Philippus Melanchthon.

Clarissimo & optimo uiro, Martino Luthero, doctori Theologiæ, instauratori Euang. doctrinæ, &c. patri suo reuerendo in Christo,

S. D. Hac hora reddidit literas Franciscus pedagogus tuorum filiorum, die tertio Martij. De initio conuentus scripsi ad uos ante paucos dies: postea aduenit orator Cæsareus, & mandatum attulit liberius omni spe et expectatione: ut pacificatores suo iudicio nō solum inducias, sed etiam pacem faciant. Id mandatum nostris publicè recitatum est: iusseruntq; Electores duo, Palatinus & Marchio, formam pacis componi, ut scirent quid in Nurembergensi pacificatione prætermisissimum sit. Nostri formulam iam exhibuerunt, in qua petunt securitatem concedi

concedi non modò foederatis, sed etiam cæteris ordinibus, qui amplectuntur Evangelij doctrinā: petunt & prohiberi iudicij N. tyrannidem. Nunc de-  
 liberant pacificatores, ac uoluntatem C. O. aiunt nequaquam congruere cum liberalitate mandati, ἰδὼν γὰρ ἀγορεύων, ἡ ἀνὰ φρεσὶ βουροδομοῦναι.  
 id est, dicens bona, mala animo molitur, ut inquit Homerus. Idq; unum putatur esse aulica sapientia. Hæc sunt acta usq; ad diem tertium Martij. Nostri, etsi sedulò petant pacem, & quandam habeant spem posse rem ad oculum deduci: tamen uidentur animis parati ad omnes casus. Tu orabis propter miseram iuuetutem, ut Christus pacem nobis concedat & efficiat. Si non misericordia puero-  
 rum mouerer, quibus disciplina & institutio opus est, quæ bella impediunt, non metuerem arma. Tanta est aduersarijs impietas, tantus furor, adde etiã tanta cōsternatio, ut nihil dubitem fatali aliquo tumultu perituros. Episcopus N. consuluit N. nō procul ab urbe Vangionū de bello mouendo: is ci optima promisit, ut ferunt. Talibus diabolicis ludibrijs se consolatur, & tamen in summo metu est: nec in metu tantum, sed etiam in odio: omnes summi atq; infimi eius artificijs conflata esse hæc pericula iudicant. Oremus igitur, ut Deus seruet nostros, & si bi Ecclesiam sanctificet inter nos, & liberet nos à satellitio Doeg. Nondum mihi conuentus suppedi-  
 tat



tat longius argumentū: quare has literas boni consules. Salutem tibi precantur, doctor Pontanus, & Franciscus Cancellarius principis. Deus ac pater Domini nostri Iesu Christi, seruet te & familiam tuam. Meos tibi commendo. Francofordiæ, die tertio Martij. Dicas salutem honestissimæ coniugi tuæ meis uerbis.

Philippus Melancthon.

Venerabili uiro, D. Georgio præposito Ecclesiæ Vrsinæ, amico suo,

S. D. Dedi ipse domino Pontano uestras literas de affine: ac orauī sedulò, ut causam Principi Saxonie cōmendet. Studiū & diligentiam suam nobis promisit, iussitq; doctorem Lutherum hodie principem ea de re coram alloqui. Dicebatur enim hodie huc uenturus. Scito mihi negotium tuum curæ futurum esse. nam & causa pia est: & ubi possum Euangelij ministris gratum facere, summa id uoluptate facio. Ex Italia mihi certò scribitur, Carolū Imperatorem prohibuisse Episcopis Hispanicis, ne in creatione tredecim Cardinalium, quæ nuper facta est, ipsi Cardinaliciā dignitatem sibi conferri paterentur. Laudo grauitatem Imperatoris, qui non uult Episcopis iniicere uincula, quibus libertas in cōsilijs publicis impeditur. Et hi regij tituli  
non

*non augent Ecclesiæ dignitatem, sed priuatum fastum. Bene Vale. Die x. Aprilis, Anno 45.*

*Philippus Melanchthon.*

*Eidem.*

*S. D. Hodie spero allaturum mihi nuncium, quem misi Torgam, literas de negotio ad finis tui: certè illustrissimus Princeps clementer respondit. sed in tantis occupationibus scribæ tardius mittunt literas. Mihi tamen rem curæ esse scio. De synodo Tridentina fortassis audistis. Misit Romanus Pontifex aliquot Episcopos Tridentum, qui usitatis ceremonijs Synodum inchoarunt. Adfuerunt ibi & adhuc adsunt legati Imperatoris & Regis Ferdinandi, qui publicis orationibus ostenderunt, suos dominos agnoscere hanc synodum tanquam legitimè congregatam: & promiserunt defensionem. Hæc sunt initia. Reliquam historiam postea audiemus. De plagiarijs, qui ex carcere efugerunt, nihil habeo quod scribam. Sed oro Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, autorem politici ordinis in societate humani generis, ut Germaniæ det pacem: ac politias, quæ sunt hospitia Ecclesiæ Dei, custodiat. Bene uale: Die, quo filius Dei triumphans, spectante Ecclesia ascendit in cælum: ac ostendit, qualem gloriā æter*

*F nam*

nam Ecclesia habitura esset. Hac nos spe consolemur. Bene uale. Anno 45.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro, Hieronymo Schuol-  
lio, docenti Euangelium & piè &  
fideliter in Ecclesia Berlinen-  
si, amico suo caris-  
simo.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime.  
Tueamur coniunctionem propter gloriam Dei,  
& salutem Ecclesiarum: præsertim cum passim fi-  
ant perniciosæ dilacerationes. Acerrima mihi cer-  
tamina fuerunt cum Theobaldo Thannero, qui o-  
lim professor fuit in Academia Francofördiana,  
qui in unum chaos confudit Ethnicos & Ecclesiã  
Dei: ait & in Ethnicis fuisse Christianos, qui le-  
gem nouerint. Et cogitat diuinitatem Christi esse  
ipsam legis noticiam. Nunc illo τετυφομένῳ rur-  
sus dimisso: redeo ad Stancari disputationem, quã  
mittam istuc. In Prussia quos tumultus pepererit  
amici nostri N. conciliatio, audiuisse te arbitror.  
Iam N. edidit prioris sui scripti declarationem seu  
ἐπ' αὐτῷ ὁμολογίῳ ualde tenuem, cuius exemplum mit-  
to.

to. Plura scriberem, si aurigæ tempus concederet.  
Bene uale. Die 29 Martij.

Philippus Melanchthon.

Clarissimo uiro, D. Christophoro  
Pannonio, fratri suo cha-  
rissimo.

S. D. Clarissime uir, & charissime frater:  
Laudo equidem studium nostrorum auditorum,  
qui tuum Ciceronem auidè emerunt. Atque uti-  
nam tam auidè legant & relegant. Sed tamen o-  
ptarim & nobis aliqua exempla relictà esse. Vni-  
cum erat reliquum, quòd mittimus. Ac Bibliopo-  
la Cunradus adhuc Lipsiæ habet circiter uigin-  
ti, quæ cum allata fuerint, tibi mittimus. In ue-  
stibulo est epistola ad Concilium, tuo nomine à  
me scripta, quam an uideris nescio. ἀλλ' ὃ σὺ μ-  
βλῇτ' ἐπὶ λευκόσβατος, ὃ δ' ἀνεμῶνα πρὸς πόδα,  
inquit Theocritus. Rectius esset nostram teiunam  
præfationem non esse præfixā tuæ narrationi, cum  
non referat tuæ orationis nitorem. & uoluerā à te  
omnia prius inspici. Sed Peucerus, ut opinor, ty-  
pographo chartas misit, à te non inspectas. Mitto  
tibi epistolam meo nomine scriptā ad Constiliicū,  
quā legi à te uolo: ac si iudicabis mittendā uel exhi-  
bendā esse, obsignabis. Mitto & pagellas, in quib.

est præfatio mea περὶ ἐντραπείας, & Hymenæi carmen. Bene uale, & rescribe. Die 20. Maij, Anno 1555.

Philippus Melanchthon.

Reuerendo uiro D. Pastori Ecclesiæ  
Dei in ueteri arce Bremi,  
fratri suo.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater:  
Sapienter feramus istos nouos Laconicos Har-  
stas, qui passim summam potentiam appetunt, le-  
ges & dogmata condunt: & iugulant sine cogni-  
tione, quos uolunt. usitata sunt hæc in Ecclesia. No-  
stri uicini βλαῖνοι conuocaturi sunt synodum,  
ut decreta sua exasperent: fortassis attrahent &  
eū qui iam est Bremæ, & alios, ut habeant maiore  
exercitum. Et si doleo Ecclesiæ causa: tamen scio  
hæc πολλὴ πειρασμὸς οὐκ ἔχοντα perfecturam esse, qd̄ co-  
natur. Et Filium Dei precor, ut nos gubernet &  
protegat. Quicquid ἀξιόλογον audiero, tibi signifi-  
cabo: quia iustum est, esse κοινὰ φίλων ἄχρη: ac mul-  
to iustius, κοινὰς τῶν σὺνσεβῶν γόροντων εὐχὰς.  
Bene uale, charissime frater. Salutem D. Kittelio  
& alijs amicis opto. Die 15 decembris.

Philippus Melanchthon.

Eidem.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater.  
Nondum

Nondum audimus regem Ferdinandum uenisse. Et fortassis retinetur Hungaricis negocijs. nam Turcicus præfectus Budensis oppugnat arcem Ziget, in aditu Stiriae. Alibi totam Transyluiam occupant ductores copiarum filij Iohannis. Nunc uero noui exercitus Turcici nulli adducuntur in Pannoniam. nam Turcicus tyrānus ingentem classem instruit, mittendum ad Syriae littus. Ideo scribunt, regem Ferdinandum facile inducias impetrare posse, si uolens relinquat Transyluiam filio Iohannis. Hoc etiam scribitur, magnam partem Byzātij terræ motu disiectam esse. Existimo & Turcico imperio fatalem inclinationem impendere: & nō procul esse illum lætissimum diem triumphi Filij Dei, in quo Ecclesiam uniuersam adducet ad æternum Patrem corā cernendum. Bene & feliciter uale, & rescribe. Mitto uobis pagellas, in quibus narratio est de Cometa, conspecto ante Caroli Burgundi mortem: cuius prorsus tale fuit curriculum, quale fuit proximi Cometæ.

Philippus Melanchthon.

Iacobus Sadoletus Philippo Melanchthoni S. D.

Carpentorati cum essem, quo in loco statutum habere me credens domicilium perpetuæ uitæ, fortunarumq; mearum omnium: repente tum inde

F 3 decede-

decedere, & Romam ire iussu Pontificis Maximi sum coactus. Sed cum ibi essem, accidebat mihi ferme quotidie, ut aliquid nanciscerer de tuis scriptis, quæ ego & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam styli & orationis, libentissime legere solebam. Id cum sæpius facerem, & magna delectatione in legendo adficerer, sensi paulatim mihi incendi animum usque ad quandam benevolentiam nominis tui, eo quidem, ut miro quodam studio tecum ineundæ amicitie tenerer. Etsi enim nonnulla inter nos erat opinionum dissensio, ea tamen animorum dissidium apud ingenuos eruditos minimè faciebat. iamq; erat deliberatum scribere ad te, primasq; amicitie aperire fores. Cum subito, ut dicere coeperam, ad urbem accersitus, & per causam appropinquantis Concilij, earumq; rerum tractandarum et consultandarum, quas mox in Concilio agi proponiq; oportet, è mea Ecclesia, ubi decennio manseram, euocatus Pontificis huius optimi & prudentissimi literis, tacite inscius atq; imprudens in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus sum. Hæc res effecit, ut meæ voluntati in dandis ad te literis obsequeretur tardius. Non enim dici potest, ut ex illa pacata atq; facili, in hanc tumultuosam & plenam strepitus traductus sum, quot sollicitudines, quam multe & gra-

ues cu-



ues curæ, eademq; permolestæ me exceperint: quod quidem necesse fuit mihi accidere. Hanc ego uitam & prius iudicio fugeram, & alteram illam fueram iudicio persecutus: quarum nunc utraq; cum mihi contra animi sententiam acciderit, nec letari possum habere me quod nolebam: & necessario doleo, quod diligebam. Sed quoniam Deo parendum est, de nobis sic statuendi: dabimus nos operam, quantum per eius auxilium optinemq; licebit, ut honorem hunc rectè integreq; administremus.

Quod autem nostræ institutæ scriptionis est passus, mi Philippe, in eo amor diutius hoc à me officium differri, quin ut primum è turba & molestijs animus emergere cœpit, literas ad te darem: si tamen, quod ego in te amando meæ existimationi de tuis eximijs uirtutibus tribuo, tum humanitati tuæ dandum esse duxeris, quod quidem rogo te ut facias, neq; me societatem familiaritatis tuæ desideras. non enim is sum, qui ut quisque opinione à nobis dissentit, statim eum odio habeat. Arrogantis est hoc, & elati animi, non mansueti & comis: quas me potius ad partes natura meauocat. Sed faueo ingenijs, uirtutes hominum colo, studia literarum diligo: in quibus ut doctrinæ & ingenij, sic amoris non mediocres partes possides. Nec dubito, quin tu eadem

mente & uoluntate sis præditus. Isti enim animo, qui tam liberaliter artibus ingenuis perpolitus sit, nihil agreste, nihil asperū inesse potest. Quo etiā maiore spem mihi uirtus tua facit, meas hoc apud te ponderis literas habituras, ut qui locorum spacijs disiuncti simus, mente & beneuolentia coniungamur: quod ego maximè aueo, expetoq;: tibiq; prorsus persuadeas cupio, in numero eorū qui te diligunt, & florentem esse cupiunt (quorum magna est profectò propter tui nominis celebritatem multitudo) me principem locum appetere: nihilq; uehementius cupere, quàm mihi dari locum probandi tibi reipsa, et declarandi amoris erga te mei, in quo si ansam mihi occasionemq; meæ explendæ huiusce cupiditatis præbueris, magno me abs te beneficio affectum arbitrabor. Omnia, quæ tibi grata sensero, tanto studio & diligentia exequar, ut nec fide quisquam maiore, nec beneuolentia possit: sicuti & mei natura officij in primis colere, & susceptus iam erga te amor, & perpetuum meum erga doctos studium postulat. Vale doctissime Melanchthon, & nos tui amatissimos ama. Romæ, 15 Calen.  
Iulij. 1557.

D. Phi-

D. Philippo Melanchthoni, præceptor  
suo perpetua obseruantia  
colendo, Ambrosius

Cl. S. D.

*Quanta sit curæ Episcopis salus et concordia  
Ecclesiæ, Spirēsis recusatiōe sua satis declarat: quā  
spero istis incōmodo, nobis emolumento fore. Inte  
rea unum hoc quotidianis & ardentibus precibus  
à Deo patre Domini nostri Iesu Christi peto, ut ali  
qua saltem pax inter nostros doctores constitua  
tur, præsertim ne certamen de Cœna Domini re  
nouetur: sed nobis usitatam & aliquot annos rece  
ptam doctrinæ formam retinere concedatur. Ea  
si mutabitur, metuo secuturas in Ecclesijs nostris  
confusiones & turbas horrendas et infinitas, quas  
sedare nec sapientia nec potentia humana ulla po  
terit. Deus pater Ecclesias harum ditionum, &  
uicinarum, benignè seruet. Videmus enim diabo  
lum horribiter sæuire: cuius rei triste exemplum  
apud nos edidit, impellens miseros aliquot homi  
nes ad tetra flagitia. Fuit enim apud nos quidā a  
henarius nomine Erhardus, qui cum priuigna sua  
Anna quinq; annos consuevit. Quæ ex uago con  
cubitu nata, prorsus corpore fuit monstroso, non  
caeca modò, sed oculos omnino nullos habens: qui,  
ea annum unum ætatis nondum egressa, exulcera  
tionib. purulentis corrupti perierūt, ita ut cauita*

tes nactæ palpebris testæ hiarent in pectore, è dorso deformiter extuberans gibbus prominebat. ea ex uitrigo liberos suscepit quatuor, qui oēs salui & incolumes in lucē editi sunt. horū tres mater in scio marito enecauit, et aut in flumina abiecit, aut indumētis sepeliuit: quartū (ut audio) scitū infantē masculū, ipsa filia cum in partu sola esset, ne proderetur uagitu, præhenso gutture, fractaq; cervice ipsius et brachio, trucidauit. Hi oēs diuinitus rapti ad supplicium, cum mater Vualburga adduceret obstetricē, consultura eam de filie morbo, quē non ignorauit. Quæ, re cōperta, eius rei iudici et mihi iudicium fecit. Tum ille ex officio uitricum & matrem comprehendi, & in carcerē coniici, puerperam catenis uinctam adseruari iubet: donec tādē questione facta, ultimo supplicio sunt adfecti, ex sententia Lipsiæ dicta. Pater securi percussus, mater cum filio contusæ rota, eiq; impositæ, xiii die seu idibus Augusti.

Alastores huiusmodi, etiam umbra sua alios ledere pergunt: usq; adeo certam poenam accersere nō est dubium. Spero tamē iram Dei leniorē fore: siquidem miseris hominib. ueræ conuersionis *traces* cōspicua fuerunt. Excepta matre anu, quæ stupebat præ reliquis, aut metu poenæ, aut cōscientia triū parricidiorū onerata. Respondit interrogata, breuiter quidē, sed ut nulla desperationis aut  
impa-

impatientiæ indicia subessent. Priuigna uerò ipsa capita doctrinæ Christianæ, quæ partes Catechismi uocamus, exactè recitare poterat: et dictum Christi Ioannis tertio sæpius repetebat, eoq; se erigebat. Vitricus semper præsentierat animo, spectatores ad studium audiendi & discendi uerbi diuini, uigilantiam in regenda uita adhortabatur: culpam deprecatus, intercessionem fraternam implorabat, cumq; eum oppido egressum admonerem, ne conspectu loci, in quo supplicio adficiendus esset, animo frangeretur, respondit: Ob Gott will nein, lieber herr, ich füle in meinem hertzen daß ich schon selig bin. Quæ uox digna fuit uisa, quæ prædicetur exemplum dicti: Iustificati fide pacem habemus. Ne uerò suspicio esset, casu uocem hanc effudisse eum, non admonitus rationem subiecit: & gratissimam mihi fidei confessionem edidit, quæ se erexit contra tentationem de indignitate & particularitate ex institutione Baptismi & Cœnæ Dominicæ: cum in illa mandet Christus, doceri & baptizari omnes gentes: & in hac iubeat omnes bibere, non (inquit) excludi nos miseros & sceleratos homines metuemus, receptis tantum ijs qui in mundo uirtutibus, potentia, genere & opibus antecellunt, sed promissionem de peccatorum remissione, quam doctrina Euangelij proponit, & communionem omni-  
be ne-

beneficiorum filij Dei Domini nostri Iesu Christi, cuius corpus & sanguinem uerum comedimus & bibimus, ad nos quoq; pertinere statuamus. Hanc consolationem, ut secum priuigna & uxor apprehenderent, obnixè eas rogabat. Ita in certam spem ueni, ueram hanc conuersionem angelis Dei plus uoluptatis, quàm nobis tristitiæ attulisse: qui corū corpora propter incoestum & parricidia foedissimè laniari, non sine gemitibus & acribus doloribus coràm intueri sumus coacti. Deum Patrem toto pectore oro, ut diaboli furores, qui tetrrioribus & tristioribus lapsibus nos implicare conatur, reprimat: nosq; Spiritu suo sancto regat, ut in uero timore & fide ambulemus: & ex misera uita euocati, læti migremus in æternam Filij Dei, omniūq; sanctorum angelorum & electorum consuetudinem: Amen. Bene & feliciter uale, Mariæbergi, Anno M. D. LVII, Augusti die xvi.

Eximia pietate & doctrina prædito, D.  
Gabrieli Zwillling, Ecclesiæ Torgensis  
Parrocho, domino ac patrono suo  
in primis obseruando, Ioan.

Marcellus S. D.

Etsi, uenerabilis domine Magister, me omnino  
impudenter facturū satis certè scio, si te meis pue-  
rilibus literis interpellare ausim: tamen fretus tua  
humani-

humanitate, quam in omnes bonarum literarum  
 studiosos habes, ad te uenio. Nunc quidem expo-  
 nendam duxi mearum rerum angustiam: teq; ro-  
 gandum, ut mihi hoc tempore autoritate & bene-  
 lentia tua opem feras. Non te clam est, me nunc  
 frè per biennij spacium Vitebergæ sumptibus pa-  
 rentum meorum sustentatum fuisse. Cum autem  
 res familiaris ipsorū magis magisq; exhauriatur,  
 ut mihi nulla alia ratione amplius ad literarū stu-  
 dia sumptus suppeditari possint: planè nunc nihil  
 reliquum esse uideo, quàm quòd me nunc mea stu-  
 dia deserere necesse sit. hoc, ne omnino accideret,  
 metuerem, nisi in tua beneuolentia & prudentissi-  
 mi Senatus uestri liberalitate spem retinerem. Au-  
 dio igitur Senatum habere unum adhuc stipendiū,  
 quo pauperes & studiosos adolescentes iuuare so-  
 let. Quare magnopere à te peto, ut mihi nunc sub-  
 uenias, meq; Senatui Torgēsī commendes, ut mihi  
 id stipendium ad studiorum meorum necessitatem  
 conferre non dedignetur, donec iudiciū in stu-  
 dijs rectius confirmauero. Neq; uerò decet me nūc  
 tibi ostendere, quantum pietatis sit in tali tuo offi-  
 cio futurum, cum propter propagationem studio-  
 rum & Ecclesiæ me adiuueris. Spero enim, Deo  
 dante, eò me progressurum esse in studijs, ut mei  
 uicissim possit esse aliquis usus apud honestos ho-  
 mines. Sed hoc dico, quòd ad me attinet: idq; san-  
 ctè pro-



Et promitto tibi, me summam diligentiam adhibi-  
turum esse, ut intelligas te in hominem non indi-  
gnum tuo favore, nec ingratum tibi pro officio, be-  
neficium comulisse. Ac tibi et amplissimo Sena-  
tus uicissim mea studia, et me totum defero. Teq;  
rogo, ut in hac re me tibi commendatissimum  
esse sinas. Bene uale, 18 Kalendis Iulij, An-  
no 1544.

Ornatiss. uiro D. Ioanni Spangebergio,  
Northusianæ Ecclesiæ pastori, ami-  
co suo in Christo uenerando,  
Fridericus M.

Gratiam et pacem à Deo Patre nostro et do-  
mino Iesu Christo. Reddidit mihi ciuis noster fide-  
liter literas tuas, mi ornatissime D. Spangebergi,  
quibus ualde sum delectatus. Hæ enim sunt senum  
deliciæ, garrirc et scribere de rebus istis, quib. ma-  
ximè afficiuntur. Et Paulus iuuenis multas, senex  
uerò frequenter scripsit epistolas de Christo, qui  
est Deus benedictus in secula. Et me nunc senem et  
infantem delectat uel cum Zachariæ nutibus et  
stylo loqui, de cornu illo salutis, erecto in domo  
David pueri sui: per quod datum nobis, ut sine ti-  
more de manu inimicorum liberati, seruiamus illi  
in sanctitate et iusticia coram ipso, omnibus die-  
bus nostris. Ego quidem, mi D. Spangebergi, uiuo  
ad huc,

adhuc, obambulo, spiro & spero, baptizo interdum, audio confessiones, impertior absolutiones. Et ne nullus sit mei in Ecclesia usus, coepi superiori mense praelegere in scholis, communistris meis Ecclesiae & scholae, & satis frequenti auditorio eruditorum & pastorum uicinarum ecclesiarum, Sabbathinis diebus Euangelia Dominicalia, quae illis quanta possum uoce & nitibus & sibilis explico. Et sunt qui putant, se inde fructum capere, et magis se inde edificari, quam ex publicis concionibus. Deinde illi ea concionantur, ubi meliora non habent. Miraberis haud dubie hanc meam temeritatem: sed placeret tibi coram uidere, etiam mutos loqui, & lapides clamare magnalia Dei in Christo: & etiam hodie non cessare infantes in templo acclamare, Osianna filio David. Nosti enim quendam eodem spiritu cantare: Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Ita me nulla unquam raucedo, nulla phthisis, nullus morbus, imo in ipsa etiam nouissima inimica mors impediet, quin Christum praedicemus: quia illa impedimenta destruentur: Ego autem in Christo consurrexi, conscendi caelos, contriumpho, conreguo. Et id uel rudibus testabor, quod quia credidi, propter hoc & loquor. Admodum placet, quod in sinum meum effudisti de uocationibus, quib. te alio uocat Spiritus sanctus. Sed quod

omnino

omnino recusarè obtemperare uocanti & iubenti, ut accepto talento etiam apud alios foenus queras Domino, probare non possum. Nosti enim, in qua pericula se Ionas propheta coniecit, dum Ninuitas non dignatur alloqui. Et Abraham in Aegyptum concedit, ne illi quoque ignari sint diuinarum promissionum, et decretæ in coelis benedictionis super omnes qui credituri essent in semen mulieris. Christus etiam, qui uenit quærere & restituere quod perierat, non uno, sed omni in loco omnia lustrat, ne alicubi hæreat dispersa aliqua ovis, & pereat. Proinde ait: Nam alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: in hoc enim missus sum. Et Paulus, cui non se facit debitorem? Græco, Iudæo, sapienti, insipienti? An' non uides Petrum accersiri ad Cornelium, & uenire Philippum ad eunuchum, &c. rursus ad alios. Apostoli audientes, quòd Samaria acceperat uerbum, miserunt eò Petrum & Ioannem: nò expectassent, donec illi quenquam accersierint. Vides hodie exempla Pomerani, Ionæ, Menij, et plurimorum aliorum, qui odorem noticiæ Christi manifestant in omni loco. Neque unquam deest Dominus, qui det incrementum frugibus iusticiæ nostræ. Ego, si liceret mihi dare consilium, consulerem, ne omnino diuinæ uocationi resisteres: maximè cum ad ea loca uocaris, ubi antea non est plantatus, fundatus & eru-

& eruditus Christus. Neq; hoc debent impedire  
 tui, quin & ipsi tenentur etiam pro fratribus suis  
 animas, & omnia impendere, ut omnes saluos fa-  
 ciant, omnes lucrentur, & ne unus pereat de pusil-  
 lis illis: ita tamen, ut liceat illis, ubi alibi plantaue-  
 ris, aut rigaueris, & iam radices misit Christus, re-  
 uocare te: ut substituas tibi in alijs locis Timotheos  
 \*quàm quod non possum amplius currere & ir-  
 rumpere in hanc iam conflagrata[m] æternis igni-  
 bus Sodomam, & unum aut alterum ex filiabus  
 suis eripere. Christus in cruce, in ultimo mortis  
 & uitæ discrimine positus, tamen latronē ex lanie-  
 na & carnificina sathanæ eripit. sed de hac re sa-  
 tis. Fortè aliquando, si uolet Dominus, plura co-  
 ram. Oro te tantum, mi Spangebergi, ut quando  
 iam diu satis concessisti infirmitati quorundam, et  
 factus cum infirmis infirmus, & cum illis pro mor-  
 tuis diligenter fudisti preces, ut sinas aliquando,  
 mortuos in Domino: & si nolunt conualescere ex  
 hac infirmitate sua, ut sinas mortuos sepelire mor-  
 tuos suos, aut sese cum illis abdere in se-  
 pulchra. Bene Vale,

Doctrina & pietate præstantiss. viro, D.  
Ioanni Spangenbergio, Ecclesiæ Nor-  
thusiensis episcopo, fratri in Chri-  
sto charissimo & notissimo,  
Fridericus M.

Gratiam & pacem à Deo patre, & Domino  
nostro Iesu Christo. Accepi binas literas tuas, a-  
mantissime & doctissime Spangenbergi, quarum  
postremus inscriptum erat, Friderico, &c. amico cha-  
rissimo, licet ignoto. Quid uerò hoc noui, mi Spangenbergi? An ego ignotus sum, à quo tot literas ac-  
cepisti? Cui tot Psalmos, tot hymnos, tot epigram-  
mata doctissima, doctissimus inscripsisti: et in cuius  
ego sinum omnes meos dolores, genitus, suspiria,  
rursus gaudia, risus & exultationes cordis soleo ef-  
fundere: & omnia ea quæ tot annis ad me scribis,  
sanctè seruo? & tu te dicis ignoro scribere: de quo  
ego iactare soleo, te mihi & me tibi notissimum es-  
se? Verum de hoc uultu paruo, & cadaueroso fa-  
cie, ac caluo capite te scribere dices. quem non ui-  
disti sed nec ego illum uidi nisi in speculo, et ubi o-  
lum placidum esset mare, & ego me in mari cõtem-  
plabar, umbra fallacissima et statim euanescente.  
Sed condono tibi & hoc, & omnia peccata, pro-  
pter meritata tua cum de me, tum de Ecclesia sancta.  
Data 1546, die Stephani.

Habeo tibi gratiam pro uersibus, quibus inclu-  
sum

*sum est amicum donum de incendio urbis, & bello Mezentij.*

Eruditione & pietate præstanti uiro, M.  
Ioanni Spangenbergio, Northusianæ ec-  
clesiæ fidelissimo pastori, amico  
suo ueteri & probato, Fri-  
dericus M.

*Gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Do-  
mino Iesu Christo. Reddita sunt mihi literæ tuæ,  
simul & Margarita illa uerè Euangelica. Per le-  
gam, cum uacuum fuerit, cum doctore Crucige-  
ro, cui datum est hoc negotium probandorum  
scriptorum in hac urbe: & quicquid statuetur, re-  
scisces. Nolumus spernere Prophetias, neq; ex-  
tinguere spiritum. Imò quicquid in restitutionem  
domus Domini instrui & meditari potest, facile  
inferemus sacro ædificio. Nouarum rerum hic  
nihil habemus, nisi quòd hodie D. doctor Ioannes  
præclarissima oratione commendauit nouum re-  
ctorem M. Casparum Bernerum, uirum  
ad bona studia exornanda mi-  
rum. Lipsiæ.*

Optimo & uerè pio cōfessori D. Ioanni  
Spangebergio, Northusianæ eccle-  
siæ Christi pastori, fratri suo  
in Domino charissimo,  
Fridericus M.

*Gratiam & pacem à Deo patre nostro, & Do-  
mino Iesu Christo: & ualeat mundus iste, qui in  
maligno toto positus est, cum omni sua gratia &  
pace, quam nec habet, neq; dare potest. Non est  
ulla causa, mi ornatissime Domine Spangebergi,  
cur irascaris contra morbos & infirmitates meas,  
quæ me quotidie conficiunt. nam non sunt ad mor-  
tem, sed ut filius Dei glorificetur per eas: nisi inui-  
dere ei uolumus suam gloriam: aut non ferimus, ut  
mortale hoc induat immortalitatem. nam siue mo-  
rimur, siue uiuimus, Domini sumus. et uester Deus  
enim, qui noster etiam Dominus & Deus est, quid  
non operabitur nobis in bonum, utcunq; uideatur  
nobis aduersum? Quid enim habemus, quod nō est  
eius, qui suo uerbo creauit & restituit omnia? Et  
uocat ea quæ non sunt, ut sint: qui non est mortuo-  
rum, sed uiuorum Deus: imò uita ipsa, & lux ho-  
minum.*

*Certauit uobiscum, mi amantissime & doctissi-  
me Spangebergi, per annos uiginti quinq;, bonum  
certamen. Iam tandem cursum consummaui, & ha-  
ctenus salua manet & inuicta fides & ueritas Iesu  
Christi:*



Christi: & sum meo, quantum potui, functus ministerio secundum mensuram, quam mensus est mihi Deus. Sed uerè uideo, quòd seruus inutilis sum & fui, etiamsi feci quod facere potui. Et si quid feci, non ego feci, sed gratia Christi, qui operatur omnia in omnibus, quæ in me uacua non fuit: & nunc ignoscit etiam delicta iuuentutis meæ, ignorantias meas, negligentias & reliqua peccata, quæ sunt supra numerum arenæ maris. Sed in me uult uobis ostendere diuitias bonitatis suæ, & exemplum quod facturus sit in omnes eos qui credituri sunt in illum per Christum. Non abijcio ullam gratiam Dei. Tantum Deum, tantum Regem, decent tanta gratia, tanta bonitas, tanta clementia. Et si ego indignus sum qui accipiam: tamen ille non est indignus, ut uocetur clementissimus. sicut & uersiculi tui in misso nuper ad me Psalmo habent:

Sed bonitas Domini æternos perdurat in annos,

Et sine fine dabit iusticiam atq; fidem, &c.

Obambulo adhuc, ago quantum possum officium pastoris, admoneo, dirigo & urgeo etiam reliquos confratres, quos certè adiunxit mihi Dominus fidei delictissimos: & quantum possumus, una manu bella gerimus, & prostigamus impediētes opus Domini: altera ædificamus, & qualicumq; modo domum Domini restituimus. Cum Paulo cupio esse cum

G 3 Christo.

Christo, & certè nihil melius: tædet enim me huius uitæ, et satis uidi mundi improbitatem, qui nullam suscipit disciplinam: & cum Christo scio uenisse me propterea in hanc horam, ut quandoquæq; destruatur corpus peccati, ex hac hora saluer: & habeat sibi serpens in carne mea incorruptibili suum uenenum, meum peccatum, corruptionem, putredinem, mortem, & totum illud uirus: & habeant sibi similes sua labra lactucas, & comedat terram omnibus diebus. Maledictus ille, qui ambulat super pectus suum. So will ich dann sagen, *Wan ihr mich fragt, wo ist mein unflat hinkomme, sünd, todt, hell: id est, si me in nouissimo iudicio interrogaueris, Quò corruptio et illuies tuæ nature peruenit, nimirum peccatum, mors & infernus? Respondebo: Diabolus hæc deuorauit: manebit ille nouus homo filio Dei similis, qui secundum Deum creatus est.*

Te uerò oro, obtestor & adiuro, mi doctissime & fortissime Spangenbergi, quando uides nos cum emerito Dauide non posse exire ad bella Domini, sed secedere ad præsidium: ut interim reliquũ belli contra incircumcisos Philistæos, seditiosos Absolonitas, & reliquias portarum inferni, strenuè perficiatis, & pugnetis fortiter, strenuè & uiriliter. Certa est uictoria: & confossus est dux belli istorum tribus lanceis, & uictus est princeps mundi.

mundi. Et si qui cadunt in hoc prælio, nusquam est  
 mors speciosior, dulcior, præclarior, gloriosior,  
 quam cum tanto rege Christo cadere & resurge-  
 re. Cecidimus uno die Higenoæ, Urbanus Re-  
 gius & ego sed uicimus, quando certi fuimus ui-  
 ctorem & triumphatorem esse Christum. Cecide-  
 runt Eobanus Hessus, Gryneus, Capito, Polyan-  
 der: sed uictores iam, conculcato & confosso ho-  
 ste per Christum, existunt. Imò non ceciderunt,  
 sed in uictoriam & uitam irruerunt, & illud  
 Psalmi cantant: ipsi obligati sunt, & ceciderunt:  
 nos autem surreximus, & erecti sumus, &c.

Psalmos tuos poenitenciales, & alios quos ad  
 me misisti, quotidie penè lego: & ualde delectat  
 me, Spiritum sanctum loqui in Ecclesia uarijs lin-  
 guis & sonis, in Psalmis, organis, & omnis gene-  
 ris modis & uocibus. Datæ 42.

Eximia pietate & eruditione prædito  
 theologo, Ioanni Spangenbergio, Super  
 attendenti comitatus Mansfeldensis pri-  
 mario, domino suo uenerando, Io-  
 annes Forstherus superatten-  
 dens Mersburgensis  
 S. D.

Edidit Iacobus Ratz, concionator in Neunstat  
 G 4 oppido,

oppido, libellam Germanicum, cuius titulus est, Von der hell, in quo aliquot locos obscuriores explicat, maximè uerò de descēsu ad inferos. de quo, cum Erphordiam transiens, ibi in bibliopolio percontarer, fortè assistebat mihi, qui se bibliopolam dicebat, & ciuem Islebientsem, & habere domi exemplaria quædam adfirmabat. Rogabam, ut per occasionem mihi duo aut tria exemplaria Mersburgum mitteret, pro pecunia. Quod cum interea temporis, dum hic fuit, non fecerit: Lipsiæ percontari curavi per amicos de libello: sed non est inuentus. Quare cum obiter apud illustrem principem Georgium ab Anhalt, &c. mentionem eius facerem, rogauit me uehementer, ut tuæ excellentiæ scriberem: se enim uelle curare nunciū, qui ad te literas perferret. Ego uerò, etsi planè tui nullam noticiam habeam, licet uiderim & audiuerim te olim cum adhuc Northusij ageres: tamen obtemperare Principis petitioni uolui, persuasissimum habens de tua humanitate, quòd id officij uel principis optimi nomīne haud facillè detrectaturus sis, atque duo exemplaria aut tria hoc nuncio mittere: in hoc & Principi illustrissimo, & mihi haud parum gratificaturus. Valeat tua excellentia feliciter, & eam Christus suæ Ecclesiæ multos annos conseruet saluam & incolumem. Datum Mersburgi, 9 Aprilis, 1548.

Eccle-

Ecclesiæ Dei in comitatu Mansfeld-  
denfi, Philippus Melan-  
chthon S. D.

Ecclesia inde usq; ab initio memoriam tradidit  
et eorum qui præcipui doctores fuerunt, et gene-  
ris doctrinæ: ut sciret posteritas, quam doctrinam,  
per quos traditam, quibus confirmatam testimo-  
nijs uel iudicijs accepisset: et normam certam ha-  
beret, ad quam conferret sententias sequentium  
doctorum. Ita Irenæus Polycarpum citat, qui fuit  
auditor Ioannis: et Basilius nutricis testimonium  
celebrat, quæ audierat Gregorium Neocæsariens-  
sem, de trib. personis diuinitatis. Et cum in Eccle-  
sia Antiochena, quæ à Petro apostolo doctrinam  
acceperat, et fuerat præcipua schola, Samosate-  
nus audacissimè corrumpere, dictum in Ioan-  
ne, *ὁ ἀρχὴ καὶ τὸ λόγος*: opposuerunt Malchion  
et Dionysius (alter Antiochenæ ecclesiæ, alter A-  
lexandrinæ) testimonia tradita per Apostolos, et  
eorum auditores. Hanc diligentiam conseruandæ  
memoriæ ueterum qui rectè docuerunt, et eorum  
monumenta custodiendi utilem esse posteritati, ne  
quaquam dubium est: quæ etsi longo tempore in-  
termissa est, cum nec una uox doctrinæ certa esset,  
et pastores muti essent, ac nequissimis summum  
gradum, uidelicet munus docendi cessassent, qui  
fabellas ad quæstum accommodatas circumfere-  
bat:.

ban: tamen nunc magna cura reuocanda erat. In publicis monumentis Ecclesiæ & Republicæ annotare debebant, per quos uiros emendata sit quolibet loco uox doctrinæ, & quorum iudicio singuli approbati sunt. Habuit autē Ecclesia uestra grauem & honestissimum senem Gutelium, qui initio puram doctrinam nobis tradidit. Postea de Lutheri iudicio senex uenerandus Ioannes Spangenbergus Ecclesijs uestris præfuit, cuius extant libri: ac fuisse eum probatum reuerendo donano Luthero, D. Langio Erfordienti, D. Pomerano, & cæteris in tota Saxonia docentibus, meministis. Ut igitur posteri sciant, uos habuisse hunc testem ueræ sententiæ, & custodiant doctrinam ab ipso acceptā, ut iubet Paulus depositum fideliter custodire: hortor uos, ut eius nomen & administrationis tempus in monumentis uestris annotetis, & scripta conseruari curetis. Valde metuendum est in his ruinis imperiorum, maiores Ecclesiæ dilacerationes secuturas esse, in quibus poterit uideri, quorum fuerit eadem sententia: & probandi doctores tanquam norma sequendi erunt. Iussi igitur & hoc carmen edi, ut memoria Spangenbergij diuturnior sit, & ut doctrinam eius magis amplectantur iuniores. Est autem laudanda pietas Mencilij, quòd hanc historiam recitauit, ut suam erga fidelem pastorem obseruantiam declararet:

raret: & ut cæteris ostenderet concordiam in Ecclesia & schola uestra, & mutuam omnium docentium beneuolentiam & fuisse & esse. Id exemplum & cæteris utile est. Etsi autem præcipue Dei beneficium est, quod habetis multos uiros honestos & concordēs in Ecclesijs & scholis uestris: tamen & Spangenbergij modestia multum ad concordiam proderat. Hic cum eruditione & multis uirtutibus excelleret: tamen ab ambitione alienissimus erat. Et candor in eo erat eximius. Mencilium uero scitis & antea benemeritum esse uestræ Ecclesiæ. Huius officium in hac historia etiam candide probare uos decet. Bene & feliciter ualete: i diebus Decembris, 1550.

Reuerendo uiro, pietate eruditione & uirtute præstanti, D. Ioanni Spangenbergio, pastori & superintendenti  
Islebiensi, amico & fratri obseruando & charissimo,  
G. M.

S. D. Quæ sit sententia nostra & illustrissimi Principis Domini D. Georgij ab Anhalt, &c. cum ea de re contulimus in causa mulieris, quæ literas reddidit, intelliges ex literis publicis Cōsistorij. Mihi hoc placet, ut maritus ipsius (cum sub uestra u-



stra iurisdictione sit, & ut audio, præsens sit) conijceretur in carcerem: & statueremur tandem aliqua exempla, in tam nepharios & flagitiosos homines. Quia in re ualde negligentes uidemus ferè magistratus omnes esse. Itaque polluta terra incestis & fœdis libidimbus, necesse est oriri horrenda bella, famem, pestem, & alia mala, quibus interim purgetur. Sed nos in nostro ministerio simus uigilantes & seduli. Bene uale, mi frater charissime. Merisburgi, Pridie Cal. Februarij, 1548.

Viro opt. ac doctiss. D. M. Ioanni Span-  
gebergio, uerbi Dei apud Northu-  
sanos ministro, amico sum-  
mo suo, G. M.

S. Breuitatem literarum eadem ratio, qua tu u-  
teris, uir humanissime, excusabit. Non minus enim  
parum commoda ualetudine ab iisdem Paschali-  
bus ferijs, quàm tu, ego quoq; nunc utor. febris qui-  
dem nondum inuasit: sed languet tamen totū cor-  
pus, ac ad cibum nauseat stomachus: sumq; alia  
plurima imminentis morbi indicia. Neque tamen  
scholasticus labor quicquā mihi imminuitur: imò  
ex discipulorū frequentia quotidie augetur. Con-  
fluum enim nunc magno numero studiosi pueri.  
Poterant quidam hypodidascale multum leuare  
laborem:

laborem: sed pauci admodum sunt, qui seriò urgeant suum officium, nisi ego præsens monitor semper adsistam. Itaq; totus ferè labor mihi incūbit, quanquam decem habeam *οὐωέπυς*. Sæpius mihi etiam molestiam auget hominum ingratitude, qui pro immensis laboribus malam gratiam referunt: sed nescio quomodo in hanc querelam delapsus sim, quam tu tamen pro tuo candore et humanitate boni consules. Bene uale: ac ualeitudinem utriusq; curet ac tueatur, in cuius manu nostra omnia sunt sita. 18 Aprilis, 1534.

Optimo atq; clarissimo uiro, D. Ioanni Spangenbergio, Ecclesiastæ Northusano, domino & amico suo in primis obseruando, Erasmus  
Reinholdus

S. D. Magnam mihi attulerunt uoluptatem literæ tuæ, quas filius tuus Ionas proximè reddidit, cū istinc rediret ad nos. Nam quòd sæpe in animo meo optauì, ut tecum propter singularem pietatē & studium ueræ doctrinæ in Ecclesias et propter multiplicem eruditionem in omni genere artium contraherem amicitiam, id mihi abs te ipso abundè iam oblatum est. Nam mercatores magnificiūt opes, & colunt, atq; amicitiam cum illis adiungūt  
& con-

et conseruare student, unde commodum sperant, et præsidium suarum diuitiarum. Nobis uero, quos opulenti despiciunt, qui nec dignitatem nec ueram utilitatem optimarum artium intelligunt, quid iucundius esse potest mutua inter nos amicitia, et uera coniunctione animorum?

Quod autem filium tuum Ionam, commensalem meum, mihi commendas, ego *τοπυλὸν* illam paternam magis nunc quam olim intelligo: quam Poeta in Aenea egregie pingit, cum inquit:

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Habeo enim aliquot iam liberos, Dei beneficio, quos ultimam possem ad pietatem et gloriam nominis ipsius educare. Sed de filio Ionæ possum hoc uerè affirmare, eum propter insignem uerecundiam atq; modestiam, studiumq; in bonis literis uehementer amari. Fuit et alius filius mihi iam diu cognitus, quod aliquando ex me publicè audiuit Euclidem. Gratulor tibi clarissime uir ex animo, tales filios, qui quidem et pietatis studiorum tale edunt specimen, ut maximam spem de se præbeant Reipublicæ. Si quid possum utriq; ipsorum prodesse ullo officio, nihil patiar in me desiderari: id quod debent tibi omnes boni. Habeo tibi gratias et pro uersibus, et pro casco, quem attulit filius. Meum erit, data occasione declarare gratum annuum. Calendarium, quod edidi ante annum, re-

texo

texto nunc, ut separatim excudatur Lipsiæ: et ad-  
 cio ea quæ tunc ob importunam festinationem bi-  
 bliopolarum cogebam omittere. Vellem me abs te  
 liberè admoneri, quid uel addendum uel emendan-  
 dum, aut quid de tota tractatione uideretur. Mea  
 coniunx tibi, et ornatissimæ tuæ uxori, optat ui-  
 cissim salutem. Bene ac feliciter uale. Vitebergæ,  
 in Vigilia Thomæ, 1544.

Valde optarim, me bonorum uiro-  
 rum ope pos-  
 se adipisci scriptum exemplar Censorum, de Na-  
 tali die.

Opt. ac doctiss. uiro, D. Ioanni Spangen-  
 bergio, Northusien-  
 sium parrocho,  
 amico summo suo, G. M.

S. D. Nisi iocari te uiderem, nō leuiter me offen-  
 disse proxima tua epistola. Quomodo enim nō do-  
 lerè, tibi uiro doctiss. et absq; dubio sincerè candi-  
 do, tam sinistrā de me incidisse suspitionē? Ego ne  
 Spangenbergij amicitia fastidirem, de qua etiā sepe  
 apud amicos me iactito? quē quoq; inter meos cha-  
 rissimos principem habeo? Quare uide, ne satis sit,  
 quod ex literarū intermissione colligis. Neq; enim  
 eum te esse arbitror, qui ex literarū officio amicitia  
 metiare. Excellens atq; perspecta tua erudi-  
 tio, pietas et fides, quib. meus erga te animus niti-  
 tur, firmiora sunt fundamēta, quā quæ per litera-  
 rum uel missionē uel intercessionē aut confirmari  
 aut

aut labefieri conuelliq; possint. At cogor tamen fateri, esse partem literarum officium. Quare si hac in re peccatum est, dabis hoc aut nostris occupationibus, aut (ut fatear) negligentiae. Quæ tamen talis est, ut quanquam ad scribendum paulo sim tardior, nunquam tamen talium amicorum oblivionem obrepere sinat: quam tui gratiâ apud me, & memoriam honestissimam tuam, & optima exercitia atq; scripta, dum ea subinde contueor et relego, quotidie ferè excitant & renouant. Me enim, cui ista scribendi carminis facultas à Musis denegata est, tua atq; aliorum similium scripta eo magis delectant. Quare rogo, ut sic pergas tuas lucubrationes nobis communicare. Eclogæ Virgilianæ imitatio, & febris, atq; alia, non tantum grata sunt: sed & exemplo scholasticis nostris eorum, qui hoc tempore in scribendo carmine exercentur. Petrum Suederum Pomeranum, hominem piûm & doctum, tui habes studiosissimum omnino: qui ad maiora exercitia, cû in nostra schola rationem conscribendorum carminum doceat, tuo exemplo inuitatur: quẽ uelim interdû à te prouocari. Puer, quẽ tantopere mihi commendas, re ipsa experietur, quæ tua apud nos sit existimatio atq; autoritas. Bene uale uir doctissime, cum omnibus tuis, quos salutare cupio diligenter. 6 Calend. Martij.

De Eobano Hesso, rege nostro, rogo facias me  
certiorem, quid agat, quid ualeat, &c. habes enim  
tandem uicinum.

Clariss. ac doctiss. uiro D. M. Ioāni Span  
genbergio, pastori Eislebienti & super-  
attendenti Ecclesiarum comitatus

Mansfeldensis, domino & a-  
mico suo obseruando,

G. M.

S. D. Hic adolescens, qui reddit literas, ludima-  
gister est in oppido uicino, ingenio bono, & mori-  
bus ualde modestis: & cum Ecclesiasticam condi-  
tionem ante aliquot menses peteret, à nobis exa-  
minatus, aptè et disertè ad interrogata de fidei ar-  
ticulis respondit, ita ut ei spes sit facta à nobis de  
cōmendanda ei aliqua Ecclesia. Quia autem iam  
parochia in pago Golbick uacat, & eius patrona-  
tus ad illustres Comites in Mansfeld pertineat, &  
iam antea ab illustri Comite Gebhardo T. H. per  
litteras ante duos menses commendatus est, ut illi  
per te prospiceretur, rogo ut bonū adolescentem  
in hac causa iuues, etiam propter nostram cōmen-  
dationem: cuius tamen uirtutis & eruditio per se me-  
retur, ut eius habeatur ratio. Deinde etiam rogo,  
ut mihi mittas cantionem illam Germanicè per te  
translatam, cum alijs quæ à te edita sunt, de qui-

H            bus

bus hesternæ die inter nos facta est mentio. Bene uale, uir ornatissime. 27 Ianuarij, 1548.

Et pio & docto uiro, domino Ioanni Spangenbergio, amico suo ueteri,  
Georgius Aemylius

S. D.

Cum mihi Magister Oeta, suam operam in perferendis meis ad te literis ultrò obtulisset, non potui prætermittere, quin eo proficiscēte, aliquid ad te literarum darem. Iam diu enim optaui mihi occasionem aliquam dari ad te scribendi, cum propter amicitiam nostram, tum uerò ut ea ratione uicissim à te aliquid literarum extorquerem. Porro cum mihi proximè promiseris tuos uersiculos, auidè eos penè singulis horis expecto. Quare te rogo, ut præstes id quod promissisti, & tuis promissis satisfacias. Decet enim, præsertim illos qui sacra Pieridum nocte dieq; colunt, promissam seruare fidem, nec fallere quenquam. Sed spero te facile facturum esse hoc, quod recepisti facturum. Bene uale Mitto ad te carmen meum, scriptum cuidam Magdeburgensi, quod quidem principio ad te scribere constitueram: sed postea coactus inopia tabeliorum, alteri misi. Carmen illud flagitabis à Christophoro Ruellio: nam eius literis inclusum est. Rescribe mihi uir optime, & breuitatem boni consule. Vale, Iene 1535.

Petrus



Petrus Plateanus D. Ioanni Spangenbergio theologo.

S. D.

Et antea ex Iani Cornarij, uiri eruditissimi, literis existimationem de te concepi non uulgarem: eam proxima tua epistola non confirmauit modo, sed uehementer etiam auxit. Plena enim erat elegantiae, humanitatis, modestiae, officiorum: quae tanto mihi in te fuerunt iucundiora, quanto magis ea hodie in quibusdam Theologis desideramus. Tuam igitur mihi amicitiam ultrò delatam (quam intelligo mihi ambiendam fuisse) toto animo arctissimè complector: meq; uicissim, ut tui gregis albo inscribas, uehementer expeto. Ex carmine tuo hoc facile intellexi, te nostratia studiis minimè spernere. Utinam ad eum modum multi Theologi essent occupati, potius quàm profanis negocijs se miscerent, mitius sanè multi de illorum ambitione quererentur. Cognomen tuum, Hassia te nostra oriundum declarat: hoc iam aliud est, quod te mihi cariorem reddat. Olim enim diu apud Marpurgum uixi, & nuper ibi liberali principis Philippi stipendio Rhetoricen publicè docui: nec memini me usquam uixisse unquam libentius. Præterea Medicinam auspicatus, Ioan. Megapo, clarissimo medico, ciue tuo, sum usus præceptore. Hæc ad eruditissimam epistolam

H 2 tuam

tuam pauca subito rescripsi. eram enim occupatissimus: aliàs accuratius. Vale, & officiose meis verbis Iano Cornario salutem dicito. Cygneæ, Idibus Augusti, 1535.

D. Mart. Luthero, M. Bucerus

S. D.

Posteaquam nostri exhibuerunt articulos de forma pacis, deliberatio Cæsareæ Maiestatis legati & pacificorum retracta est in diem undecimum Martij. Postea exhibuerunt duas declamationes, quarum altera legato etiam contumeliose scripta erat: altera mitior, quæ spondebat pacificatores acturos esse, ut fiant induciæ aliquot annorum: & interea ingressus instituantur, in quib. deliberetur de concordia Ecclesiarum & doctrinæ. Nam Imperator iam non facit synodi mentionem, nec ullam futuram esse sperat. Eam ob causam si uera narrat legatus, tergiuersanti Pontifici succenset. Nostri adornant responsionem: & fortasse præcise dicent, quas condiciones accipere possint. Nam præparato opus est, ne nostri imparati opprimantur: synodi non fient. Et adhuc quidem speramus tranquillitatem. Initio hic erant atroces sermones de Turcis, nunc subito consilesunt: & dicuntur induciæ factæ per Gallum. In Belgico sunt magni apparatus, & non obscure minantur N. Regi. Sed multa alia suspicantur. Deniq; nihil possum de Republica

blica certi scribere. Quare, rogabis Deū, ut ipse gubernet & seruet nos. Macedo propter uarios non prodiit in publicum: sed iudicans à morbo nihil esse periculi. De te interrogat, quoties ad eum uenio, teq; amanter iubet salutare. Narrabat enim mihi nuper, se Deum precatum esse, ut uitam sibi proroget: si fiet, profuturum Ecclesiæ id spero. Bene & feliciter uale.

Deus seruet & te, & uniuersam familiam tuā. Salutant te reuerenter D. Pontanus, Sturmius, & alij. Datæ 14 Martij. Et ego reuerendæ paternitati tuæ salutem precor, ac diuturnam ualeitudinem, qui adhuc admodum afflictus Ecclesijs prodesse possis.

Cuiusdam ingeniosi & docti iuuenis epistola.

S. D. Charissime pater. Etsi magno in dolore sum propter indignationem tuam, teq; oro propter Deum, ne paternam beneuolentiam tuam erga me deponas: tamen si coram spectatore esses totius uitæ meæ, minus sperarem fore offensionis. Certè uitam amittere mallem, quàm tuam beneuolentiam. Illa etiam quæ de uestibus scribis, non me iubente acciderunt: & deinceps ero cautior, & curabo ne uel tui uel quorumlibet honestorum oculi offendantur. Scio me & propter mandatum Dei, & propter naturæ ordinem, debere obedi-

tiam & reuerentiam parentibus. Tibi autē eo plū  
 debeo, quia multa maiora beneficia à te accipio,  
 quàm alij filij à suis patribus. Eximia liberalita-  
 te præbes mihi sumptus ad optima doctrinæ stu-  
 dia colenda, meq; curas ordine & rectè erudiri in  
 ijs disciplinis quæ sunt uera ornamenta & lumen  
 uitæ. Talem patrem si non toto pectore uenerarer,  
 monstrum essem, indignissimum consuetudine ho-  
 minum. Rursus igitur te uehementer oro, ut si  
 quid feci negligentiùs, mihi remittas: & bona fi-  
 de promitto, me in omni officio fore diligentio-  
 rem: & perfecturum summa cura & pietate, ut  
 mores & studia mea primùm tibi, deinde alijs ho-  
 nestis hominibus probentur. Sæpe audio, om-  
 nem dolorem naturæ hominū summum esse eum,  
 qui in parentibus existit, propter malorum cala-  
 mitates & delicta. Et hanc *ἑορτὴν* impressit De-  
 us naturæ hominum, ut sciamus ab ipso & nos  
 & ipsum dolore affici propter nostras misérias.  
 Vicissim igitur filij parentibus pro tanto amore  
 mutuum amorem debent: & iustissimum est, nos  
 summa uigilantia cauere, ne parentibus, alioqui  
 oneratis cura & mœstitia, augeamus dolores. O-  
 ro autem Deum, conditorem generis humani, ut  
 me & te, & charissimam matrem, & dulcissimos  
 fratres & sorores, seruet incolumes. Bene  
 uale: die 9 Iulij.

Geor-

Georgius Dei gratia Princeps in An-  
halt, &c. coadiutor in spiritualibus ec-  
clesiæ Mersburgensis, ac Præpo-  
situs Magdeburgensis, &c.

Egregio uiro D. Iohanni Spangeber-  
gio, pastori ac superinten-  
denti Northusianæ Ec-  
clesiæ, amico nostro  
perquàm di-  
lecto.

Gratia à Deo patre, & Domino nostro Ie-  
su Christo. Grata nobis fuerunt lucubratio-  
nes tuæ in aliquot pias conciones à te editæ, ac  
nobis missæ, doctissime Spangenbergi. Sed  
non sine animi commotione literas tuas, quibus  
de quibusdam, qui sui gregis homines seduce-  
rent, continebatur, legimus. Neque enim nos  
talibus exemplis scandali plenis, leuiter angus-  
timur, cum passim miseris animis, precioso Chri-  
sti sanguine expiatis & redemptis, per impio-  
rum perniciosos ac temerarios conatus impo-  
ni, ac denuò eas pessundari cernimus. Utinam  
nos quoq; ab isto grauissimo malo possemus esse  
securi & immunes: ac non inter nostros etiã inter-  
dum huiusmodi exēpla, sed ægerrimè ferre cogere

mur. Atqui si politicus ordo hac parte suum officium diligentius aliquanto recordaretur, certò sumus persuasi, etiam ex animo optaremus, nec adeò usq; cursus uerbi Dei impediretur. Nos, Christi saluatoris benedictione, de hac re deliberabimus, an aliqua ratio possit miri, qua uerus Dei cultus in illo Comitatu institui, ac tales fœces extipari queant. Rogabimurq; cœlestem Patrem, ut is ad pia nostra consilia pro salute Ecclesiæ suam gratiam largiatur. Interim cupimus nostra instituta omnia pijs tuis precibus candidè commendata esse. Bene uale, dilecte Spangenbergi. Datæ Mersburgi, die Iouis post Epiphaniæ, 7 Ianuarij, 1546.

Idem eidem,

Gratiam & pacem à Deo patre, & Domina nostro Iesu Christo, Amen. Literas humanitatis tuæ, quibus & de incuria typographi, & de iacturata cominebatur, intelleximus: nec leuiter de isto tuo malo, tangimur. Existimamus autem non incommodam esse rationem subleuandi damni si ad suspectam illam cautionem de uisitatione Mariæ, tua manu lectores tantum admoneretur, quod illa te nescio à typographo sit inserta: ideo liberū illis de lectione istius hymni iudicium relinqui. Sic enim fore speramus, ut quod residuum est exemplarium, facilius extrudatur. Quod ad nos attinet, possumus ferre ut uiginti exemplaria per occasionem

caſionem ad nos mittamur. Recipimus nos ope-  
ram daturos, ut quàm commodè poterunt in no-  
ſtra diœceſi parrochis uendita diſpertiantur. Fuit  
præterea apud nos Doctor Martinus Lutherus, à  
quo ſacro ordinationis myſterio per impoſitionē  
manuum imitati ſumus. Is fecit tuæ humanitatis  
honorificam mentionem. Illud ut nobis placuit, ita  
pollicemur T. H. non ſolum hoc, ſed etiam alio offi-  
cij genere benignam & gratioſam uoluntatem.  
Interim commendamus noſtra negocia, quæ pro  
Eccleſiæ incolumitate ſuſcepimus, ueſtris pijs pre-  
cibus. Bene ualeat tua humanitas. Datæ Merſ-  
burgi, ſabbatho poſt Sixti, Anno 45.

Clarifs. uiro, D. Ioanni Spangenbergio,  
&c. ſuo chariſſ. in Chriſto patri ac  
Domino, Ioannes Reiffen-  
ſtein, &c.

Gratiam & pacem à Deo patre, & Domino  
noſtro Ieſu Chriſto. Iucundiſſimæ mibi literæ  
tuæ fuerunt, doctiſſime ac clariſſime Spangenbergi.  
Teſtantur enim, te mei memoriam, qua breui  
conuerſatione cum his præſens apud nos eſſes ute-  
baris, retinere. Accepi commendationem, de Baſi-  
lio Michael ciue Northuſano. Et quod ex me con-  
ſilium potiſſimum quæris, intelligo tuam erga me  
beneuolam uoluntatem & humanitatem. Ego ue-  
rò etſi ingenui tenuitate & ruditate tam grauium

H s cauſa-



causarum satis metior: tamen explorato iudicio nostri consistorij, proposita causa. confidentius tibi eiusdem consilium aperiam. Atque doleo istius boni uiri calamitosam conditionem. Sed exempla illa, noua hic nobis non sunt, & coram nostro tribunali ea crebro conspicimus. Nosti hac mundi senecta Sathanam, illius tanti ordinis non leuem hostem, illum miserum sexum nescio ad quæ non scandala exagitare.

Cæterum quod ad rem attinet, incertum est, an nostra Ecclesiastica iurisdictio ad Northusanos extendatur: cum non dubitetur iurisditionem istius loci secularem (ut uocant) ad Duces Saxoniæ pertinere. Deinde in hoc casu non reperiuntur causæ sufficientes procedendi in diuortium: ita ut alteri parti, innocentiiori forsitan, libera facultas relinquatur uel ducendi, uel nubendi. Oritur omne dissidium inter has partes (si rectè memini) aut ex bonis dotalibus, aut ex donatione propter nuptias: & quod illa muliercula in re familiari, & cura mariti, seu etiam liberorum uideatur esse negligentior. Consilium igitur adhuc esset, tentare inter eos reconciliationem certa ratione per cautionem aliquam, aut alium modum, quam circumstantiæ existimabuntur requirere. Si tamen senatus Northusianus, consentientibus & compromittentibus partibus suæ iurisditioni con-

ni consistorium remitterent, non denegaretur iisdem partibus iusticia: seruato iudiciario processu, qui in ducatu receptus, & per constitutiones uerbo Dei conformes, ac moribus his non tam commodas atq; etiam necessarias ordinatus est. Credo sic tandem istius boni uiri incolumitati ac saluti paruulorum suorum posse consuli. Nihil hic certi definitio, charissime domine: uos perspexeritis optimè, quid causæ & partium ratio patiatur. Volui hæc ad postulationem tuam, quantum ego quidem iudicio nostrorum superiorum edoctus, & casibus quotidianis expertus sum, breuiter respondere: non quòd illa tanquam Apollinis responsum amplecti, sed potius aliorum etiam sententias rogare debeas. Hinc bene ualeas in Christo saluatore nostro, quem pro me piè inuoces, ac me tibi perpetuò commendatum habeas. Datæ raptim, in uigilia Trinitatis, Anno, &c. 46.

Georgius Princeps in Anhalt, &c. reuerendo uiro D. Ioanni Spangenbergio, &c. pastori & superintendenti ecclesiæ Eislebiensis, nostro in Christo dilecto.

Gratiam et pacem in Christo saluatore nostro. Humanissime uir, literas tuas legimus, in quibus nobis commendas hominem optimè literis institutum,

stitutum, Ioannem Rincken. Quantum ad hoc negotium attinet, quod scribis, prouinciam notaria tus aliquando uacaturam, & discessurum ab hoc officio M. Ioannem Reiffschneider: haftenus nihil ea de re constitutum est, nec suum animum patescit M. Ioannes. adhuc in suo ministerio perseverat. Cum autem non sit in nostra, sed aliorum potestate, recipere alium in suum locum: multi sunt, quibus antea spes de hac conditione facta est. Ideo nihil certi & huic Ioanni Rincken, cui tamen summa gratia & clementia bene cupimus, respondere aut promittere poterimus. His breuibus nos & Ecclesiam Christi, quæ iam non leuiter premitur, & omnia negotia Ecclesiastica, quæ sunt grauissima, tuis pijs precibus commendamus. Bene & feliciter uale. Datæ Mersburgi, 27 die mensis Iunii, 1548.

Idem eidem.

Gratiam & pacem in Christo. Accepimus literas tuas, humanissime uir, in quibus pro N. intercedis iterum. Adhæc autem tibi iam nihil respondere possumus. Etsi illi plus permissum sit, quàm æquum fuit: tamen tuis precibus fruatur, donec nostros Vuarndorsium miserimus. Quod fiet intra duodecim dies: ubi pro ratione negotij, & propter tuam intercessionem clemens accipiat responsum. His breuibus & nos & nostram Ecclesiam  
tuis

*tuis pijs precibus commendamus. Vate in Christo.  
Datæ Mersburgi, 5 die mensis Aprilis, 1548.*

Reuerendo uiro, eruditione & uirtute  
præstanti, D. Ioanni Spangenbergio, gu  
bernanti Ecclesiam Dei in ditione illu-  
strum comitum in Mansfeld, suo  
amico colendo, Philippus  
Melanchthon.

S. D. Reuerende uir, & amice charissime. Hic  
Vuolfgangus Fulla Saltzburgensis, uir doctus &  
honestus est, & D. Iusto Moenio & mihi diu no-  
tus & probatus, poterit utiliter in schola uel in  
templo seruire Ecclesiæ Dei. Quæso ut eum com-  
plectaris & inues: bene collocabis officium. Ego  
nunc plura scribere non poteram, quia iter ingres-  
surus eram ad quoddam scholasticum negotium.  
Quare des ueniam breuitati literarum. Tibi et fi-  
lijs carmina mitto. Bene uale, die 19. Martij,  
quæ est cœnæ in Bethania cum La-  
zaro resuscitato.

Clæ-

Clarissimo uiro, pietate, uirtute & eruditione eximio, D. Ioanni Spangenbergio, summo Ecclesiæ Islebianæ pastori & superintendenti, domino & amico suo in Christo plurimū obseruando & amando, Philippus  
Bechius S. D.

Decet nos, qui Christiani dici aut haberi uolumus, pios & adflictos exules nido & lecto suo propter Euangelij confessionem pulsos, omni ope & auxilio adiuuare: eosq; uiris pietate, doctrina, & omni uirtutum genere præclarissimis, studiosè commendare. Quare non succensere nobis debes, uir clarissime atq; optime, quòd literas ad te meas, nullo uerborum lenocinio comptas, dare non erubuerim. Me namq; pietas atq; officium boni uiri, & Euangelij amantis, sponte quasi impulit, ut Ioanni Valentino Deygero, amico meo summo, qui uarijs atq; infinitis propemodum ærumnarum atque miseriæ procellis expositus est, hac mea commendatione gratificarer: quam eo quidem animo te, quo scripsi, suscepturum esse, non diffido. Commoueunt igitur te, mi doctissime D. Spangenbergi, non mea solum, sed aliorum grauissimorum uirorum commendationes, quibus illi adesse quàm promptissimè uoluerunt. Puto autem illum  
non

non mea uel aliorum commendatione solum esse  
dignum, sed etiam tua & aliorum pietate, doctri-  
na ac uirtute clarissimorum uirorum: cum summā  
animi constanciam inter suas calamitates atq; mi-  
serias, quibus ille discrucietur, perpetuò retineat,  
nec quicquam contra Deum illorum causa facere  
statuat. Nam Euangelij confessionem atq; uocatio-  
nem ad docendum omnibus rebus humanis, uitæ et  
fortunæ anteferre debemus, si modò regni Christi  
saluatoris nostri coheredes esse uoluerimus. Qua-  
re cum illius desertionem ex mandato factam esse  
uideamus, meritò illum tibi quàm commendatissi-  
mum habere debes. Habebis autem illum tibi sum-  
mopere commendatum, si uel tua uel alterius uiri  
ope & auxilio pro uirili quisq; sua liberaliter fue-  
rit adiutus. Cogitabis illius præcepti quod apud  
Phocylidem extat, cuius uerba sunt hæc:

πρωτῶν δ' οὐθὺς διδίδωμι δ' αὐτοῖς ἐλθέμεν ἐπ' αὐτοῖς.  
πληρώσας εἰς χεῖρ' ἐλπίον χεῖροντι παρ' ἄλλου.  
ἀγροῖς εἰς οἶνον διέξαι, καὶ τυφλὸν ὁδῶναι.

Sed non puto longiori sermone ad commendan-  
dum illum, uel te potius hortandum, atq; tibi per-  
suadendum, opus mihi esse: cum sciam ex alijs, te  
erga peregrinos, præsertim tuæ farinæ homi-  
nes, & exules etiam pios, semper esse quàm o-  
ptime affectum. Quare ut tandem concludam,  
te mi

te mi humanissime atq; doctissime D. Spangenbergi, uehementer oro atq; obsecro iterum atq; iterum, ut latè et benignè exulem iam prænominatū hospitij tui iure suscipere, atq; illi ad uiaticum parumper præbere digneris, quò commodius ad suos liberos longè dulcissimos, Argentorati uitam agentes, redire queat. Sed non dubito, quin illi pro ueteri tuo more, sis omnem beneuolentiam Christi nomine, quæ dies noctesq; confiteris, exhibiturus, cum sis ueræ pietatis quàm amantissimus. Hæc sunt, quæ breuiter ad te scribere amici causa uolui. tu modò fac, ut quicquid à me profectū est, optime cōsulas, meq; et Valentinū tibi semp habeas commendatum. Vale, atq; in annos usq; Pythios cum omnibus tuis quàm felicissimè uiuas. Data Lipsiæ, subito, Mense Octobri. 1549.

Pastori pio iuxtà ac docto uiro, D. Ioanni Spangenbergio, apud Northufanos concionatori, domino & amico non uulgari, Ioann. Stigelius  
Tyrigeta S. D.

Hæc tibi præmissa Spangberge diserte salute,  
Mittimus imparibus uerba ligata modis:  
Hinc ubi ceruleas flauis lauat Albis arenas,  
Albis in Arctoas qui uada uersat aquas.

Forſan,



Forsan, ut impressæ diuellis uincula cœræ,  
 Vnde tibi hæc ueniat litera missa, rogas?  
 Ne mirare, licet nullo tibi cognitus usu,  
 Nec fuerim noto iunctus amore prius:  
 Cum tamē ingenuis faueas Spägeberge Camœnis,  
 Quas odio nostro tempore uulgus habet:  
 Cumq; sit inter se quiddam commune poetis,  
 Non minimus quorum tu quoq; sacra colis:  
 Hinc mea Musa tuæ rumoribus excita famæ,  
 Ardet amicitiae fœdus inire tuæ,  
 Adde quòd hic qui nostra tibi Georgius offert  
 Scripta sibi à nobis exigit ista dari.  
 Nec prius à nobis discedere sustinet, ad te  
 Quàm faciam imparib. carmina clausa modis.  
 Hunc tibi, cum doctos ueneretur ametq; Poetas,  
 Ingenuasq; artes sedulus ipse colat:  
 Sic commendo, ut eum, qui commendabilis ipse  
 Ingenio cultis moribus esse potest:  
 Edita cum placida tua carmina mente retracto,  
 Iudicio soleo sæpe probare meo.  
 Ingeniumq; tuum diuinis laudibus orno,  
 Quòd tanta Musas sedulitate colat.  
 Nam quamuis sacri tractet mysteria uerbi,  
 Et doceat summi dogma salubre Dei:  
 Non tamen Aonidum teneris fastidit in hortis  
 Ludere, & ad ripas Pegasis unda tuas.  
 Hinc tibi Pieriæ referent bona præmia Musæ,

*Et ducent nomen posteritate tuum.  
 Hinc merita ornabunt iuvenes tua nomina laude,  
 Quos iam Parnassus per inga raptat amor.  
 In quorum numero si me digneris habere,  
 Non hos, quotquot erum, ultimus inter ero.  
 Interea aspiret dextrum tibi carmen Apollo,  
 Sufficiens vires in tua uota, uale.*

*Clariss. uiro, Domino M. Philippo Melanchthoni, seruo & discipulo Christi fide-  
 deli, fratri charissimo, Martinus  
 Lutherus.*

*G. & pacem. Mittimus ecce propositiones Dis-  
 putationum, optime Philippe, quas nostro roga-  
 tu digneris distribuere Theologiae candidatis: &  
 simul nomine nostro inuitare omnes ad disputa-  
 tionem, die & loco nominatis. Non enim opus  
 esse credo, isthic in ualuis figere, nisi tibi consul-  
 tum uidetur, cum peregrini sitis, non in loco V-  
 niuersitatis. Cum ueneritis autem, inuenietis in  
 ualuis fixas, more & stylo solitis: tum etiam ad  
 prandium solenniter uocabimus uos. licet (ut no-  
 sti) cuperemus scire, quot uestrum sint uenturi.  
 Erit Aula die 16 Crucis. Nos laeti expectamus uos.  
 Nam nunc altera coniunctio transijt innoxia: &  
 in tribus diebus ne naturale quidem funus fuit.  
 Hodie*

Hodie unum fuit, sed nihil ad pestem. Ex A&la nihil percipio de Synodo ista, quam significas. Fortè mysteria tanta nos studio celant. Et libenter ignoro tanta mysteria. D. Bruck hodie aduenit, quem cras adibo, si potero. Nam heri & hodie perpetua diarrhœa laboravi: & debilitatus sum corpore, eo quòd somnus me fugit, & cibum nullum cupio. Et potu destituimur. Spero cras melius me habiturum. Quindecim sedes habui hoc biduo. Scribe mihi, an deuoraueris literas istas Principis: quibus (ut scripsi) uehementer fui, tua causa, perturbatus. Et quomodo ualeas. Ego (ut legisti) suspectos cœpi habere istos legatos tuos. Nosti perfidum & perditum illum, discipulum meum. Et habet ille multos comminicanes, non dissimiles ei. Dominus gubernet & conseruet te, Amen. Dominica post Bartholomæi, Anno 1535.

Omni-  
bus lecturis has literas, Rector, Magistri & Doctores Academiæ Vitebergensis S. D.

Quisquis est hic peregrinus, qui se ait Persam esse, et quidē filiū regis Persarū: tamē cum peregrinus sit et mancus, simus memores mandati diuini, qd' precipit hospitalia officia tribui peregrinis, q neminē iniuria afficiūt. Sic enim dulcissimē scriptū

est in Deuteronomio, capite decimo: Deus facit iudicium pupillo & uidue, amat peregrinum, & dat ei uictum & uestitum. Et uos amate peregrinos, quia uos quoq; fuistis exules. Cogitemus de nostris miserijs. In tanta confusione uitæ accidere singulis conuersio fortunæ potest, ut dicitur:

Irus & est subito, qui modò Cræsus erat. Narrat se Romæ baptisatum esse: & postea cum uoluisset militare contra Germanos, ademptam ei esse annuam pensionem, quam prius habuerat. De hac eius narratione nihil disputamus: tantum hoc affirmamus, Lipsiæ & Vuitebergæ honestè uixisse. Et quia nec Germanicè nec Latine loqui potest, Italicè utcunq; loquitur: dedimus ei consilium, ut in Italiam rediret. Et aliquid uiatici dedimus: & oramus alios, ut & ipsi homini misero opem ferant, propter Deum. Sicut semper gens Germanica fuit officiosa erga peregrinos. Si Persa est, cogitemus de Danielis exilio in Persia, & de Cyro: & de beneficio Persarum, quæ hoc tempore nobis præstant. Toto hoc quinquennio retinent Persæ Turcicum tyrannum, qui alioqui in Pannonia & Germania grassatus esset.

7 Iunij. Anno 1555.

Clariss. uiro & domino, Cordato, Eccle-  
siae in Stendel Superintendenti dignissi-  
mo, domino suo, & fratri in primis ue-  
nerando, Ioann. Bugenhagius  
Pomeranus.

*Gratiam & pacem per Christum. Mittimus  
ad te, charissime D Doctor, hunc meum Pomera-  
num, quem speramus gratum fore istic Ecclesiae  
Christi. De rebus uestris sic respondeo. Dum  
istic Euangelium sincerè prædicatur, & sunt qui  
libenter audiunt, gratias agite Deo, quòd labor ue-  
ster non est inanis in Domino. Reliqua, quæ uos  
istic fortè grauant, patienter propter Christum  
ferre: & donec Deus det meliora, pergite semina-  
re: Deus dabit nutrimentum, & Deus pacis erit  
uobiscum. De nostris rebus omnia narrabit tibi  
hic noster Christophorus, mihi carissimus. Chri-  
stus sit tecum, cum uxore & liberis, cumq; Eccle-  
sia uestra in æternum. Salutat uos uxor mea, &  
liberi mei. Salutat te uenerandus pater noster Lu-  
therus, & dominus Philippus Melanchthon, do-  
ctor Crucigerus, & alij mei adiutores. Ex  
Viteberga, 1544. altera post  
Michaelis.*

D. Ioanni Cosnio Sebastianus  
Marsthouius  
S. D.

Postquam ueni in Germaniam, duxi ad te, quā-  
primum nactus essem tabellarios, scribendum esse  
et de meo itinere, et de ratione studiorum quam  
in hac Academia institui: mentiri enim te magno-  
pere à me contendere, cū isthinc discederem,  
ut quā sēpissimē ad te literas darem. Cū au-  
tem me singulari amore complexus sis, et summa  
fide ac diligentia ingenium meum ad optimas ar-  
tes institueris ac traduxeris, facerem turpiter, ni-  
sī intelligerem quantum tibi debeam, et tibi ui-  
cissim gratificari omni officij genere studerem.  
Quare libenter scripsi ad te, ut gratitudinis meae  
tibi specimen ostenderem. Ad id accedit, quod  
cū ad amicos scribo, uideor mihi uelut domi et  
in patria esse: cuius recordatione mirificē dele-  
ctor. Sed ut de itinere breuius dicam: perueni Dei  
beneficio saluus et incolumis ad hanc Acade-  
miam, comites habui ad oppidum quoddam, quod  
in uicinia est, plenos humanitatis mercatores quos-  
dam, quorum mihi officia nulla in re defuerunt.  
Ingresso in urbem, casu fit obuiam Philippus. Id  
ego quidem uelut bonum omen interpretor: et ut

sit faustum & felix, Deum precor. Is, etsi non-  
 dum inter nos esse noticia potuit, tamen comi-  
 ter me salutavit. & cum peterem, ut mihi hospi-  
 tis domum monstraret, mandat adolescenti, ut  
 eò me deducat. Habeo autem hospitem cum pri-  
 mis honestum hominem, tum etiam eleganter ui-  
 uentem, & amantem Sarmaticæ gentis. Lite-  
 ras tuas domino Philippo reddidi, qui mihi offi-  
 cia sua liberaliter pollicitus est, cum quadam com-  
 memoratione sui studij erga nationem Poloni-  
 cam. Et ut audio, tribuit ingenijs nostræ gentis  
 singularem laudem acuminis & industriæ. Po-  
 stea coepi audire prælectiones, ubi audio ma-  
 gnæ esse facultatem studiosis, quocunque in ge-  
 nere doctrinæ uersari uelint. Nam Latine &  
 Græcæ literæ diligenter traduntur, & tractan-  
 tur singulari perspicuitate & felicitate omnes Phi-  
 losophiæ partes. Quare quod faustum & fe-  
 lix sit, huius Academiæ studijs me frui gaudeo.  
 Ac de studijs quidem scribam copiosius, ubi mi-  
 hi certam discendi rationem præscripsero. Nunc  
 quidem, ut in primo aditu, degusto omnes præ-  
 lectiones. Delectat etiam me huius urbis tran-  
 quillitas, apta Musis. Et magna est hominum, &  
 præcipuè scholasticorum comitas. In sacris riti-  
 bus nihil uidi, quod magnopere dissimile sit à no-  
 stris. Quare meritò succensendum est nonnullis.



qui his hominibus horribilem quandam & plus  
quàm Cyclopicam barbariem tribuunt. Qui cùm  
tales spargant fabulas, magis morbum animi sui  
declarant, quàm profunt Reipublicæ. Sed de his  
rebus scribam aliàs. Ego enim hæc cōmunia lite-  
rarũ & humanitatis studia amplecti decreui, quæ  
coluntur hîc satis feliciter. Nec admisceo me dispu-  
tationibus, quarum dijudicatio non pertinet ad  
meam ætatem. Illa tantum de moribus urbis com-  
memoravi, ut intelligeres, meos etiam mores in tu-  
to esse. Et professores solent magna cum gravita-  
te de modestia in omni officij genere præcipere.  
Bene uale. 1536. Mense Maio.

Dilecto nostro Philippo Melanchtho-  
ni, Episcopus N Parisiensis, nunc  
Cardinalis, S. D.

Ex tuis literis, & eius qui has tibi reddidit, Fos-  
se sermone intellexi, quo sis in rempublicam Chri-  
stianam animo, in ijs præsertim rebus quæ ad con-  
iunctionẽ omnium genium pertinent: quod nostrorum  
hominum nemini non fuit apprimè gratum, mihi ue-  
rò etiam suprà quàm dici potest iucundum. Nihil  
est enim quòd tam uehementer cupiam, quàm  
hoc, ut illa dissidia, per quæ iam diu labefactari  
Christi Ecclesia cœpit, aliquando rectè compo-  
nantur. In hanc pacificationem mi Melanchthon,  
propter

propter Deum, quantum potes, incumbere. Habebis consensientes bonos omnes: & in his, summæ authoritatis hominem hunc Franciscum Regem, cum titulis ac nomine, tum uerò (quod ego longè pluris facio) re ipsa Christianissimū: cum quo si semel nostra consilia maturè comuleris, quod fore breui uideo, nihil est quod de uestro congressu nō sperem. Faciat Deus, ut quàm Romæ interim, quo nunc propero, operam cogito, eandem utrobique præstare possim. Sed nunc deerunt, qui id muneri gnauiter exequantur. Reliqua ex hoc Fossa, eodem tuo, & eodem nostro, cognosces. Curabo, ut quàm de me semio, me excitasse apud te boni expectationem: eam Dei benignitate fertus uideor sustinuisse. Vale ex Fano Querini. Die 27 mensis Iulij. Anno post Christum natum 1535.

### Georgij Sabini ad Principem quendam Epistola.

Cum Celsitudo uestra singulari me beneuolentia complexa sit, nihil magis uelim quàm uicissim meam gratitudinem V. C. testatam effici. Non minus enim mihi laborandum esse statuo, ut pietatem ac fidem meam C. V. probem, quàm ut de studijs meis bene sentiat. Itaq; polliceor C. V. me per omnem uitam daturum operam, ut omnes intelligāt, me nihil maius atq; antiquius uestra beneuolentia

ducere: quam quidem multis de causis plurimi facio. Primum enim plurimum refert, tegi & defendi à C. V. Deinde ipsa me uetustatis uestræ admiratio mouet, ut non possim non amare C. V. postquam cognoui tantam humanitatem cum cæteris uirtutibus coniunctâ esse. Quare statuo, mihi summa pietate et gratitudine per omnem uitam V. C. colendam esse. Cum autem spes omnes studiorum in C. V. positas haberem, decreui exponere C. V. studiorum meorum conditionem. Diu iam molior profectio- nem in Italiâ, ubi & iuri discendo & eloquentiæ studijs operâ dare cupio: & ad hoc me multi prudentes & eruditi uiri hortantur, propterea quod hanc dicendi & scribendi facultatem putant uberiorem & suauiore fore doctorum consuetudine in Italia, qui in hoc genere nostris hominib. longè antecellunt, & habet ipsa peregrinatio per se aliquem fructum. Haftenus autem impediit hæc mea consilia, angustia rei familiaris: quæ non est ignota C. V. Quare supplex oro, ut C. V. subsidium inopiæ meæ ferat, ut inchoata studia absoluerè possim. Fortassis impudenter facere uideor, quod cum antea à V. C. libris instructus sim, nunc ausim insuper maiora petere. Sed nouit C. V. uetus prouerbum, Pudorem egenti inutilem esse. Et cum nemo intelligat uim & dignitatem artium, quam\* C. V. spero fore, ut C. V. boni consulat petitionem  
meam

meam studiorum causa susceptam. Si quid autem profecero Dei beneficio, totum me addicam V. C. efficiamq; ut intelligat hæc uestra beneficia apud hominem gratum posita esse. Valeat C. V.

Ad amicum quendam, Philippi

Mel. epistola.

Quod faustum foelixq; sit, redit ad uos D. Antonius, cum quo mihi propter ingenij ipsius candorem uetus iam amicitia est. qui cum & humanitatem & officia tua erga me prædicasset, adiecit te mirum in modum amantem esse mei. Ego sanè talis uiri amicitiae ualde gratulatus mihi sum.

Quanquam enim & nostra studia & illæ contro- uersie, in quas fato quodam meo incidi, à popula- ri laude abhorrent: tamen hoc mihi semper præ- cipuum fuit in uotis, ut probarer bonis & doctis uiris. Horum si candidos habere calculos potero, in doctorum iudicia magno animo respiciam. Du- xi itaq; ad te scribendum esse, ut tibi pro hoc ani- mo gratias agerem, ac ostenderem me amicitiam tuam plurimè facere, teq; uicissim toto animo com- plecti. Etenim cum amicitia sit, ut Philosophi dis- putant, iusticia quædam, mutuam esse beneuo- lentiam decet. Utinam uerò præstare aliquid hoc amore dignum possem. Libelli aliquot mihi exciderunt, informes adhuc. Non enim con- tingit ocium, aut tempus ad perpoliendum.

Si quid igitur horum legendum putabis, pleraque boni cōsulas uelim, quæ sunt inchoata uerius quàm absoluta. Nunc recudo narrationē Quīnti Ethicorum: qui liber, ut scis, iusticiæ imaginem pulcher-  
 rum ac uerissimam pingit, planeq; talem, qualis Apellis est color in tabulis. Nemine autem rectius dedicauero, quàm tibi, iusticiæ aut iuris professori. Itaq; curabo, ut extet illud testimonium mei erga te animi. Multa in eo libro erui, atq; explicauī locos in priore omīssos. Sed omnia perpurgare non potui. Erit igitur auspiciū nostræ amicitie iusticia: quæ ut uniuersæ societatis humanæ, ita maxime unicum esse debet nostræ cōiunctionis, quam amicitiam uirtutis causa colere debemus. Postremo ita me simul tibi cōmendo, ut tibi simul et patrociniū honestissimorum studiorum & literarum commendem: quæ si quando unquam, nunc maxime à bonis uiris opem & defensionem implorant. In Gallia immanis sauitia exercetur in homines doctos & pios. Gaudeo uestrorum animos mitiores esse factos. Scis, nihil esse naturæ hominis ac iusticiæ inimicitiū, quàm uim & crudelitatem. Quantum igitur potes, hortaberis principes ad clementiam, & ad gloriam Christi. Bene uale. 13 Martij, Anno 1535.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Philippo  
Melanchthoni S. D.

Venerunt huc articuli quidam, sed omiſſus aliquot in libello, quos tamen pollicebatur catalogus. Id an caſu factum ſit, miror. Utinam D. Lutherus pari ſtudio uitaffet ſeditionum occaſiones, & ad bonos mores prouocaſſet: ut fuit in deſenſione dogmatum uehemens. Ego, quoniam his tumultibus nullum uideo remedium, ſubuenio quantum licet bonis literis, quarum tamen exitium mihi uideor præſagire. Hac in parte tu plus uales, quia iuuenis & doctior & ſœlicior: quanquam promouimus & nos nonnihil. Qui has tibi reddit literas, iuuenis eſt candidiſſimi pectoris, ſummo apud ſuos loco natus, cum eruditorum hominum, tum tui amantiſſimus. Quem planè bearis, ſi dignaberis tuo colloquio. Nomen illi Franciſcus Doſſus, mihi domeſtico conuictu probatus ſpectatuq;: nihil eo integrius. Bene uale. Datæ Baſilæ, 19 Februarij, Anno 1535.

Clariffimo uiro, D. Magiſtro Ioanni  
Marcello, præceptori ſuo obſeruando, H. B. N.

S. D. Non dubito quin tibi nomine negligentiæ ſuſpectus ſim, præceptor humaniſſime, cum rariuſ ad te hætenus acceſſerim, quam & te uelle ſciã,

✂

Et ratio meorum studiorum postulat. Et uereor sane, ne in me non modò diligentiam in studijs: uerumetiam gratitudinem erga te et obseruantiam requiras. Nam cùm toties officia tua summa cum uoluntate mihi detuleris: decuit me quoq; insignē humanitatem tuam agnoscere, et Spartam meam (ut dicitur) ornare diligentius. Quare cùm nihil prius et antiquius mihi fuerit unquam, quàm studia et mores meos probari: ex animo doleo, me in hanc suspicionem mea culpa incidisse. Peto igitur abs te etiam atq; etiam, ut mihi ueniam des: et quiduis de me suspicari potius uelis, quàm aut contumacia aut stulto aliquo factò, me ad te non rediisse. Nam et nuper significauì, me aduersa ualetudine à studijs multipliciter abduci, propter quam et ab Academia M. Viti et patronorum aliquandiu absui. Et deinde, licet in Scholam rediissem, tamen exercitium styli omittere coactus sum, ut possem ea repetere quæ in absentia neglexeram. Hæ sunt causæ cessationis meæ: quam ut æquo animo feras, et beneuolentiam tuam erga me conserues, oro. Ego uicissim et diligentiam meam in studijs, et omni officij genere tibi probare conabor.

Cùm autem patroni hoc tempore me hortentur, ut petam gradum magisterij: duxi id tibi significandum esse. Etsi enim in scitiæ meæ mihi conscius sum, et magno studio eorum uoluntati hæc

Atenus



Genus repugnaui: tamen cum accedat authoritas  
 D. Philippi præceptoris nostri, cogor eis non si-  
 ne magno meo periculo parere. Sperabam autem  
 fore, cum tardius pecunia redderetur, ut possem  
 per aliquot menses differre petitionem. Ideo uolui  
 te hactenus ea de re conuenire. Neq; enim licuit  
 hoc breui temporis spacio, ex quo redij, ea omnia  
 repetere, quæ ad titulum requiruntur: & accede-  
 bant multa incommoda, quæ meritò me deterrere  
 debuissent. Sed non potui impetrare. Nam heri ue-  
 sper pecunia ex Lipsia missa est, & D. Philippus  
 differri uetat, cum meo nomine ad senatum Norim-  
 bergensem hisce diebus scripserit, & sumptus pe-  
 tierit. Quare necessario mihi ad humanitatem tu-  
 am confugiendum fuit, & petendum ut tua com-  
 mendatione & testimonio me iuuare uelis. Etsi te  
 uitas ingenij & eruditionis mihi nota est, quàm  
 scio indignam esse tanto testimonio: tamen & me-  
 diocribus ingenijs aliquem locum fore spero. Et mo-  
 res meos probari ut omnibus bonis, ita & in pri-  
 mis præceptoribus cupio: in quibus regendis eam  
 diligentiam, quàm potui pro mea mediocritate,  
 semper adhibere conatus sum. Cum autem sem-  
 per ita senserim, iudicia præceptorum magnifa-  
 cienda esse: profectò nihil mihi tristiùs accide-  
 re posset, quàm illos, quorum tot & tanta in  
 me extant beneficia, secus de me suspicari.

Quare

Quare te quantū possum oro humanissime domine præceptor, ut tua humanitas mihi præsidio esse uelit. Ego uerò, etsi nihil præter sempiternam grati animi memoriam polliceri possum: tamen interim assiduis uotis ac precibus te & tuos Deo commendabo: & oro ut pro sua infinita clementia, tibi multiplici cum fœnore, hoc beneficium compenset. Vale.

Egregijs uiris, prudentia & uirtute ornatissimis, consulibus & senatoribus ciuitatis Torgensis, dominis & patronis suis summa obseruantia colendis, N. N.

S. D. Clarissimi uiri: *Multis argumentis mihi cognita & perspecta est beneuolentia uestra erga meos parentes. Hac fiducia non ueritus sum uobis per literas exponere meam necessitatem, & simul opem uestram implorare ad sustentationem meorum studiorum. Arbitror igitur, iamdudum plurimis uestris notam esse uoluntatem mei patris, qui tametsi re familiari, ut scitis, tenui est: tamen uirtutis amore me & fratrem adhibuit ad literarum studia. Ac me quidem pater in Academia Vitebergensi aluit ferè per biennium, non sine magna difficultate, in hac sua inopia. Nec poterit pater meus ut existimari facile potest, diutius ullo modo sustinere*

nere sumptus, quos Vitebergæ studiorum causa facere cegor. Mibi etiam ipsi, quo magis per ætatē accresco, acerbum est, diutius oneri esse paremibus, eorumq; erga me & studia mea pietate prope modum abuti. Sed magis miserum me iudico, cum cogito hæc studia deponenda esse, & spem oēm parentum de meis studijs conceptam, unā cum sumptibus & curis ipsorum inanem fore, nisi ulterius progrediar in studijs, donec ad aliquam frugem perueniam. Id autem omnino fore (quod Deus prohibeat) uideo, nisi bonorum uirorum beneficentia mihi opem ferat. Habeo autem præcipuam spem in uestra erga parentes meos, & omnes honestos homines uobis uetis, beneuolentia. Pro ea igitur uestra insigni humanitate uos uehementer oro, ut si quam potestis concipere spem de studiorum meorum profectu, & mea erga uos gratitudine, deliberetis de aliqua ratione, qua adhuc paucos annos studia mea foueri possint in Academia Vitebergensi, donec ad maturitatem aliquam perueniam, unde & uos & Ecclesia fructum aliquem ex studijs meis percipere possitis. Accipio autem adhuc uacare stipendiū, quod pauperibus scholasticis solet conferri: eo si meis studijs consulitis, summo beneficio me affectum à uobis putabo. Ac polliceor bona fide, me summa diligentia daturum operam, ut intelligatis hoc uestrum beneficium in me non

malè collocatum esse. Et hætenus quidem ita spero me uersatum esse in studijs, ut præceptorum, & aliorum quibus uita & studiorum meorum curriculum notum est, iudicium de me, facile me sperem conseruaturum esse: quod ut retineam, uel potius augeam, & uestræ in me beneficentiæ cum gratitudine et profectu in studijs respõdeam, annuat sedulo. Quare ut me uobis in hac re commendatum habeatis, etiam atq; etiam rogo. Datæ 18 Calend. Iunij, Anno 1544.

Amico suo Hieronymus B.

S. D.

Non facile dixerim, quàm molestum mihi tam diuturnum silentium tuum fuerit. Quod eò scribo, non ut tecum exoptulem (sunt enim notæ tuæ occupationes) sed ut meum erga uos omnes animum perspicias. Mirifice enim angebar de uestra ualitudine. Itaque me maximo beneficio affectum puto, quòd tandem respondi. Misit enim mihi literas tuas per proprium nuncium Ioannes post Saturnalia. Gaudeo uos omnes Dei beneficio incolumes esse: & precor, ut uos perpetuò seruet Christus. Sed Lazari tabellarius perquàm inciui-  
lis fuit. non enim concessit mihi tempus ad scribendam longiorem epistolam. De Marcello scripsit Eringius ante paucos dies, nosq; illa cura libera-  
uit.

uit. Quod de meis uersibus scribis, ipse agnoscis, me non satis propitijs musis uersus cudere. Sed tamen quia hæc exercitatio ad absolutam orationē prodest, in ea interdum experior ingenium: & tua reprehensio reddet me diligentiorē. Habet aliquam laudem conatus honestus, ut ille ait: &

In magnis uoluisse sat est, si non datur ultra.

Noui nihil habemus, præter literas Pontificis de synodo, quas haud dubiè uidisti. Cæterum de Cæsarianis rebus omnibus hic magnum silentium est. Tu si quid habes, nobis uelim impertias. Patruo gratulor coniugium, & opto ut felix & faustum sit. Matrem, fratrem & sorores, omnes meis uerbis saluta. Scriberem prolixius, nisi nuncius interpelleret. Vale.

Dux Ernestus cuidam Episcopo

S. D.

Reuerendissime atq; ornatissime Princeps, petiuit à nobis commendationem ad Reuerendissimam paternitatem uestram, quidam nobilis adolescens, scholasticus huius Academiæ, Petrus de Neu-marck. Cum autem non dubitemus, quin R. P. V. sua sponte & faueat ingenijs, & prouehere studiosos ad Reipub. utilitatem cupiat, libenter dedimus huic iuueni literas, & ut haberet apud R. P. V. testimonium morum & studiorum suorum: & ut rogaremus R. P. V. propter nostrā

K 2 commen-

commendationem maiori beneuolentia hunc inueniem complecti uelit. qui cum sit ex ditione Naubergensis episcopatus, existimauit se necessario suo tempore opem & auxilium à R. P. V. tanquã à principe suo, petere posse. Vixit hic triennium singulari modestiæ famâ: & in his communibus literis, quæ primæ ætati traduntur, profecit mediocriter, & nunc se ad Iuris studium comulit. Hæc studia nullo in odio sunt, & ad humanitatem & tranquillitatem Reipublicæ prosunt, ut optimè R. P. V. iudicare potest. Nec etiam dubitamus, quin R. P. V. ad principis munus pertinere arbitretur curam tuendi atq; ornandi bonas & honestas artes, ac utiles Reipub. Commendamus itaq; R. P. V. hunc Petrum de Neumarck: & rogamus, ut R. P. V. conferat ei aliquod sacerdotium, unde studiorum sumptus tolerare possit. Reuerenda P. V. scit, hoc liberalitatis genus esse honestissimum, & hæc eleemosynam Deo gratam, et Reipub. utilem esse, iuuare studiosos honestarum artium, qui quidem pulcherrimum ornamentum sunt Christianæ religionis. In his causis speramus commendationem, præsertim à nobis proflutam, plurimum ualiturã esse. Neq; enim hic recensere attinet, quæ necessitudo & coniunctio inter nos sit sanguinis. Tamũ illud dicemus, cum fuerit amicitia clarissimis maioribus nostris, cum R. P. V. ac singulare & honorificum

*rificum iudicium de uirtute R. P. V. nos quoq; studia omnia et officia nostra ad R. P. V. deferimus. Quare ut propter nos aliquid ad beneuolentiam erga hunc Petrum addat R. P. V. etiam atq; etiam rogamus. Bene ualeat R. P. V.*

### Amico cuidam N. N.

*S. Utinam amicitia tua frui possem, mi amice. Animaduerti enim, ad ceteras animi pulcherri-  
mas dotes, & ad doctrinam egregiam, te addidisse summam humanitatem. Quid autem fingi aut  
perspectius aut amabilius hac coniunctione & so-  
cietate potest? Quare uelim tibi persuadeas, te à  
me ualde amari, & fieri plurimi. Hunc animum si  
possem aliquo officio declarare, profectò effice-  
rem, ut exiguum & studium & amorem erga te  
meum cognosceres. Mihi quoq; persuasi, me tibi  
charissimum esse. Quare te rogo, ut amicitiae no-  
strae memoriam conserues, ubiq; gentium eris. For-  
tassis & literæ meæ, si erunt tempora nobis æquo-  
ra, testabuntur, me præclare de tua uirtute sensis-  
se. Scripsit ad me tuus Hieronymus Papiensis, de  
itinere Italico. hunc ut comitem adiungas, etiam  
atq; etiam rogo. Scis illud Cyri apud Xenophon-  
tem: Cum bonis uiris esse nauigationem tutiorem.  
Ita & ille te expetit comitem, & fausti ominis  
ducem: tu quoque talis uiri eximia probitate, si-*



de prudentia & doctrina præditi consuetudinem  
expetas. Habet Patauij amicum Damianũ, ad quẽ  
proficisci decreuit. Hunc talẽ esse uirũ scito, ut ne  
manẽ usquã ei prælaturus sis. Nec tibi Hieronymus  
erit oneri. Quæso ut respondeas. Die Palmarũ, 35.  
Instructio pro Casp. Steinbach ministro  
uerbi, ad expeditionẽ Turcicã 1542.

Quoniam proficiscitur commissione Reipubli  
cæ Argentinensis, quæ Euangelio nomen dedit, cũ  
alijs protestantibus: Prima cura sit, ut ipse præ  
co uerbi, & qui sub uexillo Argentinensi militat,  
doctrinam seruatoris Dei ornẽt in omnibus. Se  
cundò, concionator ornabit, si firmus fuerit in ser  
mone sano, conuersatione irreprehensibili, dile  
ctione, spiritu, fide, puritate. Subiecti uexillo Ar  
gentinensi ornabunt, si doctrinæ Ioannis ( Ne quẽ  
concutiatis, ne ue calumniemini, et contenti estote  
stipendijs uestris ) paruerint: tum in terra amicorũ,  
tum in hostium agris obtemperarint capitaneis,  
ac huius legatis, item uexilliferis: qui uiri sunt ueri  
tatis ac honestatis amantißimi. Casparus etiã con  
cionator iam nominatis se iungat, illorum sodali  
tio intersit, quos & patronos & tutores habebit:  
horum consilio & deliberatione, quando & quo  
ties putat utile, et edificaturũ uerbũ, cohortationẽ  
habeat, maximẽ diebus Dominicis. Quarta: ne  
uerò cõciones sacrosancti Euangelij cõtemptui ha  
beantur,

beantur, curet ne sint nimium prolixæ, aut nimie.

Quinta: ita poterit proxima Dominica Cantate in Bischoffen concione sacra auspiciari profectio-  
nem. petatur locus in templò, qui non denegetur,  
quando Dominus à Bitsch suos nostris iunget. Sex-  
ta: quoniam uerò fidelem & prudentem oportet esse  
dispensatorē mysteriorū Dei in tam promiscuo  
auditorio: uideat diligenter cōcionator, ceu bonus  
paterfamiliās, ut illis demensum det etiam in tem-  
pore. Maior pars lanceatorū sine Deo, sine Chri-  
sto, sine timore Dei, et sine pœnitētia uiuit. Igitur  
à gradib. uitæ impiæ, qui sunt uanitas, memis obte-  
nebratio, excæcatio cordis et indolentia ( quæ est  
ein uerrucht lebē) diligētissimè dehortetur eas, et  
obtestetur ut Christū audiāt, discāt: deponāt uete-  
rē hominē, et induātur nouo, si uelint cōtra hostes  
Christiani nominis feliciter pugnare, memores ar-  
maturæ Dei, ad Ephesios ultima. Septima: est qui-  
dem tota Biblia epistola omnipotētis Dei, ad crea-  
turā suā: quo in munere & milites pro patria pu-  
gnantes collocare libet. In Euangelio & in Paklo  
nusquā nō occurrūt argumēta copiosa, quib. cōcio-  
nator bellicus militē mactationi destinātū ab impu-  
ritate uitæ, mētione uitæ æternæ, resurrectionis et  
iudiciij reuocare possit ad resipiscentiā et timorē  
Domini. Octaua: Articuli fidei, decē præcepta, ora-  
tio Dominica, primū locū habeāt in concionibus,

qua de re Lutheri sermo die heerpredig mem' est.  
 Nona: Cum exercitus imperij Budæ, aut alibi con-  
 fluxerit, concionator Casparus se iungat Euange-  
 licis concionatoribus, quos haud dubiè Saxo, Land-  
 grauius, & alij principes ac ciuitatum protestan-  
 tes cum suis nutrent. Cum ijs placidè, mansuetè &  
 modestè conuersetur, colloquia misceat, quæ ad æ-  
 dificationem faciunt: à curiosis quæstionibus absti-  
 neat, ne nomē nostræ ciuitatis propter ipsum ma-  
 lè audiat. Neq; sit immemor articuli, quem co-  
 mitia Spirensia statuerunt, de concionatoribus u-  
 triusq; partis. Quid, quouis tempore & cum fru-  
 ctu, ac apud quos aliter fieri possit ac debeat, ani-  
 maduertet.

De cœna Dominica in bello administranda.

Decima: magnū est Christi carne pasci, et Chri-  
 sti sanguine potari: item ad hæc sacra mysteria, cū  
 solum purificati debeant admitti, cautissimè cir-  
 cumspiciendum est, ne quosuis ad Dominicā men-  
 sam admittat in tanta colluue hominum, ne sanctū  
 detur canibus, et margaritæ proijciantur ante por-  
 cos. Si fortè confl. ctus cum Turca habendus est,  
 instet. ut parati sint animi aliquot concionibus ad  
 uerum usum cœnæ Dominicæ. Non uerò admit-  
 tantur promiscuè ad eucharistiam, nisi de quorum  
 fide in doctrina Christi & fide constet: qui enim  
 indignè sumunt, sibi propriū iudiciū accersunt.

Et inhonorant sacramentum, non tantum indignè accedentes, sed & indignè administrantes. Hic uerò opus fuit simplici prudentia, & prudenti simplicitate. Aliter autem agendum est cum rudibus & cum uulgo, aliter cum ijs qui in fide Christi eruditi sunt. Undecima: ut decorum suum seruet minister uerbi & præco Euangelij: ac ut ita maiori autoritate habeatur apud insulsum militem, nihil agat uulgarium aut sordidorum officiorum, unde se contemptui exponat: nisi summa necessitas, quæ legem nō habet, exposcat. Habebitur enim in precio à capitaneis, uexillifero & legato, nisi ipsemet se nihili faciat.

De historia belli.

Duodecima: quòd ad consignandam futuri belli Turcici historiam attinet, paret capellanus diaria, & consignet quicquid singulis diebus agatur: & communicet cum ijs, qui ip[s]is similibus argumentis se exercent. satis enim ocij habebit. Vbi dominus Zebaoth successum dederit, ut in uetustas Hungariæ, Thraciæ, Græciæ bibliothecas uenerint, atque adeò in Constantinopolim, curet modis omnibus ne optimis libris damnum inferatur: in quos alioqui stolidus miles sine iudicio seuire solet. cuius rei ingentem iacturam in seditione agricolarum (in der auffrur der Bauren) tulit nostra Germania. Decimatertia: tandem non obliuiscatur D.

Casparus, dicti Ambrosij, qui dicit: Dolere potero, flere potero, gemere potero aduersus arma, milites, Gotthos. lachrymæ quoq; meæ arma sunt. talia enim munimenta sunt sacerdotum: aliter non de-beo, nec possum resistere. Dominus custodiat introitum & exitum, Amen. *Argentinae.*

D. Casparus Hedio subscripsit: Et Gerbe-lus precatur tibi felicissimam pro-fectionem.

### Deprecatio.

Charissime pater. Et si magno in dolore sum propter indignationem tuam: teq; oro propter Deum, ne paternam beneuolemiam erga me de-ponas: tamen si coràm spectator esses totius uitæ meæ, minus sperarem fore offensionis. Certè uir-tam amittere malletm, quàm tuam beneuolentiam. Illa etiam quæ de uestibus scribis, non me iubente acciderunt: & deinceps ero cautior, & cura-bo ne tui aut aliorum honestorum oculi offendan-tur. Scio me & propter mandatum Dei, & pro-pter ordinem naturæ, debere obedientiam & re-uerentiam parentibus. Tibi autem eo plus debeo, quia multo maiora beneficia à te accipio, quàm alij filij à suis parentibus. Eximia liberalitate præbes mihi sumptus ad optima doctrinæ studia co-lenda, meq; curas ordine & rectè erudiri in ijs di-sciplinis,

disciplinis, quæ sunt uera ornamenta & lumen uitæ. Talem patrem si non toto pectore uenerarer, monstrum essem indignissimum hominum consuetudine. Rursus igitur te uehementer oro, ut si quid feci negligentius, mihi remittas: & bona fide promitto, me in omni officio fore diligentiores: & perfecturum summa cura & pietate, ut mores & studia mea primum tibi, deinde alijs honestis hominibus probentur. Sæpe audio hunc dolorem in natura hominum summum esse, qui in parentibus existit, propter malorum calamitates & delicta. Et hanc *scopulū* impressit Deus nature hominum, ut sciamus ab ipso etiam diligi filium, & ipsum dolore adfici propter nostras calamitates. Vicissim igitur filij parentibus pro tanto amore mutuum amorem debent: & iustissimum est, nos summa uigilantia cauere, ne parentibus alioqui oneratis cura & moesticia, augeamus dolores. Oro etiam Deum conditorem generis humani, ut me & te, & etiam charissimam matrem, & dulcissimos fratres & sorores, seruet incolumes. Bene uale. Die,

Iulij.

Episto-

**Epistola ad amicum quendam, cuius status est: inter cætera officia Principum esse, arcere à subditis suis vim priuatam & publicam.**

*Sicut licita est defensio contra parem inferentem iniustum bellum in aliqua ciuili causa: sic est licita defensio contra inferentem iniustum bellum, & stabilientem impias religiones. Quia sicut innocentes in alijs causis, ut aduersus latrones: sic & in religione aduersus latrones defendendi sunt. Hoc docet ius naturæ, & ius diuinum ad Rom. 13. Eadem est ratio contra superiores in iniuria notoria. Si pater filium uelit occidere, iustè conceditur filio defensio, ut iura expressè docēt. Imò princeps mandato diuino debet defendere subditos in talibus casibus, etiam contra superiorem: & omnes subditi principis eum adiuuare debent. ut si sub Turci imperio aliquis Christianus princeps esset, si Turca ei inferret bellum, nec uellet pacem facere, nisi princeps ille à religione deficeret: princeps mandato diuino debet armis tueri subditos, quantum potest. Sed quòd dicitur, Christiani non debent uti uindicta: hoc dictum non tollit ius potestatis, quod Deus ordinauit: sed prohibet Christianis priuatis prætextu religionis inferre alijs bella: sicut Anabaptistæ inferebāt. Item quòd dicitur,*



dicitur, subditis non licere ut resistent' superiori-  
bus : hoc dictum habet locum, sicut in alijs causis  
ciuilibus, quando superior non infert iniurias no-  
torias. Sed si superior rapturus esset ciuis alicuius  
filiam, ciuis posset in cominente defendere suam  
filiam, & interficere superiorem. Quia hæ senten-  
tiæ non tollunt ius naturæ. Et regula tenenda est.  
Quòd Euangelium non tollit magistratum & ius  
naturæ. Hac de re scribam aliàs copiosius. Bene  
uale. pro munere ago gratias. 1546.

### Dehortatio de solitudine fugienda. D. M. L.

Plura & grauiora peccata committuntur in so-  
litudine, quàm in societate hominum. Euam in pa-  
radiso decepit serpens solitariam: homicidia, la-  
trocinia & furta committuntur in solitudine: lo-  
cus & occasio datur satanæ. Deinde autem in fre-  
quentia uel societate hominum pudet committere  
flagitium. Christus promisit se affuturum esse me-  
dium, ubi duo uel tres in nomine suo cōgregati fue-  
rint. Diabolus tentauit Christum in solitudine, Da-  
uid lapsus est in homicidium & adulterium, tum  
cū erat solus & ociosus. Et ego expertus sum,  
nunquam sæpius incidere me in peccatum, quàm  
solitarie uiuens. Deus creauit hominem ad societa-  
tem,

tem, non ad solitudinem animalium & rationaliū  
ac irrationalium. Conditus autem est homo, ut si-  
mul essent duo, masculus et foemina: ex quorū con-  
iugio Deus aeternam Ecclesiam sibi colligit. Et o-  
mnipotens Deus non propter solitudinē, sed pro-  
pter coetus hominum sacramenta, & sacras concio-  
nes, ex quibus consolationes durabiles percipiun-  
tur, in Ecclesia ordinavit. At eregionē solitudo pa-  
rit pessimas tristitias: quæq; in mentem nobis ue-  
niunt, accuratius omnia mala consideremus. Et si  
quid est aduersi in rebus nostris, id quā maximē  
ipsi nobis amplificamus: atq; ita quasi nemo nobis  
sit infelicior, pessimum euentum rerum omnium  
fingimus, breuiter, alia ex alijs cogitamus, eaq; o-  
mnia in peiorem partem interpretamur. E contra  
felicissimos alios esse fingimus: & grauiter angimur,  
quod his bene, nobis autem malē sit.

Dehortatio, ne puellæ in gyros ducan-  
tur: & causa cur choreæ insti-  
tutæ sunt.

Intelligimus quosdam in choreis publicis sibi li-  
centiam permittere quarundam ineptiarum, quæ  
non decent, & interdum afferunt periculum puel-  
lis saltantibus. Cum autem choreæ non debeant  
esse barbarici aut turpes ludi, sed institutæ sint  
discipline causa, ut honesta officia adulescentes di-  
scant

scant exhibere foemineo sexui: habent honestas causas choreæ. Quare non est permittendum, ut mos ad disciplinam & humanitatem institutus, deo prauetur obscenitate uel scurrilitate. Prohibemus igitur, inter saltandum in gyros circumduci puellas, ut fit à quibusdam. Prohibemus & alia inhonesta exempla. Choreæ habent nomen à choris, qui non tantum constant harmonia cantus, sed etiam gestuum & morum. Hæc harmonia non est perturbanda. Sed mos honestus, honestè colendus est. Si quis contra hoc edictum fecerit, in hunc scuerè animaduertemus. Postremò petimus, ut memneritis scholam esse officinam uirtutum: & præcipuè nos in Christiana schola decet piè præstare, ne propter mala exempla, doctrina religionis malè audiat. Mandamus igitur, ut in omni consuetudine uitæ modesti sitis, ac tranquilli.

Rektor Academiæ Vitebergensis.

Reuerendo uiro, &c. D. Doctori Iusto Ionæ, &c. Rektor, Magistri & Doctores  
Academiæ Vitebergensis.

S. D. Reuerende Domine doctor, & amice carissime, hodie mane tristissimas literas accepimus, quarum alteræ ad illustrissimum principem Electorem, alteræ ad reuerendum dominum pastorem  
Eccle-

*Ecclesie nostrae, de morte reuerendi uiri & charissimi patris & præceptoris nostri doctoris Martini Lutheri, cum magna significatione mœsticiæ ingentis scriptæ fuerunt. Erat ille omnino currus & auriga Israhel, à Deo excitatus, ut Euangelij doctrinam instauraret & repurgaret, at res ipsa ostendit. Neceſſe est enim fateri, per eum patefactam esse doctrinam, quæ supra cõspectum ingenij humani posita est. Tali doctore et gubernatore orbat, magno dolore afficimur, non solum propter nostram Academiam, sed etiam propter uniuersam totius orbis terrarum Ecclesiam, quam doctrina, consilijs, authoritate, & Spiritus sancti cõsilio regebat. Ac plurimum cogitatione periculorum ac tempestatum, quæ postquam ille ab hac statione tempestatum auocatus est, impendent, mouemur. Scimus autem te quoque magno in luctu esse propter similes causas, quibus nos angimur. Oremus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, Non relinquam uos orphanos, ut deinceps Ecclesiam suam regat & seruet: & pro beneficijs, quæ nobis per Lutherum exhibuit, gratias agamus, & Lutheri memoriam grati retineamus. Hunc autem ad te nuncium misimus, ac petimus, ut mox nobis significes, quo die hîc adfuturi sis.*

*Bene & feliciter uale. 19 Februarij*

*Anno 1546.*

*Querela*

489

## Querela de calamitate belli.

S. D. Nihil accidit noui hoc mihi tempore à tua solitudine & uoluntate. Nam sepiſſimè maximum & ſingularem erga me amorem tuum perſpexi, cùm quidem aliquando commouerint curas de me tuas, & laborem tibi abiecerint, officijs tuis gratiam nunquam. Sed hæc omittamus. Quòd in trepidatione incredibili & perturbatione omnium rerum, & confuſione extrema actionum atque conſiliorum urbem reliquerint, & quæ occaſio fuerit diſceſſionis meæ, & quòd huc uenerim cum familia mea, cognouiſti ſiquidem, ut ſpero, noſtri familiares iſtuc peruenerunt. Nunc in urbe, ut ad ſpem deſenſionis, omnia ſunt explicatiora & paratiora: ita maior eſt miſeria, & calamitas grauior inter munitiorum & militum damna. Nihil poſſum de his ſcribere præterea. uincit enim res omnem narrationis atrocitatem: & Sylueſter cùm Lipſiæ fuerit, referre poterit quæ ipſe uidit & audiuit. Franciſcus Cramius, uir optimus, apud principem in urbe eſt: à quo heri literas accepi, honeſtè ſcriptas. Sed honeſtis conſilijs locus neq; antea relictus fuit, neq; nūc ferè relinquitur. Idem ad me tranſmiſit literas Lantgrauij, quibus reſpondet tuis. additæ erant & alteræ ad principem Georgium, quarum exemplum incluſimus his literis. Tuas, dubitans ſanè multum ac diu, me tandem co-

L

hortame

hortante resignauit Princeps: & perquam sollicitè mandauit mihi, ut hoc factum excusarem literis meis: cui quidem dixi, me arbitrari, nisi factum hoc fuisset, te molestè fuisse laturum: atq; omnino existimare, excusatione apud te non egere. Me contemplatio tam horribilis iræ diuinæ grassantis indies latius, & respectus meorū, & metus præsentium atq; impendentium insuper periculorū, mirificè perturbant: atq; sentio motus interdum animi, quales minime uellem. interdū cōsternor cōscientia ἀμαρτυμάτων τε καὶ παραπτώματων: & tamē sustento, ut possum. Teq; oro, ut tuis sanctissimis precib. commendes nostrā salutē Christo. Mihiq; ueniā des, quòd sine dubio dolorē tuū augeo ταῦτε τῇ ἐμολογῆσαι. Mea siue fuga siue discessio data est familiæ meæ, quorum percussione mollecebatur animus ὅς ἐστι πᾶσι ἐν ἡμῖν παραπᾶσι. Sed te alia mihi ingentem formidinem obijciebant, de quib. scribendum non est: & occultus & ignotus terror quidam me uehementer exagitauit. Quid statuam, prorsus non habeo. Nam in patriam deuehi, quod uellem, quomodo familiā meā, de qua maxime sollicitor, possit, non uideo. Dicuntur etiam Cæsareæ copię illa loca tenere, & per ea transire, subsidio uemuræ duci Mauritio. Etiam ex Bohemia adduci ferunt. In his igitur latebit, donec deseriatur paululum apud optimum principem. Sed quando  
erit

erit hoc tempus? hoc nimirum permittendum Deo est. Heri putabatur aliquid copiarum huc esse venturum: sed traductæ omnes dicuntur in Salinas. Latæ autem sunt conditiones, de quibus, & deinde de nobis quid futurum sit, nescio. Optimus princeps Georgius ingenuis curis planè conficitur: & sua benignitate dum pericula auertere studet, periculis sese inuoluit. Non enim est nunc ullus uirtuti, humanitati, moderationi locus. Literas misit ad utrūq; principem: quas, in quam partem accepturi sitis, sanè ueremur. Nos adhuc inter tam multorum afflictiones, & in publica quadam clade, protexit quidem Deus: quos etiam posthac misericordia sua defensurum esse, quantum possum, cōfido: & ago ei qualescunq; gratias cum meis, & illi cōmendo Rempublicam: cui utinam possum opis aliquid adferre interitu meo. Nihil ferè, quòd scriberem amplius, in mentem ueniebat. Transibit Syluester tuus copias Electoris. nihil spero ei periculi fore: etsi à militari manu hoc tempore omnia sunt metuenda. Vale, mi suauissime Philippe. Nostra familia te & tuos saluat. Bornerus uir optimus, & pietatis ac studiorum amantiſſimus, mirificam operam nauat Lipsiæ: quem hoc nomine à te magis quàm amica amari cupio. Datæ Mersburgi, Die 2 Ianuarij, Anno instauratæ salutis

1547.

L 2

D. Ero



D. Erhardo Holtzariensi , amicissimo  
suo Stolbergæ, Vitus Amer-  
bachius S. D.

*Vt nunquam de tua fide & amore erga me du-  
bitavi, ita ante paucos admodū dies mirari cœpi,  
quī fieret, quòd tot nuncios huc mitteres sine tuis  
litteris ad me, præsertim cum nonnullis huc scripsis-  
ses alijs. Semper enim iustus de causis putavi, nemi-  
nem te hic me chariorem habere: & id tu etiam  
nonnunquam non obscurè tulisti Erharde. Quare  
fac ut me tuis elegantissimis litteris à tali affectu li-  
beres. Volo autem ut mihi significes de tota tua  
fortuna copiosissimè. Est mihi aliquoties indica-  
tum de tuis rebus, quàm in bono & foelici statu es-  
sere: eo nihil potui audire neq; iucundius, neq; gra-  
tius. Rectè dictum est à doctissimo poeta: Quon-  
dam Cithara canentem suscitatur Musam, neq; sem-  
per arcum Tendit Apollo. De rebus meis proxi-  
mè satis. Fuerunt hic aliquot Islebienses in nuptijs  
Ambrosij: qui, quia mihi non fuerunt ualde bene no-  
ti, cum isthic essem, neq; à me ipsi, neq; ego ab ipsis  
appellatus quidem sum familiariter. Loguleius il-  
le Crassus, & per omnia pinguis, salutabat quidem  
stantem me apud alios, sed tanquam ignotissimū.  
Ursam audio relictam hic iri, & propositam iri  
uenalem. Magnæ eius opes esse dicuntur. Olfacio  
non*

non frustra id fieri: possit aliquis eam comparare non magna pecunia, non magno labore, precibus aut eloquentia. Nouus homo, cui quondam eram unica delicia, uix aspexit me: qui, præterquã quod est pessimè de me meritus, cum ego uicissim non leuissima beneficia contulerim in eum, nondum etiã cessat (ut audio) meam mihi existimationem quæ alioqui satis parua est, labefactare. Si is tuus est erga Vrsam animus, qui olim fuit, accelera: fortasse ridetur tibi. Ego istam gentem nihil moror, neq; etiam ei malè cupio. Argenteum poculum uide breui ut habeas. Ego parturio nunc: ubi peperì, faciã primo quoq; tempore ut scias. Vale, ex nos ama. Commendo tibi Martinum, hominem profectò dignum meliori ualitudine Vitebergæ.

Franciscus Vinariensis D. Petro Suaue-  
ni, Equestri ordinis uiro, in aula  
regis Daniæ, amico suo  
S. D.

Cum arbitrarer Erhardum nostrum ad te peruenturũ esse, dedi ei has literas, cum quidem præter uulgaria, quod scriberem non haberem. Nam Erhardus ipsi coràm exponet tibi omnem statum rerum nostrarum multo copiosius, quàm in breui epistola fieri potuit. Est enim homo aulicus, quod genus scis solere πολυπράγμονες. Narrabit tibi to

tam historiam apparati belli, & alia multa. Nisi Deus admirabili casu prohibuisset, bellum horribile suscipiebatur. Sed haecenus misertus est nostri Deus, ne scandalo tanto oneraremur. Te rogo, ut nos precibus tuis iuves. Beneuolentiam erga me tuam, quaeso te, pro tua humanitate atq; fide, ut retineas. D. Ioannes Bugenhagius instaurat Ecclesias Saxonicas Brunsvigæ & Hamburgi. Ea de re arbitror illum tibi multo antè scripsisse. Est apud uos pellio quidam, cuius legi aduersus Ambsdorfium criminationem ualde ineptam. Eius consuetudinem uereor tuo Principi obfuturâ esse. Scis illud, σοφὸν τὸ πάντοι τῶν σοφῶν σωσιῖα. Optarim igitur, uti Principem meliori familiaritate. Quàm sit fanaticus, tale scriptum arguit. Vale foeliciter. Pridie diui Iacobi, 1528.

Patri suo carissimo Hieronymus B.

S. D. Intellexi ex quibusdâ, pater amâtissime, quosdam sermones de meis moribus ad te perlatos esse. Nihil certè mihi potest accidere tristius, quàm si animus à me tuus alienaretur: ac planè uitam malim amittere, quàm tuam erga me beneuolentiam. Intelligo enim me tibi plurimum debere, super id quod omnes filij pariter debent parentibus. Suppeditas enim mihi ocium ad colenda optima studia literarû: quòd hoc quidem tempore paucissimi

eiſimi p. res faciunt. Quare te ſumma pietate et  
 amo, et u. eror: teq; uiciſſim oro propter tuam  
 excellentem humanitatē, ſi quid peccaui, mihi con-  
 dones. Eſi ſpero in meis moribus nullam hēere  
 infamiā: tamen et hoc tibi polliceor, me in poſterū  
 in omni officiij genere futurū diligentiorē. Meā  
 ſalutem, uitam ac ſtudia tibi, mi pater, commendo:  
 teq; oro, ne animum tuum à me alienes. Ego uiciſ-  
 ſim cauebo per omnem uitam, ne quid cōmittam,  
 in quo uidear uiolare pietatem, quam tibi debeo.  
 Bene uale.

Hieronymo B. Philippus Melanch-  
 thon. S. D.

Periuicunda mihi fuerunt literæ tuæ, Hierony-  
 me ſuauiſſime, quòd mihi memoriam noſtri ſum-  
 ma cum beneuolentiā te retinere cſtendis. Mi-  
 rificè me cōſtantia tua in amicitia delectat. Neq;  
 uerò difficulter fidem præſtant hi, qui neq; mer-  
 cedem præſtolantur in amicitia, neq; cæco impetu  
 ferūtur: ſed uirtutis atq; humanitatis cauſa colunt  
 amicitias. Semper autem animaduerti, nullam a-  
 liam ob cauſam te expetere noſtram conſuetu-  
 dinem, niſi quòd ingenij ſuauiſſitas inuitat te ad  
 complectendos ſtudioſorum tuorum ſocios. Ego ui-  
 ciſſim perpetuo quodam iudicio meo in amicitiam  
 te recepi. Videbā enī te non ſolum delectari his

meis studiis, sed uelut ab ipsa natura ad humanitatem factum esse. Nec me iudicium fefellit. Nam postquam familiariter introspexi ingenium tuum, mea de tua uirtute ac fide opinio ualde confirmata est. Quamobrem, quoad uoles, hanc in amicitia conseruabo. Te q̄q; adhortor, ne sinas ulla aut temporum aut fortunæ iniuria obrui atque extinguī. Vale.

Sodali suo carissimo H. Firerius  
S. D.

Cognoui te à pueris semper fuisse bonarum literarum admodum studiosum, & ingenio acri. Cum te autem propter suauitatem morum unice semper amauerim, non possum facere quin de studiis tuis interdum cogitem. Postquam autem scholæ in patria nescio quo malo fato desertæ sunt, & studia literarum nunc frigent, uehementer doleo deesse tibi præceptores ad formandum ingenium tuum idoneos. Quare duxi hac de re meum consilium scribendum esse: quod, te rogo, ut in bonam partem accipias. Nihil enim præscribo: sed singulari quodam amore tui adductus sum, ut quod tibi maxime profuturum arbitrabar exponerem. Plurimum refert, à teneris rectè institui in optimis. Eius rei magna facultas est in nostra Academia, in qua florent omnium artium ac disciplinarum studia: & cum eloquentiæ, tum philosophiæ professores

fores habemus non contemnendos. Ad hoc accedunt & sacrae literae, quarum homini Christiano cognitio necessaria est. Valde igitur optarem te huc quàm proximè aduolare. Quae de re ages cum patre tuo: qui etsi sumptus fortasse metuet, tamen expugnari poterit à te, si diligenter & magnitudinem utilitatis exposueris, atq; ostenderis quantum studijs tuis hac profectio collatura sit. Bene uale.

Patri suo carissimo. H. F.

S. D. Sperabam me literas in Lipsicis nundinis Ianuarij à te accepturum esse. Ea spes cum me fessellisset, mirum in modum angebat. Sed paulo post liberaſti me omni sollicitudine molestiaq; Nā breui post reditæ sunt mihi literæ tuæ 10 Ianuarij. Fuitq; optatissimum atq; iucundissimum, quòd significas te bene ualere. Non dubium est mihi, quòd scribis te de mea salute sollicitum esse, cum nondum intellexeris quicquam certi de meo itinere. Facio enim coniecturam tui amoris: de meo uerò arbitror quoq; hac cura liberatum esse. Dedi enim ad te literas Stephano, in quibus historia est rerum mearum omnium. Quanquā autem non habebam hoc tempore certum tabellarium ad uos: tamen hanc epistolam dedi cuidam proficiscenti Norimbergam, qui si ad te peruenit, facile cognosces me nullam scribendi occasionem negligere. Scio enim

L S nullum

nullum officium hoc quidem tempore gratius me tibi facere posse: nec ego ulla re magis delector, quàm hoc genere epistolarum, in quibus quasi tecum coràm uidear colloqui. Et alit hæc exercitatio scribendi facultatem, de qua tu grauissimè admones, ut stylam exerceam studiosissimè: ac formam orationis, ad quam me præceptor adsuëfacit, retineam. Ego uerò consilium tuum suauissimum, pater, magnopere probo. Nulla enim res in studijs utin habet maiorem, quàm stylus: quem prælarè Crassus apud Ciceronem, uocat optimum dicendi effectorem ac magistrum.

De genere autem orationis ita statuo, procul adhuc me ab ea forma abesse, quam expecto: et ad quam effingendam, acerrimo studio, summa cura, deniq; omnibus animi atq; ingenij uiribus nitendum mihi esse intelligo. Et contigerunt mihi Dei beneficio ad hanc studiorum rationem duces probabiles. Quare tibi optima fide polliceor, me operam daturum, ne adhortationem tuam aut illorum præcepta contempsisse, et in tanta occasione discendi mihi defuisse uidear. Bene uale.

Patri suo A. R.

S. D.

Cum omnino literas à te ex Lipsico mercatu expectaremus, uenit abs te Nicolaus missus, quem  
non



non secus ac uiuam epistolam maximā cum laticia omnes excepimus, qui quidem uberius res omnes domesticas exposuit, quā à te præscribi, præsertim tanta occupationum mole, poteram. Itaq; hoc tuum officium non minus nobis gratum fuit, quā solent esse literæ tuæ, quibus nihil iucundius atq; carius contingere potest. Intelleximus ex Nicolao, uos Dei beneficio rectè ualere. Id maximā nobis uoluptatem attulit: & precamur Christum, ut uos omnes diu saluos atq; incolumes seruet. Mitterem tibi meorum studiorū specimen: si id quod in manibus habeo, absoluissem. Institui enim carmen, iussus à domino Philippo, in quo uituperem Cochleū, quod hospitem Alesium indignis modis tractet. Nec ago eam fabulam eo nomine: sed ipsius Alesij personā repræsentō, ne mihi\* per bellum accersam cum homine maledico. Tantum styli exercendi causa ludo. Id uidebar maiore cum fructu facturum in materia primū honesta, deinde facunda, quæ plurimū recepit ornamentorū: sed sum ineptus, qui carmen nunc prædico, priusquā uideris. Verū non ignoras genus poeticum in primis esse φιλαρτον. Nec quisquam est, ut inquit Catullus, quem non aliqua in re uidere Suffenum possis. Bene uale.

Parenti

Parenti suo carissimo I. w. R.  
S. D.

Nullus mercator ex nundinis Lipsicis tam aui-  
dè lucrum expectat, quàm nos solemus literas tuas  
expectare: uerùm præclarè satisfecisti nobis mis-  
so Nicolao. Itaq; tibi agimus gratias ingentes pro  
hoc tuo officio, quòd libros nobis, quos uoleba-  
mus curasti. Magnum onus imponi nobis intelli-  
gimus, ut demus operam, ut tuæ summæ liberalitati  
nostra in studijs diligentia respondeat. Atque ego  
quidem polliceor, me pro uirili officium facturum  
esse: pudet planè uersuū, quos tibi nuper misi men-  
dosissimos, ac factos non propitijs musis. Nam  
cum Ambrosius hinc abiret, non concedebat emen-  
dandi spaciū. Misimus tamen non ut uersus ipsos,  
sed ut studium atq; assiduitatem meam tibi proba-  
rem. Bene uale.

Sturno H. B.  
S. D.

Et si mihi literæ tuæ gratissimæ fuerunt, doctis-  
sime Sturne: tamen dicam uerè quod res est, pu-  
duit me in hoc officij genere anteuertere. Nam cum  
de me præclarè meritis sis, decuit me multò antè  
specimen aliquod meæ erga te gratitudinis mitte-  
re. Malo autem simpliciter fateri culpam, apud te  
hominem prudentissimum, quàm desidiæ meæ præ-  
texere ineptam aliquam excusationem. Illud tan-  
tum

tum oro, quamlibet aliam causam tam diuturni silentij, potius esse dicas, quàm obliuionem tuorum meritorum aut ingratitudinem. Haberem enim plus quàm ferreum pectus, si huiusmodi beneficiorum obliuisci possem. Etenim etsi omnes pari fide summa docuisti: tamen uisus es me summa semper beneuolentia complecti. Quare tibi multo plus debeo, quàm ceteri commulitones mei, ac uelim tibi persuadeas summa te pietate à me coli. Atq; ego, ut hunc meum animum re testari malim quàm uerbis, si fortuna mea sineret. Quæ si olim dabit mihi facultatem referendæ gratiæ, perspicies clarius beneficia tua apud gratissimū hominem posita esse. Interim has literas ceu *συγγαφὴν* mei erga te officij habebis. Quòd uerò te amanter me ad studia hortaris, gratissimum mihi est. Nec dubitas, quin plurimum apud me ponderis adhortatio habeat cum propter auctoritatem tuam, tum propter tuū erga me amorem. Cui enim de studijs libentius assensiar quàm tibi homini doctissimo? et tum propter ætatem atq; usum maximè intelligenti uim ac dignitatem literarum? Deinde si est humani ingenij amicorum monitis magis adfici, quàm aliorū: profectò apud me plurimum ualere debet eius oratio, quo mihi secundum parentem nemo fuit unquā amicior. Ex N. intellexi te tua epigrammata editurum esse: quod ut facias, te etiam atq; etiam adhortor.

tor, non solum ut nominis tui memoriam ad posteros extendas: sed ipsius Reipublicæ literariæ causa, cui plurimum utilitatis atq; ornamenti tua scripta adferent. Bene uale.

Ioanni Riurio H. B.

S. D.

Quod mihi mandas, ut cum ijs commercium habeam, quorum consuetudine melior fiam: improbos uerò et à literis abhorrentes fugiam, tanquam pestem: primum, ut debeo, magnas habeo gratias, quod tam officiosè res meas curas. Sequar autem hac in re Hesiodi cōsiliū, qui *πολυφιλίαν* improbat: quæ si unquam, imò maximè perniciosa est in his corruptissimis moribus. Cum paucis mihi familiaritas est, quibus utar socijs horum nostrorum studiorum: quæ res quantum profint, admonet nos sapientissimus uates, cū ait: *οὐντε δὲ ὄρχομενῶν*, nosti enim uersum.

De sodalitia meo facîle potes coniecturam facere, pro tua singulari prudentia ex hac oratione mea: in qua si quæ comparent notæ doctrinæ et studij, intelligi potest, nihil esse mihi negocij cum ijs, qui per inertiam omnia honesta studia fugiunt. Bene uale.

Patri

Patris carissimo N.

S. D.

Charissime pater: Et præ epistola tua, et præ uia  
tico misso, tibi gratias ago. Noui nihil audiui his  
diebus, quod dignum literis uideretur: nisi quod  
Dryander scribit, se recens Moguntia apud Epia  
scopum fuisse: quem narrat Academiam nostram  
laudasse, qui Ecclesijs conseruat studia: ac dete-  
statum esse negligentiam quorundam Episcopo-  
rum in scholis tuendis. ac dixisse, magnas et Ethni-  
cas tenebras in Episcoporum ditionibus ex ea in-  
scitia secuturas esse. Hanc narrationem, quia tibi  
non iniucundam fore arbitrabar, scribendam esse  
duxi. Et æternum patrem Domini nostri Iesu Chri-  
sti fontem sapientiæ oro, ut mea & publica studia  
regat: & te, carissimā matrem, & dulcissimos fra-  
tres & sororem seruet incolumes. Bene et feliciter  
uale, Die 22 Maij.

### Commendatoria.

Etiam si nulla mihi uobiscū intercedit noticia:  
tamen cū intelligerē Adamū nostri fortunas oēs in  
magno discrimine positas esse, nō dubitauī ad uos  
scribere, præsertim rogatus ab Adamo. Idq; ut bo-  
ni consulatis oro. Non dubito quin Adamum pro-  
pter eximiam ingenij modestiam, fidem & dili-  
gentiā in omni genere, postremò etiā propter eru-  
ditionem

ditionem non uulgarem ametis. Itaq; spero uobis eius negocia ac salutem curæ fore. Sed tamen ut intelligatis, quam opere expetat uestrum consiliū hoc tempore, et quantum sibi præsidij in fide et amicitia uestra positum esse existimet contendit à me quoq; , ut suam causam uobis commodarem.

Quæso igitur ut optimum iuuenem tueamini aduersus curatoris iniquitatem. Totum negocium exponet uobis ipse in suis literis. Huma. animi est, ad fici periculo animi tanto. Tribuit autē uobis summam humanitatem Adamus. Quare rem dignam feceritis homini docto, et officia humanitate mentiente, si confugientem ad uos Adamum defenderitis. Tali ingenio est Adamus, ut pollicear gratū fore. Hæc scripsi, adductus beneuolentia erga Adamum, et commemoratione uestrarum uirtutum ac doctrinæ, quas liberalissimè prædicat Adamus. Valete.

Amico suo Hieronymus B.

S. D.

Statim ut huc redij, bibliopolas acceßi, exploraturus quid adferrent nouorum librorū. Ibi cum de Bembo audio, mirificè gauisus sum, non solum quòd mihi arbitrabar contigisse, ut frui elegantissimis eius uiri scriptis possem: sed etiam ut fidem meam apud te liberarem, tibiq; promissum munus mitterem. Sed cum iubeo promi, narrat bibliopo-

ia se

la se subito uendidisse omnia exēpla. Non credat,  
quā ipse mihi succensere coeperim, quod serius  
aduēissem. Inueni tamen apud comilitonem quen-  
dam meum: quod quidem sic amabat, ut nulla pe-  
cunia ab eo impetrare potuerim. Sed expugnaui  
eum mentione tui nominis. Etenim cū tua in stu-  
dijs illustrandis atq; ornandis diligencia ac fides  
minimē sit obscura, neminem existimabis nostri or-  
dinis, qui te non propter uirtutem ac doctrinam  
tuam plurimū amet. Mitto tibi codicem, ut a-  
liquod habeas meae amicitiae *μνημόσυνον*: quod  
spero tibi non solum propter scripti elegantiam  
sed etiā propter nostrā amicitia fore gratissimū.  
Equidē agnosco, me tibi pro tuis immortalibus be-  
neficijs, non minus quā parentibus ipsis debere.  
Quamuis autem in referenda gratia non possum  
tecum paria facere: tamen efficiam ut intelligas,  
me animo erga te gratissimo esse. Philippus polli-  
citus est se eius rei, de qua collocuti sumus, occa-  
siones summa diligencia obseruaturum esse. Intel-  
ligo eum de ingenio tuo ac studijs tuis honorificen-  
tissimē sentire. Bene uale.

Patri suo charissimo. S. D.

Charissime pater. Et animi gratitudinem tibi  
perpetuam, Deo iuuante, praestabo: & nūc pro pe-  
cunia missa gratias ago: perficiāq; summa diligen-  
tia, ut mei mores & studia tibi probentur, ut sepe

M

tibi



mibi illud Epaminundæ dictum propono, qui inquit hunc se maximum fructum suorum laborum capere, qui adhuc haberet parentes spectatores suæ gloriæ, qui uerè letarentur filij uirtute. Iudicauit enim dulcissimum esse, probari à parentibus. Mihi quoque summæ curæ erit, ne ulla in re uoluntatem tuam offendam.

Inchoaui Iuris studium, quod felix & faustum sit, nec tamen exercitia linguæ Latine & Philosophiæ omittam. Scio enim hac doctrina illustrari scripta Iurisconsultorum. Expectamus autem tuum aduentum, ut de tua sententia eligatur aliquis, qui me familiariter docere possit. Bene uale.

### Alia.

S. D. Charissime pater. Etsi magister Erasmus in patriam profectus est: tamen studia doctrinæ non intermitto. Abiturus enim adiunxit mihi suum conterraneum doctum & modestum uirum, cum quo repeto doctrinam de circulis celestibus & exercitia computationum, quæ necessaria sunt ad loca Planetarum inuenienda. Incæpi autem & institutiones quæ continent elementa Iuris audire, quæ cognoscenda sunt non ideo tantum, ut ad firum & ad lites instrua-

mur,

nam: sed multò magis ut ciuilia officia & me-  
tas rectius intelligamus, & ordinem iusticiæ in o-  
mnibus actionibus magis custodiamus. Spero me,  
Deo iuuante, utilem laborem in utroque gene-  
re sumere. Nam cognitio cœlestium motuum de-  
ducit mentes ad naturæ & Dei opificis conside-  
rationem, & legum sapientia mores gubernat.  
Et olim in Republica, Deo iuuante, instructus, hac  
arte melius seruire cõmuni uitæ poterò. Scio au-  
tem sine auxilio Dei nullius hominis cursum feli-  
cem esse. Ideo Deum æternum Patrẽ Domini no-  
stri Iesu Christi oro, ut & te & nos omnes regat  
& defendat.

His diebus Poloni hîc fuerunt, qui magnos a-  
ceruos librorum theologicorum emerunt, ut eos  
in Poloniam uehant. Hos audiui in mensa nostra  
narrantes multos doctos & nobiles uiros in Po-  
lonia piè amplecti doctrinam Euangelij, & uera  
inuocatione Deum colere. Quare etiam si Germa-  
niæ Ecclesiæ dissipabuntur: tamen lux Euangelij  
non exstinguetur. Deus te & carissimam ma-  
trem, fratres et sororem seruet in-  
columes. Vale.

## Doctrinæ ueræ commendatio.

S. D. Et si antea uerbis qualemcunq; tibi significationem ostendi gratæ mentis: tamen ut me perpetuò circumferre in animo & uirtutum tuarum, & beneficiorum quæ in me contulisti, memoriam tester: hanc etiam epistolam ad te scribendam esse duxi, quam uelut obsidem perpetuæ uoluntatis meæ apud te esse uolo. Nam mihi nihil prius est, quam ut patris mei & præceptorum beneuolentiam recorder & tuear. Sæpe autem mecum de literis, & de tota uitæ humanæ gubernatione cogitans, & meam et reliquæ iuuenutis stulticiam deploro: qua non satis intelligimus, quantum bonum sit uera & salutaris doctrina, qua homini nihil melius à Deo datum est. Nam hæc nos ad Deum reducit, & imaginem Dei in nobis restituit. Profectò statuendum est, post Deum plurimum deberi fidei præceptoribus, qui & custodes sint in terris rei optimæ, & diuinū munus nobis incorruptum impertiunt. Et quidem in hac schola non solum eruditio docentium, sed etiam eorum fides, assiduitas, constantia in perficiendis multis magnis laboribus, quarum uirtutum spectatores simus, nobis prædicanda sunt.

Reliqua pars huius epistolæ defuit. nam describenti eam, quidam in absentia totum exemplum huius epistolæ abstulit.

René-

Reuerendo uiro, eruditione & uirtute  
præstanti, D. Georgio Buchholtzero, pa-  
stori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa,  
fratri suo colendo, Philip-  
pus Mel. S. D.

Reuerende uir, & charissime frater: scio hoc  
tempore inclytum principem Electorem, et curis  
& negocijs maximis occupatū esse: & oro filium  
Dei custodem Ecclesiæ, ut gubernet consilia prin-  
cipum. Sed tamen cū uoluerit inclytus Elector,  
me responsionem de Stancari controuersia mitte-  
re, scire cupio an acceperit. Si legisti, uides mul-  
tas magnas res in quæstione illa contineri: teq; o-  
ro, ut significes mihi, an exhibitum sit scriptum  
meum Illustrissimō Electori, & quod sit tuū iu-  
diciū. Hic tabellarius Rostochium profecturus  
est, missus à senatu Norinbergensi, ut accersat do-  
ctorem Ioannem Aurisfabrum. Quæso ut cures  
nuncio indicari iter ad Rostochium, ab ijs qui no-  
runt. Mitto tibi concionem Mathesij. Bene uale,  
& rescribe per hunc tabellarium, quem in reditu  
iussi literas à te flagitare. Die natali Mariæ uirgi-  
nis matris, quam scribit Nicephorus ui-  
xisse annos nouem & quin-  
quaginta.

Cuiusdam excellentis & docti iuuenis  
epistola, ad suum Tutorem  
scripta.

Non dici potest, charissime Tutor, quàm mihi iucundæ fuerint literæ tuæ: quæ non tantum officij ac studij erga me tui plenissimæ erant, uerùm etiam salutarem ad pietatis studium & honestarum rerū cohortationem adferebant. Quare tantum profectò mihi addidisti calcar, ut ex animo cupiam meam tibi probare diligentiam: ac efficere, ut tuæ uoluntati mea officia cumulatè respondeant. Etsi quidem benemeritis gratia est referenda, nec tuo gratius officio nunquam mihi accidit quicquam: ego quoque, quantum possum pro pio in me studio, toto pectore tibi gratias ago, quòd tanta me beneuolentia complecteris, & optimi parentis uicem tam diligenter & studiosè agis. Porro etiã te uehementer rogo, ne quid prætermittas, quod ad me pertinere existimabis: commonefacias sedulò, ut retineas in officio eum qui tuæ fidei est commendatus. Id ego ut hætenus à me factum esse censeo, summi beneficij loco ducam: & tuis monitis lubens obtemperabo, ne quod pupilli officium desiderare queas. Et utinam omnes sic statuerent, nihil esse magis conueniens nostro ordini, ac pulchrius, quàm aures præbere benignas

Ispica.

sapienter consulentibus: in me certè eam sententiam tua grauissima præcepta nõ mediocriter confirmant: quoniam, quantum reserat à teneris rectè adfuescieri, intelligo. Perge modò mi Tutor, ut, si qua (ceui nullia homini accidunt) displicebunt, reprehendas. Non temerè dictum est à sapiente: Meliorem esse manifestam reprehensionem occulta dilectione: & fidelia uulnera diligentis, quàm oscula inimici contumeliosa. Quæ sententiæ omnium animis infixæ esse debent: ut intelligamus, multum nos debere ijs, à quibus non uitæ, sed rectè uiuendi principia accepimus. Maxima dicamus beneficia ea, quibus ad ueram pietatem erudimur: ea, quia abs te mihi sedulò sunt præstita, facile agnosco, quantis tibi sim deuinctus nominibus: & quàm mihi sit difficile, tecum certare officijs. Id uerò agam quod mei muneris esse censeo, ac omnibus conuictar uiribus, ut tui amoris qualem cunq; percipias fructum, & in pupillum gratissimum tantum te contulisse officiorum intelligis, ut uehementer gaudeas. Vale mi Tutor, & me ut ames cura.

Patri charissimo suo N. N.

S. D. Charissime pater, non dubito te & alios multos honestos homines ualde consternatos esse Lutheri interitu, & quia ipsum propter egregia merita erga Ecclesiæ boni omnes dili-

gunt: & quia metuendum est, maiores fore dissipationes Ecclesiarum, postquam tantus gubernator à specula sua remotus est: tamen cum filius Dei dixerit, Non reliquam uos orphanos; hac nos uoce consolemur, & à Deo defensionem & gubernationem petamus & expectemus. Te quoque oro, ut à luctu animum abducas: ac potius, quod sæpe facis, cum Ecclesia tuas preces coniungas. Quod uerò me hortaris, ut doctrinam Theologicam rectè discam: talem mihi patrem gratulor, qui mea studia referre uult non ad questionem, sed ad illustrandam gloriam Dei, & ad mores meos honestè pieque regendos. Hunc mihi studiorum finem cum semper proposuerim, gaudeo meum consiliū cum tuo congruere. Et Deum sapientiæ fontem oro, ut me gubernet. Sæpe toto pectore execror Cyclopes illos, & Epicureos, qui cum se Deus tot illustribus testimonijs patefecerit, tamen eum contemnunt, & nec impiorum poenis terrentur: nec immense bonitatis cogitatione mouentur, quam Deus ostendit prodiens ex suis arcanis, ubi sese humano generi patefecit. O ferrea pectora, quæ tantas res negligunt. Me uerò, quantum possum, ad ueram agnitionem & inuocationem Dei exuscito, & doctrinam à Deo traditam rectè & integrè discere conor, ut sim in hoc cœtu de quo scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem.

Oro



Oro etiam Deum, ut meam sororem seruet incolumem, et adiuuet ut feliciter pariat. Postremò rogo, ut telam mihi ad faciendum thoracē et caligas mittas. Bene uale.

### Alia.

Charissime Pater. Postquam huc nunciatum est, quatuor & uiginti horrea incendio periisse, quorum pleraq; adhuc frumenti plena fuerunt: et in his tuum horreum unā conflagrasse, ualde consternatus sum: & incœpi (ut fit in dolore) gemens & lachrymans, animo repetere detrimenta quæ antea accepisti, et publicas difficultates huius temporis, ac nostræ ciuitatis inopiam: quarum rerum omnium cogitatio mihi mœsticiam ualde auxit. Moueor & priuatis & publicis incommodis: sed multo magis de te & matre sum sollicitus, ac uereor hanc mœsticiam uobis morbum aliquem allaturam esse. Etsi autem scio te uirum præstanti uirtute & robore animi præditum, res aduersas moderatè ferre: tamē ad te scribendum esse duxi, quo te hortarer, ut uel propter matrem tuam dolorem fortius reprimas, & illam erigas illis consolationibus quæ nobis in cœlesti doctrina proponuntur, quas optimè nosti. Castigat nos Deus, non ut funditus nos opprimat: sed ut ad inuocationē nos exuscitet. quam si præstabimus, Deus hæc damna nobis sarciet: ut & lobo & multis alijs amissas facultates

cultates restituit. Hæc & sæpe cogitato, & matri recitato, eamq; à cogitatione huius aduersi casus tua suauitate abducito. Ego quoq; Deum orabo, ut leniat uobis difficultates omnes propter filium suum: quem ad nos misit, ut foedus cum humana natura faceret, ut hac æterna copulatione testaretur se uera cura adfici generis humani. Bene uale.

### Alia.

Charissime pater: Cùm sciam te pericula præsentia ante aliquot annos præsensisse: spero te etiam præparasse animum ad ea sapienter ferenda, quæ iam accidunt. Teq; oro, ut te ab dolore abducas, quantum omnino potes: & cogites, nec omnia humanis consilijs regi posse, & uoluntatē Dei esse ut petamus, ut ipsæ res inextricabiles sua mirabili bonitate extricare uelit. Spero certè nūc exauditurum esse gemitus nostros. Hoc igitur cogitabis, ubi filius Dei inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hanc meam commemorationem, etiamsi non est necessaria, tamen scio tibi nō ingratam fore. Nec argumentum aliud hoc tempore habebam. Ex Hamburga scribitur, Gallum inferre bellum Anglis tanta classe, quanta in ea Oceani parte nunquam uisa est. Cætera desiderabantur.

Alia.

Charissime pater : Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi gratias ago , quòd te reduxit domum : ac toto pectore eum oro , ut nos omnes immensa misericordia sua seruet & regat. Nisi enim auxilio Dei iuuemur , neque coetus hominum seruari , neque uitam tueri singuli possunt. Adfirmat autem filius Dei , se custodem & Ecclesie & omnium inuocamentum esse. Et sicuti in beaterna concione de Samaritano audiuius , imponit nos filius Dei suis humeris gestandos , sicut ille Samaritanus saucium uiatorem iumento imposuit : & sua manu uulneribus nostris medetur. De studijs meis uoluntatem tuam sequar . Ego quidem decreui Iuris doctrinam discere , & in ea uocatione Reipublice aliquando seruire : si tamen & sententia & authoritate tua hanc meam uoluntatem probabis , & tua beneficentia me adiuuabis . Ac oro filium Dei , ut totum uitæ meæ cursum regat. De negocijs publicis , etsi multa hic feruntur : tamen hanc unam historiam literis dignam esse iudicauì , cuius lectionem tibi etiam non iniucundam fore speraui . Venit huc quispian ex Gallia nobilis uir ac doctus , qui narrat honestissimam matronam uiduam Budæi , unà cum filiabus Lutetia migrasse ad Caluini Ecclesiam , ut ibi & uocem Euangelij audiat : & lon-

gius absit à seuitia, quæ in regno Gallico aduersus  
Euangelij studiosos exercetur. Hoc exemplo ma-  
trone ualde moueri multos homines in Gallia,  
idem affirmat: propterea quòd mortui mariti sui,  
doctissimi & grauißimi uiri, iudicio existimatur  
hanc doctrinam amplecti, de qua ipsum multa piè  
differuisse ante mortem constat. Nos quoq; talibus  
exemplis confirmemur: neq; fracti animis, confes-  
sionem ueritatis abijciamus. Deus æternus pater  
Domini nostri Iesu Christi, seruet te, & carissimã  
matrem nostram, & fratres & sororem. Bene ua-  
le: Die 16 Septembris.

Clarissimo pariter & doctissimo uiro,  
D. Ioanni Hesso, theologo eximio,  
& patrono suo, P. Mosel-  
lanus S.

Puer ille Ioannes Seidliceus, quẽ superiore an-  
no nobis accuratè commendasti, iam sumptum fe-  
cit hìc annum totum et amplius, Camitiani, homi-  
nis ut mihi egregiè amici, sic insigniter docti, con-  
uictu. ei enim adolescentulum curandum com-  
mendaram. Sumptus autem quos fecit hactenus,  
surgunt in aureos quadraginta. nam tantum ex-  
pensum est pro cibo, potu, uestib. libris, medicinis,  
sine quibus uita humana transigi non potest. Iam  
tu cogita quàm indignum sit, bonum uirum Cami-  
tianum

tianum puero diutius credere. Semel atq; iterum scripsit super hac re Mattheolo nostro, scripsit et alijs, sed haftenus frustra: ut planè suspicio est mihi et Camitiano oboriatur, aliquid monstri alii nempe adolescentem natura praeferoce, à patre subinde pecuniam quidem accipere, sed magistro suo non numerare: ut est iuuenus ad eas artes plus satis ingeniosa. Iam cogitare facile potes, hinc periclitari fidem cum meam, tum maxime tuam. Tu mihi bona fide commendasti puerum: ego eadem tradidi Camitiano erudiendum. Iam officij nostri est, operam dare, ut quod debetur homini, persolvetur. Bonus est uir, nec minus doctus et fidus. Urge itaq; patrem, ut creditum soluat. Porro quòd ad adolescentem attinet, Camitianus negat ultra se eius curam gerere aut uelle, aut posse. In causa est adolescentis incredibilis ferocia: quam frangere, quando flecti non potest, saepe frustra conati sumus multi. Breuiter, ut est adolescens egregie ingeniosus, sic indomitus. Discit tamen, Martè interim spirans. De rebus nouis nihil, nisi quòd regem Galliae aiunt magno exercitu in Allobrogum finibus castra metiri. Quo consilio, quà uel spe, nescitur adhuc. Martini res in tumultu sunt. Ipse nescio quò abductus est ab amicis, ne praeda fiat hostibus. Retum facies tota mihi displicet: sed fiat uoluntas Domini. Vale, Lipsiae, 1521. pridie corporis Christi.

Erudi-

Eruditione & uirtute præstanti uiro, M.  
 Andree Kegel, gubernanti studia litera-  
 rum in oppido Eisleben, amico nostro:  
 Rector, Magistri & doctores Aca-  
 demie Vitenbergen-  
 sis S.

Valde dileximus uirum clarissimum Casparum  
 Crucigerum, doctorem Theologie, socerum tuum,  
 collegam nostrum, propter ingenij, eruditionis et  
 uirtutis præstantiam: ac dolemus, & nos & Eccle-  
 siam uoce ipsius eruditissima & consilijs orbatam  
 esse. Quamquam igitur Academia nostra tecum lu-  
 get eius mortem: tamen hac consolatione leniamus  
 moestitiam, quod non dubium est eum in Acade-  
 miam multo pulchriorem & tranquilliorē ab-  
 ductum esse, uidelicet ad consuetudinem Dei, & se-  
 lij eius Domini nostri Iesu Christi, in coetum An-  
 gelorum, Patrum, Prophetarum & Apostolorum:  
 cum quibus iam dulcissime de ea doctrina, cuius  
 hic elementa didicit, colloquitur. Memoriam igi-  
 tur ipsius grati conseruamus, & beneuolentiam  
 erga eum liberis ipsius præstemus: quod te qui-  
 dem præcipue facere decet: cui cum famulam uir-  
 tute & forma præstantem, quam ualde diligebat,  
 desponderit, ostendit se de te quoque amanter senti-  
 re. Cum autem diuisio hereditatis iuxta testamen-  
 tum, quod socer iudicauit æquum esse, facta sit,

et tua coniunx suam partem ex hereditate ad te adferat: te uicissim hortamur, ut (quod iustissimum est) uicissim et donationem propter nuptias constituas: et in hac re honestissima cum iusticiam coniugi debitam, tum uerò pietatem erga socerū declares, quem te quidem propter adfinitatem patris loco uenerari et amare existimamus. Nos uero excellens ingenium eius, eruditionem, iudicii dexteritatem, grauitatem et pietatem tanti facimus, uix ut desiderium eius lenire in nobis possimus. Bene uale, die conuersionis Pauli, 1549.

### Adolescentis cuiusdam.

Sæpe decreui ad te aliquid literarum dare, amice charissime, et specimen tibi studiorum meorum exhibere. Ideo gaudeo mihi nunc commodissimum argumentum oblatum esse. Nam cum pro uocaris me ad scribendum, misso manere: non solum ingratus, sed etiam impius essem, si tibi nullam gratitudinis significationem uicissim ostenderem. Adhæc pater in proximis literis iussit, ut tibi gratias agerem. uult enim nos non solum literas, sed etiam communia hæc officia diligenter colere. Gratissimum igitur nobis tuum beneficium est: et quia nobis necessarium est, et quis declarat, te de studijs nostris bonam spem habere. Gaudemus etiam, tua liberalitate sumptus nostros



nostros leuari, quos pater in nobis docēdis iam facit nō exiguos. Ago itaq; tibi gratias: ac polliceor, me, quantum ingenio ac diligentia pręstare possum, daturum esse operam, ne te beneficiorū tuorum pœniteat. Vaie.

Marchionis Brandenburgensis Electoris  
ad Sigismundum Polonię regem  
Epistola.

Sereniss. atq; inclyte Rex, & carissime pater, cum scirem Regiā dignitatem uestram ut ceteris heroicis uirtutibus, ita & amore Christianę pietatis ac ueritatis excellere: non dubitavi ad eam de mea uoluntate scribere, me pio consilio, & ea moderatione quę Christianū principem decet, in Ecclesijs meę ditionis quędā manifesta uitia correcturum esse. Quam in re non populi affectib. aut alienis exemplis moueor: sed existimo ad eorum officium pertinere, qui pręsunt, inspicere Ecclesiam, pręsertim tali tempore, cum dissensionibus motis præfici idoneos doctores necesse est: & ratio incunda, ut ueris modis autoritas religionis & disciplinę retineatur. Eaq; moderatione uti decreui, ut non solum nihil contra Catholicam Ecclesię Christi sententiam recipiam, à qua nulla unquam uis me auellet: sed etiam ne quid auctoritati Episcoporum detrahā. In hanc sententiam cum Germanicē ad R. V. D. nuper scripserim, fortasse  
quidam

durius interpretati sunt literas, nec satis exposuerunt R. V. D. consilij mei rationem. Quare accidisse iudico, ut paulo aliter quàm expectaram responderetur. Cum autem R. V. D. ea pietate amare & colere perpetuò decreuerim, quam filius optimo debet patri: maximè cupio cum reliquam uitam meam, tum uerò & consilia mea in Republ. R. V. D. probari. Itaq; duxi copiosius R. V. D. exponendam esse meam mentem, & purgandam inconstantiæ aut mutati iudicij suspicionem. Proinde rogo, ut hanc meam Epistolam paterno animo R. V. D. legat: sibiq; persuadeat, me ab officio filij nunquam discessurum esse. Semper ita sensi, nullum esse maius decus, quàm in uera religione, ueròq; cultu Dei constanciam. Quæ sententia sic est infixæ animo meo, ut non simulatis aut fucosis officijs, sed uerè colendam esse Christianam pietatem semper statuerim. Quare non rarò deploro Ecclesiæ morbos cùm ueteres, tum nouos: & ardentissimis uotis emendationem optaui. Nec enim negari potest, quosdam etiam ueteres morbos in Ecclesia hæere. Disciplina uetus laxata est, multæ superstitiones in tanta pontificum negligentia & pastorum inscitia receptæ sunt. Nonnihil etiam præsentis discordiæ concusserunt Ecclesiam. Ego igitur hætenus eam grauitatem præstiti, ut nec abusus probarem, aut crudeliter defende-

N rem, ut

rem, ut faciunt alij: nec fanaticis opinionibus in  
mea ditione locum præberem. Habeo utriusq; rei  
honestam, grauem & piam causam, nec muto hoc  
iudicium. Cumq; uideo opus esse ut sanciatur disci-  
plina, & præficiamur ut Ecclesijs boni doctores,  
suscepi eam curam, ut sciat populus in tantis di-  
scordijs, quid amplecti, quid fugere debeat. Qua  
in re quedam in utraq; parte ita moderor, ut à ca-  
tholica Ecclesia Christi non discedam, nec de au-  
toritate Episcoporum quidquam detrahā. Nam  
nisi aliquid moderari uelim, manifesta flagitia pro-  
banda essent, & iniusta sæuitia exercenda: quarū  
utrunq; ab ijs alienissimum esse debet, qui uerè, nō  
simulatis aut fucosis officijs religionem colunt.  
Hæc cum ita sint, spero me constantiam præstare  
dignam bonis uiris, & uerè amantibus religionē.  
Nusquā enim discedam à scopo, uidelicet à sēmen-  
tia catholica Ecclesiæ Christi. Quòd uerò mihi  
exempla quorundam uicinorum principum pro-  
ponit R. V. D. qui multam mutationem aduersarūt:  
sæpe cū illis ipsis de tota religione collocutus sum.  
idemq; uterq; optabat, ut æquitate pomificia resti-  
tueretur Ecclesiarum concordia, emendatis qui-  
busdam abusibus. Socer meus etiā paulo ante mor-  
tem grauiss. de ea re deliberationes habuit. Vide-  
bat enim solitudinem fieri in Ecclesijs suis, nisi uel-  
let iniustā sæuitiā exercere: à qua abhorrere eum,

ut erat iusticie amans, animaduerti. Nec moderationem illam iudicabat esse aut secessionem ab Ecclesia, aut seiunctionem ab ijs qui præsunt, aut à reliquo nomine Christiano. Quare existimet R. V. D. me non ita in hanc causam ingressum esse, ut aliorum bonorum principum iudicia aut exempla non attenderim. Si qui autem fortasse aut asperiores sum, ut esse non multos uidemus, qui sine discrimine omnes abusus, omnia errata immanitate suppliciorum stabiliunt: horum exempla nec ante secutus sum, nec unquam imitanda esse duxi. Nec profecto cōsensum Ecclesiæ conpirationē esse, ad iniustā seuitiā exercendā, unquā existimaui. Quare etiā si leuior alicubi uideor, nō propterea uel ab Ecclesia, uel à reliquo nomine Christiano distinctus sum. Nā et uerū cōsensum catholicæ Ecclesiæ Christi amplector, q̄ extat in scripturis Apostolicis, in ueterib. canonib. et probatæ fidei scriptorib. et pollicitus sum me Synodo, si quādo ritē cōueniret, nō defuturū esse. Nec desunt mea officia ulla in re cōmuni trāquillitati. Nec fortūas tātū meas ad societatis defensionē Christiani orbis, sed etiā operā in re militari contuli antea, et adhuc offero. Nec à me ipse discedā, neq; unquā uoluntatē hāc mutabo. Quare si uoluptati fuit R. V. D. antea mea coniunctio et affinitas, quā quidem mihi dulciß. et honorificam esse profiteor: spero hāc quoq; meam uoluntatem

perpetuò iucundam R. V. D. esse debere, quæ semper habebit (Deo dante) generum amantem Christianæ religionis, concordie Ecclesiasticæ, tuentem consensum catholicæ Ecclesiæ Christi, synodis assentientem, abhorrentem toto pectore à fanaticis opinionibus, damnatis iudicio Ecclesiæ catholicæ, Christi gerentem arma pro communi nomine Christiano. An qui sic affectus est, accusari poterit desertionis Ecclesiæ? Aut illi uidentur potius coniuncti Ecclesiæ, qui sine ulla ueteri autoritate receptos abusus defendunt, ignotos ueteri Ecclesiæ: qui Neronianam seuitiam in pios exercent? Nos non uidemur, qui non nullo cum periculo tuemur uerum Ecclesiæ consensum: qui populo ueros cultus proponi curamus, & ab iniusta seuitia abstinemus. Spero planè iudicium & R. V. D. & Synodi nobis æquius fore, quàm ut moderationes & leuitatem nostram improbet. Quod uerò hortatur R. V. D. ut expectem Synodum: fateor me hæc consilia aliquandiu Synodi expectatione distulisse. Quid enim communi concordia optatius esset? Sed hanc moram Ecclesiæ expectare non possum, quæ interea dissiparentur, & in solitudinem ac uastitatem redigerentur, si eas non constitueremus. Explorata mihi est uoluntas Caroli Imperat. Domini nostri clementiss. quem scio magna contentione à Clemente & Paulo III. petiisse,

tiſſe, ut quamprimũ Synodus haberetur: & ritẽ  
 cognitũs rebus, concordia conſtitueretur. Sed Pon-  
 tifices non ualde appetunt Synodos, & fortaffe re-  
 gum iudicia non ſine cauſa metuunt: ſed tamen ſi  
 quẽ erit alioqui Synodus, non deerit ei meum offi-  
 cium. Habet R. V. D. meam purgationem, & per-  
 petuẽ uoluntatis teſtimonium. Illa pars Epiſto-  
 lę maiorem etiam dolorem nobis attulit, quẽ que-  
 ritur nos rem indignam à R. V. D. petiſſe: ac uide-  
 mus eam partem non in eam ſententiam intellectã  
 eſſe, in quam à nobis ſcripta eſt Nos ſemper, etiam  
 ante hanc noſtram affinitatem, laudare magnitu-  
 dinem animi & conſtanciam R. V. D. ſoliti ſumus,  
 quam poſtea multo magis eſſe prædicauimus.  
 Sed ſcio etiam R. V. D. ad hanc uirtutem adiun-  
 xiſſe alias multas, bono principe dignas: amorem  
 uirtutis, Chriſtianam pietatem, iuſticiam, clemen-  
 tiã: propter has uirtutes libenter meum conſiliũ  
 ſignificaui R. V. D. ac ſpero eam non improbatu-  
 ram eſſe hanc meam uoluntatem in moderandis  
 abuſibus quibuſdam: ob illam grauiffimã cauſam,  
 ne diſſipentur Eccleſiæ noſtræ. quod futurum eſ-  
 ſet, ſi manifeſta uitia defenderentur. Cum autem  
 cupiam conſuetudinem cariſſimæ coniugis meæ  
 mecum, ſuauiſſimam eſſe ipſi, quẽ ſemper fuit (&  
 Deo dante, futura eſt) perpetua, petiui ut ei con-  
 ſilium noſtrum exponeretur, quẽ quidem ita mo-

res meos habet perspectos, ut sciat me & religionis studiosum esse, & abhorrere ab iniustis consilijs. Cumq; in hoc nostro coniugio celebrari etiam Deum cupiamus, sepe preces coniungimus, sepe de diuinis mandatis, de spe uitæ æternæ, de beneficijs Christi colloquimur: in his sermonibus etiam pietas ipsius mihi magno solatio est. Si quis autem amet ritus, his suo arbitrio uti potest. Nam mihi maximæ curæ est, ut nostrum coniugium utriq; iucundum sit, & salutare: & Deum oro, ut utriusque mentem gubernet ad suam laudem. Oro autem & obtestor R. V. D. ut hanc nostram commemorationem boni consulat: & ut paterno amore nos complexa est, ita nunquam sinat animum tuum abalienari. Nos uicissim pietatem quam filius optimo patri debet, summa fide præstabimus: ac ualde rogamus, ut R. V. D. mittat aliquem huc, cum quo copiosius de his rebus colloqui possim, qui exponat coniugi meæ cariss. beneuolentiâ R. V. D. erga me nihil mutata esse. Bene ualeat R. V. D. quam Deus diu seruet incolumem. 1539, Mense octobri.

### De usu arteriarum disputatio.

Nisi cōsuetudo scholæ nobis nota esset, magno-  
pere uererer, ne me sumpsisse mihi hunc locum,  
aut



aut has dicendi partes impudentia aut fiducia ingenij iudicaretis. Sed quia scitis, præceptorum con filio hic quasi suas operas singulis attribui, quæ so ne de mea uoluntate aut natura secus suspice mini. Est enim necessarium, honestæ consuetudini, quæ discipline causa instituta est, morem gerere. Ego autem cum in omni uita, tum uerò præcipue hoc loco, magis cupio uobis mores meos et uo luntatem probari, quàm doctrinam et eloquen tiam. Et in hac imbecillitate ætatis, ne quidem re quirenda est eruditio aut facultas dicendi eximia, quæ etiam felicissimis ingenijs non potest contin gere, priusquam per ætatem licuit immorari stu dijs, et adiungere rerum usum, et iudicium acue re, et confirmari omni genere exercitationis. Etsi autem poeta tribuit adolescenti studium rerum magnarum, et generosam indolem, in quiens,

Ante annos animumq; gerēs, curamq; uirilem:

Tamen ante tempus iudicium firmum de magnis rebus et perfecta doctrina nemini coningit. Sed hæc consuetudo in his scenis instituta est exerci tij causa. Quare uos rogo, ut me patienter au diatis, idq; officium ad conseruationem publi ci moris pertinere existimetis. Et quia aliquid di cendum erat, institui breuē disputationem de hac

quæstione: Quem ad usum arteriæ inuenta sunt,  
 uenis meatibus per uniuersum corpus. Etsi autē  
 huius explicatio tota magis petenda est à medi-  
 cis: tamen cum harum materiarum initia & ele-  
 menta etiam in physicis tradantur, delegi hoc ar-  
 gumentum, adductus quodam studio paternæ ar-  
 tis, & ipsarum rerum suauitate. Quoties enim a-  
 spicio & considero opificium humani corporis,  
 ipsa me distributio artificiosa admonet, has ( ut di-  
 cam ) machinas in humano corpore nequaquam  
 casu, sed ab aliqua æterna mente extitisse. Sed ue-  
 nio ad quæstionem. Venæ orientes in epate, san-  
 guinem inde euehunt ad nutriendum corpus. Ar-  
 teriæ uerò sunt uehicula spiritus: eoq; densiores  
 canales sunt, ne spiritus exhalet. Græci aiunt, no-  
 men esse arterijs ab αἷς & τρω, quòd custo-  
 dianz halitum: hoc est, spiritum uitalem. Hæ pri-  
 mum ex corde oriuntur: & caput seu truncus, qui  
 & amplitudine & densitate uincit reliquam pro-  
 paginem, uocatur αἰόρτη. Huius appellationis pri-  
 mum autorem aiunt Aristotelem fuisse, sumptāq;  
 ferūt à uagina: quia ille canalis sit uaginæ similis,  
 hoc est densior & amplior cæteris ramis. aiunt  
 enim, αἰόρτη significare uaginam. Dicuntur au-  
 tem rami utriusq; canalis ita conserti esse, ut pas-  
 sim mutuis orificijs exilibus iungantur ad hunc  
 usum, ut arteriæ uenis impertiant spiritum, ad ca-  
 lefaciendum

lefaciendum sanguinem, ad nutriendum spiritum,  
 qui ut alatur, rapit sanguinē, sicut in lychno flam-  
 ma rapit alimentum ex oleo aut cera. Nam & san-  
 guis sine uitali calore aut spiritu, non esset efficax  
 ad nutriendum: & spiritus sine alimento citò ex-  
 tingeretur ac deflagraret. Qua in re subit admi-  
 rari imaginē diuinitus propositam, quæ admonet  
 nos de mutua officiorum communicatione. Nam  
 hic etsi nihil est nobilius spiritu: tamen sine benefi-  
 cio alieno, & quidem sordidioris naturæ, non po-  
 test durare. Ita principib. in republica opus est in-  
 firmiorum officijs, summæ artes ministerijs infima-  
 rum. Rursus spiritus in corde ortus, quem uehunt  
 arteriæ, addit uitam sanguini: sic gubernatores re-  
 gunt & tuentur populum: sic summæ artes tueri  
 debent inferiores, non eas opprimere. Porro illa  
 uicißitudo in arterijs non fit casu, sed habet guber-  
 natorem, uidelicet motum cordis: quo dilatatæ ar-  
 teriæ attrahunt, contractæ regerunt. Sed hinc  
 longior disputatio nascitur, quam omitto. Porro  
 contra hanc communicationem obijcitur: Arteriæ  
 an uideatur hæc communicatio uel necessaria, uel  
 perpetua. Quia autem hæc quæstio plena est eru-  
 ditionis, & utilis uitæ & moribus: rogo, ut eam  
 dominus Decanus nobis diligentius & ube-  
 rius explicet. Dixi.

## De Demosthene in Scholis prælegendo admonitio.

Toties admoneo, ad iudicandum de genere sermonis opus esse cognitione bonorum scriptorum, et quadam mediocri exercitatione scribendi. Est et eloquentia opus in Republica: et artes sine linguarum cognitione nullum lumen habent.

Quare ex Græcis authoribus Demosthenem potissimum uolui scholasticis in manibus esse, quod ex eo non solum lingua discitur: sed etiam ipsius dispositio, figura orationis, inuentio, consilia in dicendo, ualde acuiunt lectorem. Multa etiam ab eo ornamenta ad nostras materias transferri possunt. Denique in schola publica nullum esse locum Demostheni, admodum turpe uidetur. Sed ualde reprehendenda est negligentia scholasticorum nostrorum. Quotus quisque iam Græcè discit, aut suscipit præstantes authores? Rari studia uerè amant. Magna pars putat qualemcunque doctrinæ opinionem sufficere: quo errore nihil est perniciosius. Nondum tamen indico consilium de enarrando Demosthene. Quare hodie inchoabo enarrationem orationis περί νεοβίας: ad quam audiendam si conuenerint studiosi frequentius, pergam libentius. Certè Reipublicæ causa hunc laborem suscipio: et notos esse hos authores,

res,

res, propter multas grauissimas causas prodest.  
29 Augusti, Anno 1538.

Oratio à M. Marcello habita, cùm ei gra-  
dus magisterij decerneretur: De  
necessitate Stoica, di-  
sputatio.

Cùm pro eximia humanitate uestra, ornatissi-  
mi uiri, honoris nostri causa hìc conueneritis:  
peto à uobis, ut ad id beneficium, hoc quoq; adda-  
tis, ne me ingenij fiducia potius quàm officio addu-  
ctum, has dicendi partes suscepisse existimetis.  
Deinde ut iuuenilem orationem boni consulatis.  
neq; enim tam ridiculè ineptus sum, ut confidam  
me in hac et ingenij et ætatis imbecillitate quic-  
quam adferre posse dignum uestris auribus. Tan-  
tum officium meum probari uobis opto. Nihil  
enim ab incunæ ætate mihi prius ac potius fuit,  
quàm ut præceptorum authoritati religiosè parerem.  
Eamq; laudem non minus quàm doctrinæ ex-  
petendam bonis mentibus existimaui. Nec uerò  
dubito, quin et uos pro excellenæ sapientiæ uestra,  
magis à nobis diligentiam in officio, quàm eloquen-  
tiam requiratis, quæ ne mediocris quidem in ado-  
lescente existere potest. Mihi uerò, etiamsi has cõ-  
munes literas utcũq; gustauì, tamen aliqua ex par-  
te et natura repugnat, itaque cùm alij hìc enco-

mia artium dixerint: ego, quoniā neq; pro digni-  
 tate ornare Philosophiam, neq; noui quicquam in-  
 uenire potui, quæstionem huc adferendam esse du-  
 xi, ut leuaret fastidium uarietas. Nam id quoq; in-  
 more est, controuersias hoc loco dicere. Quæso  
 itaq; ut patienter me audiat. Præstabo enim ex  
 breuitate orationis, ne facilitate uestra abusus ui-  
 dear. Est autem hæc controuersia: An probanda  
 sit Stoicorū sententia, quam illi quidem acerrimè  
 propugnarunt, Omnia necessario fieri. Magna  
 causa est, et difficilis explicatio: sed tamen admo-  
 dum utile censeo, de re tanta quid sentiendum sit,  
 certò constituere. Neq; enim certè intelligi potest,  
 quomodo retinendæ sint religiones, quomodo re-  
 gendi mores, si illa Stoica necessitas mordicè reti-  
 netur. Atq; hic uel præcipuè, etiam in Philosophi-  
 cis studijs, scopus nobis propositus esse debet, ut in-  
 uestigemus opinioniones moribus utiles: præterea, ut  
 etiam uestigia diuinitatis in natura quæramus, aut  
 pijs opinionibus animos ad religionem excitemus.  
 Verissimū enim est illud quod Xenophon ait: To-  
 tum mundi opificium simul esse operi sapientis  
 artificis ac φιλοξένης, hoc est curantis et aman-  
 tis homines, ut agnosci author atq; opifex possit.  
 Sed quæ fuerit præcipua Stoicorum ratio, dicendū  
 est. Ea est causarum connexio, ut inferiores cau-  
 sæ non agant sine prima. Prima autem impediri  
 non

non potest: ergo cum cetera moueantur, mouente prima, necessario fiunt omnia. Id argumentum nescio quo modo peruasit etiam Theologicas scholas, atq; ibi non minores tumultus ciēt quā inter Philosophos. Reclamant autem Stoicis ceteri, qui dexterius philosophantur: & defendunt, non omnia necessario fieri: non esse tollendam contingentiam, ut uocant. Nec uerò in hac parte rationes omnes recensere possum. Vnam recitabo, quæ & prudentibus Philosophis ualde probatur, & certè apud Christianos ualere plurimum debet.

Deus non est causa mali, seu peccati. Esset autem causa peccati, sublata prorsus contingentia.

Quare absurdum & falsum est, omnia fieri necessario. Ita & Philosophi indignum existimant diuinitate, causam flagitiorum ac scelerum in Deum conferre. Et meo quidem iudicio opinio est auditu crudelis. Citant Philosophi uersiculum ex Euripide, ac magnis laudibus euehunt, estq; hæc sententia: si dii authores sunt turpitudinis, dii esse non possunt:

*εἰ θεοὶ τὶ ἀρῶσιν ἀκαρῶν, ὅν τι οἶν θεοὶ*

Iam si omnia immutabilia sunt, quare Deus inuocandus aut placandus est? His autem labefactatis, religio funditus tollitur. Deinde quid legibus aut disciplina opus est, si hanc tyrannidem possidet. *ἀνάγκη*, quam ei tribuunt Stoici. Rectè seru-



lus Zenonis, cum obiurgante hero se excusaret, ait se coactū illa necessitate magistri sui peccasse.

Itaq; etsi ego quidem auribus atq; animo à Stoicorum opinione abhorreo: tamen quoniam controuersia difficilis est, & ratio Stoicorum non sine negotio dissolui ac dilui potest, defero hanc totam controuersiam ad doctissimum uirum D. Milichium: cumq; rogo, ut pro sua & erga me beneuolentia, & singulari fide erga uniuersam scholam, dijudicandam causam & explicandam suscipiat. Quam in re & mihi pergratum faciet, & de uniuersa schola benemerebitur: quam profectò plurimum refert, quàm maximè aduersus opiniones parum utiles diligenter munitam esse. Dixi. ;

Clarissimo & optimo uiro, Domino Iohanni Bugenhagio, pastori Ecclesiæ Vitebergensis, amico suo charissimo,  
Philip. Mel. S. D.

Integram historiam eorum quæ hic hætenus in conuenu acta sunt, petes à domino Doctore N. Animaduertimus esse crebras & uarias aduersariorum deliberationes: sed spero Deum eorum consilia dissipaturum esse. Nondum inchoarunt publicam disputationem. Illud agunt, ut nobis articulos dilutos & sophisticos proponant. Sed iam dissen-

522  
dissentiant ab Eccianis, etiā Principum legati, Pa-  
latini, Marchionis Electoris, & Iuliacensis. hi re-  
pudiarunt articulos ab Eccianis compositos. Nam  
ad nos nondum allati sunt: sed uidi descriptos. In-  
ter nostros, Dei beneficio, consensus est. Certatum  
est acriter his diebus de disputationis exemplis.  
Nam praesidentes significarunt, se non concessu-  
ros, ut principes nostri exempla haberent di-  
sputationum. Ita necluntur meræ fantasie, ut in-  
terim alias fraudes struant. Sed orabis Deum,  
ut Ecclesias nostras ac nos seruet & gubernet,  
propter filium suum Iesum Christum liberatorem,  
qui pro nobis uictima factus est. Bene & felici-  
ter uale, & pro nobis ora. Die 17 Decembris:  
Vormatiae.

D. Cæsario Georgius Aemilius  
S. D.

Etsi de fide & constancia tua in colenda ami-  
citia nunquam dubitavi: tamen quia tecum, si  
queam, uel quotidie colloqui cupio, literas tuas  
ualde desiderabam. Sed mora, ut sit in usuris, a-  
liquamulum lucri mihi attulit. Scripsisti enim co-  
piosius quàm antea, & addidisti xenium non  
aspernandum: hoc tuum officium adeò gratum  
est mihi, ut magna facta sit ad meum erga te  
amorem, quam uix fieri fore arbitrabar, accessio.  
Quamquam enim nullum munus pluris facio,  
quàm

quàm tuas literas, testes & amoris & iudicij de me tui: tamen habet ipsum xenium singularis cuiusdam beneuolentiæ significationem. Ago igitur tibi gratias: ac polliceor, hunc libellum perpetuò fore apud me tanquam *μνημόσυλον* ac pignus tui amoris. Quoties aspiciam codicem, ueniet mihi in mentem & amicitiae nostrae, & uirtutum tuarum memoria: ac iuuabit, me talem uirum & amicum & studiorum hortatorem habere. Præterea Gellium ipsum tua causa pluris faciam, & legem auidius: quia mihi memoriam tuam subinde reuocabit. Illud autem in tuis literis iucundius fuit mihi, quòd significas te nostri desiderio maxime teneri. Ego uerò uicissim magnopere opto, ut me aliquando bona fortuna tecum coniungat. Neminem enim possem habere ducem ad optimas artes ac ueram philosophiam aptiorem, quàm te, qui propter excellentem eruditionem docere potes optima, & propter summum tuum erga me amorem libentius mihi tui copiam faceres. Hæc de te cum parentibus sæpius iam egi: eisq; demonstravi, quantum mei intersit, lustrare alias Germaniæ scholas: maximeq; quantum utilitatis mihi allatura sit tua consuetudo. Facile igitur eos in meam sententiam adduxi, præscrim cum intellexerint me nusquam malle esse quàm apud te. Magna enim est apud te auctoritas tua. Quare non despero, quin non ita multo post

to post in Academiam profecturus sim. Erit autē mihi Academiæ uice tua consuetudo, ubicunq; eris. Interim te etiam atq; etiam oro, ut consuetudinem ad me scribendi non intermittas. Vale.

D. Cæsareo, Georgius Aemilius  
S. D.

Si non ueritus fuisset, ne si non opportuno tempore, in tanto occupationū tuarum concursu meæ literæ redderentur, te offenderem, hætenus sæpe ad te scripsissem, uir ornatissime: sed nunc facile passus, sum plus in me patris auctoritatē ualere, quàm illam meam uerecundiam. Nam pater, unā cum optimorum studiorum literis, etiam uirtutis officia colere studens, uult ut pro eo beneficio, quo nos iter ingressos affecisti, gratias agerem. Cum enim nos hospitio exceperis, & liberalissimè tractaueris, si nullam significationem gratitudinis ostenderem, non solum ingratus erga te, sic meritum, sed etiam iniustus aduersus Deum essem, qui singulari pietate iura hospitij conseruari uult. Ago itaque tibi gratias immortales: ac si quo officij genere, quo declarare aliquam meam erga te beneuolentiam potero, efficiam profectō ut intelligas, me tui esse amantissimum. Cum autem te nobis non solum sanguinis coniunctio, sed etiam uoluntas tua & religio deuince-

O ret:

ret: rogo, ut quod est humanitate tua dignissimum, uicissim nos ames, et commendatos habeas. Vale.

Idem eidem.

Quod in maximis occupationibus tuis duxisti nobis scribendum esse, magnum specimen singularis beneuolentiae erga nos praebuisti. Quare et officium tuum mihi iucundius est: et ipsis literis, cum sint humanitatis plenissimae, uehementer delector: easque tanquam pignus perpetui tui erga me amoris mecum in sinu circumfero et asservo. Itaque tibi gratias ago, qui nos hoc tempore, quod uides plus quam ferreum esse literarum studio sis, complexus es, et significas te studiis nostris non defuturum esse. Nec uero aut nobis quicquam optabilius est, quam habere patronum, cuius et authoritas sit praecipua, et in amicis tuendis fides: aut tibi honestius, quam literarum amantes adiuuare et prouehere. Maximè enim decet te, cum tanta doctrina praeditus intelligas, quanta uis et dignitas sit bonarum artium, dare operam, ut quàm maximè floreat litera. Et cum Respublica tibi defensionem omnium ornamentorum commendauerit, quibus opus habet: petit etiam, ut has disciplinas, in quibus uersamur, omni ope tuearis et conserues. Quarum quanta sit utilitas in Republica, tu optimè perspicis. Quare te rogo,

rogo, ut quod facis, nos in hæc studia cum quadam spe ingressos, ames, & authoritate tua iuuare pergas. Quod enim me adeò amanter hortatus es ne desim meo officio in discendo, & amore tuo & authoritate ualde moueor: tibiq; polliceor, me, quantum orinibus ingenij neruis contendere possum, daturum esse operam, ne aut spem patris fefellisse, aut grauissimam admonitionem tuam contempsisse uidear. Hæc rescripsi ad tuas literas, quod uerebar silentium meum non solum ingratiitudinis, sed etiam negligentiae suspicionem apud te allaturum esse. Et hoc literarum nuncio utar sæpius ob hæc ipsas causas, ut studium erga te meum & diligentiam in discendo cognoscas. Et si autem mihi tuis literis nihil gratius esse potest: tamen non postulo ut ad me, nisi cum uacat & liber ab occupationibus atq; curis es, scribas. Reliqua officia, quibus magis nobis opus est, ut nobis patrocineris apud principem & patrem, spero te non intermissurum esse. Adde uerò etiam literas pro tua summa humanitate, si quando uacabit. Vale.

Parenti suo charissimo H. B. S. D.

Accepi literas tuas, charissime pater, in quibus me pro tua autoritate acerrimè Lipsiam reuocas. Primum autem exponam tibi historiam totius negotij, quæ (ut spero) si non culpa, tamen suspicio

O 2 ne sce-



ne sceleris me liberabit. Nam quicquid huius rei est, intelligas errore magis quàm improbo consilio accidisse. Nusquam uixi libentius, quàm Lipsiæ: & contigerat à te præceptor Sturmius, quem non solum propter excellentem doctrinam, sed etiam propter ætatis auctoritatem uenerabar ut patrem: & ille me perinde ut filium amplexus erat. Quare nemo me ab eo auellere potuisset unquam si ipse domesticam scholam retinere uoluisset. Sed postquam impetrauit à generoso & magnifico D. Alberto N. uocationem muneris sui, propter ætatis imbecillitatem dimisit scholam domesticam: quare uix accidit mihi acerbius quicquam. Huius meæ uoluntatis tu mihi optimus testis es. Sum enim per literas conquestus de hac fortunæ iniuria. Fortè autem accidit, priusquam tu rescribis, ut Lipsiam uenerit Sabinus, cuius genus uersuum in primis laudari intelligebam non solum ab alijs, sed etiam ab ipso Sturmio. Ad hunc ueni cùm alijs doctis & modestis iuuenibus, quorum consuetudine liberius utebar, gubernatorem certum non habebam. Cùmq; semel atq; iterum audiuissem eum cùm de ratione scribendæ solutæ orationis, tum uerò præcipuè de optimo genere poematum ea differentem, quæ maximè probantur omnibus: ita me delectauit eius oratio postea, ut nusquam ab eo discesserim, quamdiu ibi fuit.



Et quia eum omni officij genere, quod quidem præstare potui, colebam: ostendit mihi, quoque se non abhorrere à mea consuetudine. Exhibui ei meos uersiculos, ut monstraret mihi uiam et rationem melius scribendi. Ille uerò respondit, neque se professorem artis esse, neque præceptis multum profici posse: dominari hac in re exercitationem et imitationem, ad quam instituendam plurimum proficere aiebat conuersionem assiduam cum ijs qui suauiter et eleganter scribunt. Rogo igitur, ut me sibi adiungat, futurum ministri loco. Itaque mansi apud Sabinum, eumque postea Vitebergam secutus sum. Nec me alia res Lipsia abduxit. Narraui rem ut gesta est: Quare te primum hoc oro, ne me ulla cupiditate ac studio rixarum theologicarum, quas ne Sabinus quidem intelligit aut agitat, profectum esse in eam scholam putes. Nihil secutus sum nisi poetices studium, quod est innoxium: nec arbitrabar fore, ut hæc migratio te offenderet, præsertim consilio meo cognito. Valde autem perturbatus sum ob iurgatione tua, ut nunc quid agam planè nesciam. Non detrectabo tuam auctoritatem, donec uiuam: sed in hac deploro patriam clementiam atque æquitatem tuam: ac peto, ne me subito hinc auellas. Spero enim et uitæ genus, et studia mea te probaturum esse. Ago in ijsdem adibus apud Sa-

vinum, iuuenem modestissimum, qui quidem non uetat me mox recurrere Lipsiam. Sed non possum eum sine inconstantiâ nota deferere, præsertim postquam sum pollicitus me ei ministrum fore. Interim me in scribendo carmine exerceo, quod studiũ te adhortatore amo, & annis iam aliquot colo: idq; genus literarum scis alienissimum esse à disputationibus Theologicis. Oro itaque, ut hanc migrationem boni consulas, mihiq; erratum condones, quod te incõsulto Sabium secutus sum. Polliceor enim, me semper in tua potestate futurum esse. Tu tamen, pro tua prudentia atq; æquitate, de meis studijs statues: quibus melius consulueris, quantum ego quidem iudicare possem, si me ex hoc curriculo non reuocabis. Bene uale, pater suauissime, ac rescribe.

Docto & honesto iuueni, D. Michaeli Voicio, musico & cantori Torgesi, amico suo charissimo Georgius Fabricius S. D.

Jeremias ad te mittit literas & pecuniam, quã statò tempore accepisses, nisi obstitisset certi & fidelis nunciij inopia. Feres igitur hanc moram æquo animo. Opus musicum, quod apud nos inchoasti, id credo te quotidie excolere atq; perficere, eum adolescentum studiosorũ gratia, quibus opera tua

ra tua multum profuturus es: tum etiam, ut tuum  
nomen cum utilitate aliorum propages ad posterum.  
Iucunda est inuestigatio ueritatis in quauis arte:  
sed multo iucundior esse potest his miserrimis tem-  
poribus, quibus cum ueritas ex humano genere  
explosa penè sit, circa ocium nostrum & litera-  
rum studia errat, & in scholis cogitur delutescere.  
Id etiam te intelligere, & in eadem mecum esse sen-  
tentia existimo. Perigitur Musas perge, & omne  
tuum studium conser ad illustrandam hanc artem:  
ita tamen, ut interdum tantum ocij sumas, ut scri-  
bere ad nos crebro possis. Nihil enim mihi erit illa  
cōsuetudine inter nos absentes gratius. Clarissimo  
uiro D. Leuschnero gratias age, quod prodigium  
ad nos miserit, prope Vitebergam in aere uisum.  
Multo plura & tristiora hoc ipso mense Pragæ et  
in finitimis urbibus uisa narrant: apertè diuinant  
iram, nisi meliores fiamus, denunciante. Irascor i-  
pse mihi, quod data proximè facultas nō fuerit, di-  
uertendi apud hospitē tuum. nimis enim breues in-  
ter nos sermones fuerunt. Reliqua decrant.

D. Ioanni Buchnero, pastori in Ecclesia  
Osenhacensi, Philippus Me-  
lanchthon S.D.

Venerāde uir, et amice chariss. hāc epist. scripsi in  
Epiphāijs quo die celebratur memoria admirāde  
patefactionis Dei, q̄ in baptismo filij Dei facta est.

Agamus autem gratias Deo, quod se tum & aliàs illustribus testimonijs patefecit: & eo nos exemplo consolemur in nostris magnis periculis. Cum enim prodierit ex arcana sede Deus ipse, & filium miserit, ac promissionem nobis tradiderit: non dubitemus, eum inter impiorum etiam tumultus seruaturum esse doctrinam suam, & Ecclesiam. Hac spe difficultates et erumnas ministerij Euangelici toleremus. Mitto igitur ad te hunc Philippum Saltzungensem, honestum & doctum hominem: quem uelim te prius audire, & postea (si tuo iudicio probabitur) eum commendare Ecclesie Thuringicæ. Ingenio ualet, & eruditione rectè institutus est: & modestum esse comperi. Quare eum tibi commendo. Bene uale. In Epiphanijs.

### Commendatoria.

Cum Marinus Henricus à uobis ad ministerium Euangelij uocatus sit, & testimonium publicæ ordinationis ueteri Ecclesie more à nobis petatum sit, diligenter explorauimus eius eruditionem: & comperimus eum rectè tenere summam doctrinæ Christianæ, & abhorrere à fanaticis opinionibus. damnatis iudicio catholicæ Ecclesie Christi, & amplecti cōsensum catholicæ Ecclesie Christi, quæ & Ecclesia nostra profitetur. Quare cum promitteret in doctrina constantiam, & in officio fidem & diligentiam, commendatum est publica ordina-  
tions

tione, iuxta doctrinam Apostolicam, ministerium docendi Euangelij, & Sacramenta à Christo instituta administrandi iuxta uocationem. Cumq; scriptum sit de filio Dei, Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, pastores & doctores: precamur ardentibus uotis, ut suæ Ecclesiæ gubernatores det idoneos & salutare, & efficiat ut huius Martini Heinrici ministerium sit faustum & salutare. Et Ecclesiā ipsius hortamur, ut curet Euangelium purè & fideliter conseruari, & propagari. Nam hoc officio Deus præcipuè se coli postulat, sicut inquit Christus: In hoc glorificatur Pater meus cœlestis, ut fructum copiosum feratis. & fiatis mei discipuli. Et hac luce retenta manet Ecclesia, & aderit in Ecclesia Deus, & dabit uitam æternam inuocantibus ipsum: & opitulabitur in ærumnis huius uitæ. Ibi enim adest & exaudit Deus, ubi ipsius Euangelium uerè sonat, sicut scriptum est Ioannis XV. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Et quanquam horribiliter quassatur Ecclesia Dei in his tantis ruinis regnorum, & mutationibus imperiorum: tamen Deus eos qui Euangelij puritatem retinere student, proteget & defendet. Data Vitebergæ, anno 1543, die Septembri 27, quo arca Noe post diluuium consistere primum. antè annos 3831 cepit. Nec du-

bitemus, Deum Ecclesiae suae quietem daturum;  
etiam in horum temporum tumultibus.

Patri suo chariss. S.

Etsi perpaucis antè diebus, quàm tue litera  
mihi redditæ sunt, de meis rebus ac studijs ad te  
scripsi: tamè inuitatus tuis suauissimis literis, idem  
argumentum repetam. Ac primò habeo tibi gra-  
tiam chariss. pater, et quòd singulari liberalitate  
studia mea foues, et quòd tam amanter mihi scri-  
bis, meq; ad uirtutem et decus hortaris. Quibus  
in rebus elucet uis paterni animi atq; amoris. De  
consilio Philippi Melanchthonis præceptor mihi  
electus est iacobus Milichius, qui hic proficitur  
Sphæram, et hoc genus cætera elementa ueræ  
philosophiæ: homo in literis Latinis et Grecis et  
in Philosophia præclarè eruditus, cuius consuetu-  
dinem spero mihi admodum profuturam esse. Ha-  
bito in ipsius ædibus. Philippus propter negocio-  
rum uarietatem, quibus impeditur, non habet do-  
mesticam scholam: et tamen aditus mihi, ut ple-  
risq; alijs, ad eum patet: meq; iussit sibi interdum  
exhibere specimen aliquod meorum scriptorum,  
ut suum mihi iudicium de ratione formandæ ora-  
tionis indicet. De aere quod mones, agnosco planè  
paternam sollicitudinem. Hactenus contagia nul-  
la hæc anime aduersa sunt. Et adsunt adhuc Princi-  
pes,



pes, frater Electoris, et aliorum Principum & honestorum uirorum liberi: qui si quid inciderit periculi, scholam aliò transferre cogerent. Ego etiam me aduersus illas febres, quæ iam omnia loca red-  
dunt infestiora, temperantia & moderatione uitæ muno Nunc etiã expaciari constitui ad affinem nostrum D. Doctorem Philippum, cuius officia nulla in re mihi desunt. Vale.

An credendum sit, animam Christi separata dolores inferorũ passam esse,  
iudicium.

Quia articulus inquit, Descendit ad inferos: id non significat, passum esse dolores in hac uita, ut David. Quia enim inquit, Descendit: non descendit tantum ut uictor aut triumphator, sicut aliqui enarrant: sed addit, Ad inferos. Inferi autem, significant horrendos illos cruciatus. Conuenit dictum cum Psalmo: Non relinques animam meam in inferno. Cur peteret se non relinqui in inferno, si nõ fuit in poenis inferorum? Hæc mihi uidentur esse præcipua argumenta Aepini. Alij contradicunt. Articulus, inquit, Descendit ad inferos, nõ est in ueteri Symbolo: sic tamen recipiunt articulum, & dicunt: Non oportere restringi dolores inferorum ad tempus post separationem. Christus passus est dolores inferni in agone, sudans sanguinem, & sæpe aliàs. Dicunt item, unicum  
esse



esse sacrificium, & sufficiens, filij Dei passionem usq; ad mortem crucis. Et quanquam urgent uocabulum Descendit: tamen descendisse dicunt, ut uictorem, siue sola anima, simulq; resuscitatū esse, ut resuscitaret multos, quibus se Christus ostendit, & docuit eos multa de suo regno, & de intellectu promissionum. Est enim consentaneum, hoc uelle Petrum in epistola sua. Ambrosius breuiter hunc nodum secat, cum dicit, scripturam nusquam loqui de ulla separata anima uel Christi, uel aliorum.

Amico suo N. N. Philip. Mel. S. D.

Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani et Ecclesiæ suæ, gratias ago, quòd & coniugem tuā honestissimā in partu seruauit incolumē, & filiola fam. tuā auxit: totoq; eum pectore oro, ut & domesticā et cōmunem nostræ Sæptæ ecclesiā seruet & regat. nam profectò sine cœlesti præsidio hæc infirma natura salua esse nō potest. Et filius Dei, ut testaretur se custodem esse, inducit nostrā naturā. Ac me ualde ipsius uox in magnis doloribus erexit: Nemo rapiet oues meas ex manib. meis. Hunc oro, ut te et tuos defendat. Genesim filiæ libèter uidimus, de qua singulare fuit D. N. iudiciū, qui iuxta uersum σοφοι μὲν γὰρ ὁρτοὺν σοφῶν αὐτοβία. Consuetudine Erasmi et mea fit astrologus. Cū Orionē uidisset scriptū in no-

in noua luna uicinū, dixit fore egregiā uenatricē,  
ac alteram Danam. Bene uale. 4. Calend. Iunias,  
Anno 1548.

Patri suo obseruando S.

Charissime pater: Causam, cur tardius expecta-  
tione tua nuncius redeat, ex literis aliorū intelli-  
ges. Absuit enim D. Philippus diebus 12. Quanquā  
enim in Pega breue colloquiū fuit: tamē Lipsiæ po-  
stea triduū propter publicas disputationes reten-  
tus est. Nam & Theologi & Medici luculentas di-  
sputationes proposuerunt. Ego ad studia Latine  
linguæ incipio iam elementa mathematicarum adiun-  
gere, & Arithmeticam ac Sphæricam doctrinam  
exerceo in erigendis figuris cœlestium motuū: ex  
quo labore duplicem fructum capio. Nam & præ-  
paro me ad fontes Philosophiæ, & ipsa dulcedo  
harum artium mirificis illecebris me ad cognoscen-  
da penetralia doctrinæ inuitat. Etsi autē scio deri-  
deri Philosophiam à populo: tamen quid potius fa-  
ciam, præsertim in hac adolescencia, & in tanta  
temporum mœstitia? Semper homines ingeniosi  
& modesti tumultuantibus imperijs dederunt se  
talibus studijs, ut lenirent mœstitiam. Oro autem  
Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Chri-  
sti, ut te et charissimam matrem seruet in-  
columnes, nosq; spiritu suo regat.

Bene uale.

Alia,

## Alia, ad patrem:

S. D. Dedi nuper ad te literas, suauissime pater, quas spero ad te peruenisse: neq; facile dixerim, quantum me animo cruciet expectatio tuarum literarum. Oro igitur te per summum erga me amorem, primum ut errori meo des ueniam: deinde, ut pro tuo more iterum ad me scribas. quod si facies, planè tibi iterum uitam dabo. Tanti enim beneuolentiam facio tuam, ut non ipsam uitam magis optandam mihi esse statuam, quàm ut te habeam æquum & propitium. Nam secundum Deum, in uino te spes omnes opesq; meæ sitæ sunt. Quare maxime liberabis me ab ærumnis ac miserijs, si mihi placatus rescripseris. Res (ut spero) declarabit, nullam hæere in meis moribus ac uita infamiam. Plura scriberem, si præ dolore animi possem: quæ nulla res leuare potest, nisi significatio aliqua redditæ gratiæ. Acerbissimum mihi fuit uidere literas ad Vuolsgangum datas, cum ad me nihil esset scriptum. O me miserum, si priori loco quisquam apud te est, quàm ego. Obsecro te per Omnipotentem, ut me in gratiam recipias.

Bene uale.

FINIS.



BASILEAE PER PAVLVM.  
QVECKVM, MENSE  
MARTIO, ANNO  
M. D. LXV.

